INSTITUTIONES
IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI

QUAS

IN SCHOLIS PONTIFICII SEMINARII ROMANI

TRADIDIT

FELIX CAVAGNIS

ANTISTES URBANUS CAN. LIBERIANUS
EIUSDEM SEMINARII RECTOR

EDITIO ALTERA EMENDATIOR

PARS SECUNDA SPECIALIS

Volumen unicum



ROMAE
TYPIS SOCIETATIS CATHOLICAE INSTRUCTIVAE
1889.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Auctor sibi vindicavit ius proprietatis,
ad normam legis et tractatuum internationalium.

PARS SECUNDA SPECIALIS

EIUS DIVISIO

Cum in prima parte harum institutionum exposuerimus principia iuris publici ecclesiastici tum interni tum externi, superest nunc eadem principia evolvamus et applicemus.

Primo id praestabimus quoad celebriores in historia quaestiones independentiam Ecclesiae eiusque primatum comparate ad societatem civilem attingentes, deinde directam eius competentiam specificabimus.

Dividitur proinde etiam haec pars in duos libros, quorum primus ad ius publicum externum, alterum ad internum de se respicit.

019

LIBER PRIMUS

QUAESTIONES SPECIALES DE INDEPENDENTIA ET PRIMATU ECCLESIAE COMPARATE AD SOCIETATEM CIVILEM.

---

1. Cum Ecclesia sit societas perfecta et independens, imo superior civili, sequitur eius actus vim suam non mutuare ab approbatione legis civilis; item per se nominare officiales suos; et tertio eius actus ab auctoritate civili corrigi non posse; quarto denique sive personas clericorum, sive loca, sive res Ecclesiae esse posse aut debere immunes a civili auctoritate. Tamen quidam abusus invaluere; praecipui sunt sequentes: 1° regium placet seu exequatur; 2° nominatio regia ministrorum, praesertim episcoporum cum iure regaliae; 3° appellatio ab abusu; 4° monarchia Siciliae haec omnia excedens; de quibus totidem capitibus agendum est, nec non 5° de immunitate ecclesiastica. Sed viceversa aulici contendunt Ecclesiam offendisse status independentiam reges deponendo et subditos a fidelitate solvendo, nec non inspiciendo in legibus civilibus, imo et regna, infidelium praesertim, concedendo; ideoque 6° pertractandae speciales quaestiones de indirecta potestate Ecclesiae in temporalia; sit igitur:

CAPUT I.

DE REGIO PLACET [1]).

Videbimus: 1° quid sit regium placet iuxta regalistas; 2° quaenam eius origo et vicissitudines; 3° eius iniustitiam; et 4° solutionem difficultatum.

ARTICULUS I.

Notio regii placiti.

2. Ad I. celebris iansenista Bernardus Sigerus Van-Espen, belga, qui in contumacia censuris ligatus mortuus est, saeculo elapso ineunte, definit regium placet seu exequatur, quod et assensus regius dicitur: « Fa« cultatem quam civilis auctoritas impertitur bullis ac « brevibus pontificiis ceterisque omnibus ecclesiasticae « auctoritatis actis ut vim in sua ditione habeant ». Hinc ius placiti definit: « Ius defensionis adversus Ec« clesiae molimina, naturaliter insitum auctoritati po« liticae, cuius virtute declarat nullam habere vim « bullas, brevia Pontificum atque alium quemcumque « actum ecclesiasticae auctoritatis, quibus facultas illa « non fuit impertita »; et addunt nonnulli: « sive in « foro externo, sive interno ».

---

1) De regio placet vide specialem dissertationem eminentissimi cardinali Tarquini, in qua adducuntur plura ex documentis infra citandis; nec non opus *Il regio exequatur*, del canonico Giovanni De Dominicis, Napoli, Libreria cattolica, 1869, in quo et pars historica plene evolvitur. Item vide *Origine e vicende del regio exequatur nei dominii della real casa di Savoia, per un vescovo italiano*, 1863, in quo opere et pars doctrinalis valide exponitur.

Pragmatici tamen nostri distinguunt inter regium placitum et regium exequatur. Illud datur actibus auctoritatis ecclesiasticae regno internae, idest episcopali; auctoritas enim interna iam est recognita in regno, sed remanet ei subordinata, ideoque sufficit non displiceat quod agit. E contra regium exequatur datur actibus auctoritatis externae, idest Summi Pontificis; haec enim distinctio in Italia sese refert ad illud tempus quo Pontifici agnoscebatur dominium temporale illudque de facto possidebat; et proinde considerabatur (quamvis male pro ordine religioso) ut auctoritas externa, quae indigeret collatione potestatis, sicut consules exterarum gentium ut in nostro territorio exerceant iurisdictionem super concives suos.

Verum nos, sicut ipse Van-Espen, sumimus regium placitum et regium exequatur ut synonima, seu ut indicantia necessitatem assensus regii pro valore actuum iurisdictionis ecclesiasticae saltem in foro externo. Iisdem enim rationum momentis utrumque exploditur a nobis et iisdem falsis principiis propugnatur a regalistis.

3. Iuxta Van-Espen, ius placiti per se respicit actus disciplinares. Tamen in opere *De Promulgatione legum Eccles.* p. 5. c. 2. § 1. ait: « Regium placet nequaquam « spectat ipsum fidei assensum praestandum dogmati, « de quo fidelibus sufficienter constat esse revelatum; « sed dumtaxat illud externum quod consistit in ipsa « dogmatis externa propositione, publicatione et exe- « cutione ». Idest aliud est dogma, aliud eius propositio facta ab Ecclesia per modum legis, vel ratio quâ proponitur. Potest enim rem publicam turbare. Hinc concludit citata parte 5ª et 4ª etiam decreta dogmatica subiici regio placito ut possint urgeri in foro externo, ad exigendam ipsorum professionem et

ad canonicas poenas applicandas. Principi enim spectat, et quidem iure proprio et inalienabili, munire ecclesiasticam disciplinam et invigilare ne res publica tum civilis tum ecclesiastica aliquid detrimenti capiat.

Imo decreta dogmatica possunt esse laesiva iuris regalis vel legittimarum consuetudinum, quoad clausolas adnexas, ut si transgressores in iudicium vocentur extra provinciam, aut apud iudices non recognitos, puta inquisitores, aut ob poenas quas irrogant, ut temporales pro laicis. Ex quibus periculis rursus confirmatur ius placiti. In quibus, ut videre est, errores superant verba. Ante Van-Espen, placitum regium defensum fuerat ut *exceptio;* ipse illud proposuit ut *regulam.*

4. In regno autem neapolitano, saeculo superiori sub ministro Tanucci, ut securius applicaretur regium placitum, iussum est esse impetrandam a gubernio licentiam scribendi Romam, super negotia ecclesiastica, quae dicebatur *Liceat scribere.* Haec dispositio abrogata est per art. 23. Concordati an. 1818.

Et teste Spennati, usque ad finem elapsi saeculi, laici citari non poterant ad tribunal ecclesiasticum neque ob causam haeresis, absque regio assensu [1]).

5. Eo usque autem pervenerunt quidam regalistae ut statuerent placitum semel concessum, posse a statu retractari; ideoque leges et officia ecclesiastica durare quantum status voluerit. Distinxerunt ad hoc etiam disciplinam internam et externam, quarum inter alias datur haec explicatio: illa est ipsa lex spiritualis; haec

---

1) Istituzioni di diritto canonico universale ecc. del cav. Giuseppe Spennati, già presidente di tribunale civile ecc. Napoli, Anfossi 1885.

est eius opportunitas pro societate; illa spectat ad Ecclesiam, sed subordinatur secundae; ex. gr. sola Ecclesia dat et aufert iurisdictionem spiritualem, sed status imperat quando danda aut revocanda sit [1]).

ARTICULUS II.

Origo et vicissitudines.

6. Cum anno 1378, mortuo Gregorio XI. et electo Urbano VI. ortum esset magnum schisma occidentale, et plures bullae falsae vel pseudo-pontificum circumferrentur, Urbanus VI. ut tradit Bonifacius IX. in bulla *Intenta salutis*, « concessit quibusdam praelatis quod « in eorum civitatibus et dioecesibus non posset fieri « executio aliquarum litterarum apostolicarum nisi « prius huiusmodi litterae ipsis praelatis vel eorum « officialibus et per ipsos essent approbatae ». Hinc mos apponendi *placet* vel *vidimus*, qui extensus est et in imminutionem pontificiae auctoritatis; ad quem abusum tollendum Bonifacius IX., Urbani VI. successor, edidit citatam constitutionem, anno 1403. Sed cum schisma perduraret, et abusus perseveravit; hinc schismate sublato, ad eum extirpandum Martinus V. edidit Bullam *Quod antidota*. Erat igitur placitum episcopale ex concessione Pontificum oeconomica.

7. Principes autem, schismate durante cum per diversa regna uni vel alteri adhaererent Pontifici, per ea tempora aliquando sanctione civili muniebant bullas Pontificum quibus adhaerebant, ceteris exclusis. Ita anno 1381 Dux andegavensis regni Gallici administra-

1) Vide Concha, Derecho publico eclesiastico.

tor coërcuit rectorem universitatis parisiensis qui publicaverat bullas Urbani VI. cum regnum Galliae adhaereret Pontifici avenionensi, seu Clementi VII. [1]); non omnes tamen id probaverunt; hinc archiepiscopus rhemensis Iuvenalis Ursinus, pene coaevus, increpat ducem andegavensem de hac re in sua historia regis Caroli VI., sub marginali rubrica *Violentiae regentis contra rectorem universitatis.*

8. Cum autem Pontifices avenionenses, multis indigentes, facile concederent litteras expectativas, et pensiones et alia onera super beneficia imponerent, clerus Galliae in suis conventibus apud Lutetiam Parisiorum, subduxit se anno 1399 ab obedientia utriusque Pontificis, et rex statuit nulli rescripto papali executionem dandam esse quod adversaretur iuribus et libertatibus Ecclesiae gallicanae.

In Anglia, regnante Reccaredo II. (1381-1399), cum episcopi quererentur de provisionibus (collationibus) beneficiorum Ecclesiae anglicanae, frequenter factis a Papa, conventum est, tantum favore cardinalium faciendas esse si de extraneis regno ageretur; pro civibus autem requiri assensum regium. Tamen anno 1399 duae universitates Angliae apud regem conquestae sunt quod personae doctae post limitationem positam collationibus pontificiis negligerentur.

---

1) **Pontifices romani** **avenionenses** **pisani**

Urbanus VI. 1378-89. Clemens VII. 1378-1394. Alexander V. 1409-10.
Bonifacius IX. 1389-1404. Benedictus XIII. 1394- Ioannes XXIII. 1410-15;
Gregorius XII. 1404-1414; 1417; depositus. renuntiavit.
renuntiavit.

In Concilio Constantiensi anno 1417 electus est Martinus V. et finis impositus schismati.

Etsi autem schismate occidentali durante, Anglia pareret Pontifici romano, anno 1391 Parlamentum regni statuit multa in praeiudicium Ecclesiae, et inter alia neminem excommunicatum haberi posse a Papa, nec ullum eius praeceptum executioni mandandum esse, teste Polidoro Virgilio in sua Angliae historia, et Genebrardo in sua chronica.

Item Martinus rex Siciliae in Aragoniam profecturus anno 1405, vetuit publicari litteras pontificias sine regio placet; siculi enim adhaerebant Bonifacio IX. successori Urbani VI., dum ipse eum habebat, utpote aragonius, tamquam pseudo-pontificem, sequendo Benedictum XIII.

Idem factum est in Lusitania, practextu schismatis, teste Garzia de Resende, in eius chronica de rege Ioanne.

9. Schismate extincto, Carolus VII. rex Galliarum, iuxta Constitutionem Martini V. *Quod antidota*, iussit rescripta et bullas pontificias statim esse executioni mandandas, ut antea factum erat cum Clemente VII. et Benedicto XIII.; *non obstantibus quibuscumque arrestis, usibus et mandatis;* et sic cessavit placitum regium in Gallia, ut pariter factum est in ceteris nationibus.

10. Sed anno 1493 Alexander VI. rogatus a Ferdinando et Isabella regibus Hispaniarum, eis concessit examinari bullas indulgentiarum, ab ordinariis locorum, a nuntio apostolico et a capellano maiore regis, quoniam per illud tempus plures falsae in Hispania turpis quaestus causa, circumferebantur. Sed haec est concessio Pontificis, non ius proprium principis. Sicut nonnullae aliae concessiones factae sunt a Pontificibus circa bullas beneficiorum, ut principes viderent non

conferri extraneis; quod ipsi Pontifices concesserant, ad vitanda dissidia, tempore bellorum praesertim.

Generatim tamen circa bullas et de his materiis beneficiariis, concessa est principibus simplex *visura* bullae, quin aliquid in ea scriberent aut sigillum vel aliud signum apponerent.

11. Primus qui sibi vindicavit ius placiti, tamquam ius regium, seu proprium, fuit saec. XV. Ioannes II. Lusitaniae rex, qui statuit litteras apostolicas non esse publicandas ante revisionem regiae cancellariae; et Sixtus IV. eum graviter reprehendit, et damnavit Innocentius VIII. Brevi *Olim*, die 3. Februarii anni 1486. Verum optimates regni repugnabant abolitioni regii placiti regemque hortabantur ut Pontifici resisteret. Sed rex melior fuit suis baronibus, et iussit litteras apostolicas libere publicandas et exequendas [1]).

12. Interim cum inquisitor Lombardiae, fr. Antonius a Brixia, ex ordine Praedicatorum, una cum brixiensi episcopo, damnasset quosdam haereticos impoenitentes, eosque tradidisset brachio saeculari pro applicatione poenae, magistratus civiles volebant processum examinare ut viderent an confirmanda esset sententia vel non. Tunc inquisitor et episcopus rem summo Pontifici, Innocentio VIII. detulerunt, qui die 30 Sept. 1486 edidit constitutionem *Dilectus Filius*, in qua praecipit magistratibus brixiensibus, executionem dare sententiae inquisitoris, absque ulla revisione causae et processus, sub poena excommunicationis intra sex dies incurrendae, ni pareant.

13. Saeculo XVI. ineunte invenimus summum Pontificem Alexandrum VI. die 25 Iunii 1501, deponendo

1) V. cit. Garzia de Resende, Chronica regis Ioannis, cap. 66.

a regno neapolitano, s. Sedis feudali, regem Fridericum, inter alias causas hanc quoque recensere, quod volebat bullas pontificias executioni non demandari absque regio exequatur.

Paulo post archiepiscopus toletanus et episcopus carthaginiensis in Hispania, in sua synodo, praetextu falsarum litterarum apostolicarum quae circumferebantur, decreverunt eas non posse executioni demandari absque placito episcopali; horum autem statutorum confirmationem petierunt a summo Pontifice Leone X. Hic iam ediderat anno 1515 constitutionem *Regimini*, qua vetabat laicis sese immiscere rebus ecclesiasticis. Edidit tunc constitutionem *In supremo* anno 1518, qua non modo reiicit placitum episcopale, sed etiam regium, quod in Hispania per id temporis coeperat adhiberi.

In regno neapolitano etiam sub Carolo V. identidem habebatur hic abusus, non obstante iuramento quod de omnimoda Ecclesiae libertate praestabat rex etiam ut feudatarius, in sua coronatione. Hinc Clemens VII. edidit constitutionem *Romanus Pontifex*.

Sed praesertim s. Pius V. repressit vice-regem neapolitanum, ducem complutensem (Alcalà), qui regium placitum exigebat, et primus fuit qui apertam legem de hac re ferre ausus est. Sanctus autem Pontifex eum excommunicavit, cumque sese subiecisset censurae, Puteolos petendo et observando segregationem a communione fidelium, eum absolvit. Tamen eo in regno, quod specialius subdebatur s. Sedi, conatus fere perpetuus fuit restituendi regium placitum et alias ecclesiasticas servitutes.

14. Hinc et Gregorius XIII. pro eodem placito abolendo, institit apud regem Philippum II. Regis autem ministri pro regno neapolitano, promiserunt tantum

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

se negotia citius expedituros et gratis pro partibus recurrentibus, quod et sub duce complutensi promissum sed observatum non fuerat. Sub Philippo III. petitum est a s. Sede ut in regno neapolitano, saltem liceret litteris pontificiis, apponi ab auctoritate saeculari, *obediatur;* sed et hoc ut insidiosum, concessum non est.

Querelae pariter habitae sunt sub Clemente VIII. et deinceps.

15. Saeculo autem XVII. et in Gallia resuscitari coepit regium exequatur, quod ab extinctione schismatis occidentalis cessaverat. Verum cum limitatione introductum est, nempe ne Pontifex noceret libertatibus gallicanis; hinc tantum pro bullis respicientibus leges generales, ut statutum est decreto Parlamenti parisiensis die 6. Maii anni 1665; quod excipiebat « provisiones beneficiorum, rescripta sacrae Poenitentiariae et alia ordinaria respicientia negotia privatorum, quae solent concedi a sancta Sede, iuxta « leges et consuetudines regni ». Et De Marca lib. 2. de Concordia, cap. 12. n. 8. ait: « hac ratione, brevia « apostolica, praesidio et auctoritate principis munita « erunt; cognitio vero causae non quidem de rescripti « aequitate, sed de libertate Ecclesiae gallicanae curiis relinquitur ».

16. In Hispania autem erat libera publicatio constitutionum generalium tum fidei tum disciplinae, sed in negotiis particularibus, ad querelam partis, rex suspendebat executionem actus pontificii, eumque a regiis tribunalibus examinari mandabat. Accedebat proinde potius ad naturam appellationis tamquam ab abusu, de qua in sequenti capite. Id defendebant regalistae hispani, Covarruvias, Cenedo, Cevallos, Salcedo, Salgado aliquo praetextu, praesertim ut Pontifex melius

interim a rege edoceretur de statu quaestionis, ut gravamina auferret quae ignorans intulerat. Et proinde ad regium placitum defendendum, adinvenerunt speciale ius, quod appellaverunt *supplicandi*. Id tamen damnaverat s. Pius V.; etsi enim quisque possit recurrere ad summum Pontificem, non habet tamen regulariter ius suspendendi executionem actuum eius. Ipse autem Covarruvias fatebatur hunc recursum ad auctoritatem laicam, rem esse periculi plenam.

17. In Belgio cum plures essent iansenistae, restiterunt publicationi damnationis libri Iansenii, cui titulus *Augustinus*, et bullae Urbani VIII. *In eminenti*, nec non decreto s. Officii, 6. Septembris 1657, prohibentis *epistolas provinciales* Paschalii, quia haec, regio placito approbata non erant, ut longe exponit Van-Espen, de *promulgatione legum ecclesiasticarum* cap. III. et IV. Sed Innocentius XI. edidit constitutionem *Decet romanus Pontifex*, die 28. Iunii 1689, qua damnat regium placitum.

18. Saeculo autem XVIII. bellum in Ecclesiam acrius factum est, ideoque et regii placiti abusus; in Hispania praesertim sub Philippo V. qui eiecit nuntium pontificium, et subditis prohibuit quamlibet cum romana Sede communicationem et alia plura hostiliter in Ecclesiam gessit. Sed post constitutionem Clementis XI. *Alias ad apostolatus*, diei 17. Octobris 1711, rex Philippus concordatum iniit cum s. Sede, quod tamen ab eius successore Carolo III. parum observatum fuit.

19. In Sicilia, edicto proposito, anno 1714, intimantur contravenientibus regio placito quinque anni carceris, privatio vocis activae et passivae et aliae poenae reservatae arbitrio iudicis monarchiae.

Cum autem Clemens XI. publicasset huius edicti et

aliorum abusuum damnationem, bulla *Nova semper*, 29. Novembris 1714, prodiit aliud edictum monarchiae die 7. Decembris 1714, quo contravenientes privantur bonis et in exilium aguntur si ecclesiastici; si laici incurrunt indignationem regis et poenas arbitrarias.

Clemens autem XI. die 11. Ianuarii 1715 publicavit aliam damnationem, quae incipit, *Accepimus nuper*.

20. Duces Sabaudiae a Nicolao V. et subsequentibus Pontificibus obtinuerunt, beneficia consistorialia non esse conferenda absque ducali assensu, et cetera quoque extraneis non concedenda. Quod si contrariae litterae apostolicae exhiberentur, posset a duce impediri executio earumdem, tamquam subreptitiarum. Sed die 21. Iunii anni 1719, prodiit edictum senatus taurinensis, praescribentis regium exequatur; sub mitiori tamen praetextu, nempe monendi Pontificem si quid contrarium iuribus regiis fuisset attentatum, vel subreptitie obtentum; Clemens autem XI. edidit, die 18. Augusti anni 1719, constitutionem *Ad apostolatus nostri*, qua coronae subalpinae repetit quae contra hispanicam et siculam iam edixerat. Concessio autem dicitur facta a Benedicto XIII. actus pontificios *videri* posse a regia auctoritate ducali, quin tamen aliquod signum in eis poneretur, sed tantum ut sciret princeps an reclamare deberet; verum id asseritur tantum a negotiatoribus subalpinis in relatione quam dederunt de suis colloquiis cum cardinali a Papa deputato ad negotia cum eis pertractanda, sed nullo authentico documento probatur. Fuit tamen regi Sardiniae concessa a Benedicto XIV. haec simplex *visura*, exceptis bullis dogmaticis, rescriptis sacrae Poenitentiariae, litteris sacrarum Congregationum quas pro *informationibus* habendis scribunt sive ad episcopos sive ad alios, nec non bullis

concedentibus iubilaeum aut indulgentias, ac bullis et brevibus pro honesta fidelium institutione; sed idem Benedictus XIV. 30. Marti 1742 edidit constitutionem *Pastoralis regiminis*, qua de cetero placitum generaliter damnat.

21. Item Clemens XIII. cum Carolus III. Hispaniae renovasset abusum placiti, eum damnavit duabus litteris, prima ad archiepiscopum toletanum, *Postquam nobis*, altera ad archiepiscopum hispalensem, *Ea est de tuo*, utraque diei 15. Ianuarii 1763.

Idem Pontifex edidit duas alias litteras, quando Ludovicus XV. Galliarum rex renovavit praescriptiones de regio placito; prima incipit *Pateretur* ad eumdem regem; secunda *Quam graviter*, utraque diei 25. Iunii 1766.

22. Idem Pontifex edidit quoque bullam *Alias ad apostolatus*, die 10. Ianuarii 1768, adversus ducem parmensem, qui cum esset parvus, tantum Christo eiusque Ecclesiae bellum indicere potuerat.

23. Item in regno neapolitano servitus fovebatur Ecclesiae, opera praesertim ministri Tanucci, et in Etruria sub Leopoldo magno duce. Tandem hoc saeculo XVIII. et in Germania pullulare coepit abusus regii placiti, quod tamen tantum sub Iosepho II. in systema pertransiit; et nota est sollicitudo et peregrinatio summi Pontificis Pii VI. ad mala Ecclesiae mitiganda.

24. Superveniens autem socialis subversio docuit principes an ab Ecclesia vel ab eius hostibus esset eis timendum; ideoque rebus civilibus compositis, et cum Ecclesia foedus inire per concordata, curaverunt. Tamen cum principia subversiva rursus praevaluerunt, magna contradictione, libertas est generalis procla-

mata, exclusa tantum Ecclesia ab eius participatione, aut saltem multis ei appositis limitationibus.

25. Ut autem evidentius appareant damnationes regii placiti, ordine chronologico exhibemus bullas pontificias contra illud latas.

1. Martini V. *Quod antidota*, 2. kal. Mai. 1418, in qua refertur constitutio Bonifacii IX. *Intenta salutis*, diei 14. Ian. 1403, contra placitum episcopale.

2. Innocentii VIII. *Olim felicis recordationis*, 3. Februarii 1486.

3. Eiusdem, *Dilectus filius*, 30. Sept. 1486.

4. Eiusdem, *Officii nostri*, 31. Ian. 1491.

5. Leonis X. *Regimini*, 1515.

6. Eiusdem, *In supremo*, octavo kal. Mart. 1518.

7. Clementis VII. *Romanus Pontifex*, 1533.

8. Innocentii XI. *Decet Romanus Pontifex*, 28. Iunii 1689.

9. Clementis XI. *Alias ad apostolatus*, 17. Oct. 1711.

10. Eiusdem, *Nova semper*, 29. Novembris 1714.

11. Eiusdem, *Accepimus nuper*, 11. Ianuarii 1715.

12. Eiusdem, *Ad apostolatus nostri*, 18. Aug. 1719.

13. Benedicti XIV. *Pastoralis regiminis*, 30. Martii 1742.

14. Clementis XIII. *Postquam nobis*, 15. Ian. 1763.

15. Eiusdem, *Ea est de tuo*, 15. Ianuarii 1763.

16. Eiusdem, *Pateretur*, 25. Iunii 1766.

17. Eiusdem, *Quam graviter*, 25. Iunii 1766.

18. Eiusdem, *Alias ad apostolatus*, 10. Ian. 1768.

19. Pius IX. *Apostolicae Sedis*, 22. Aug. 1851, qua damnatur opus Ioannis Nepomuceni Nuytz, *Iuris ecclesiastici institutiones* quas habuerat in athenaeo taurinensi, nec non aliud eius opus, *In ius ecclesiasticum universum tractationes*.

20. Eiusdem, *Probe nostis*, 9. Maii 1853, cum in Indiis orientalibus quidam renuerent obedire s. Sedis constitutionibus, quia carentibus placito regio.

21. Prop. 41. syllabi damnata, quae ita sonat: « Ci-« vili potestati vel ab infideli imperante exercitae, « competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem « proinde competit nedum ius quod vocant *exequatur*, « sed etiam ius *appellationis*, quam vocant ab *abusu* ».

22. Tandem habetur bulla *In Coena Domini.*

Ita appellatur quia legebatur seu de novo promulgabatur quolibet anno, feria quinta maioris hebdomadae. Card. Iosephus Hergenroether [1]) asserit hanc Constitutionem ascendere ad saeculum XIV. Sub beato Urbano V. (anno 1362-70), continebat articulos septem; decem sub Martino V. et alias deinde variationes subiit. Eius vis considerabatur pendere ab annuali publicatione; sed s. Pius V. anno 1568 ei dedit vim perpetuam. Revisa fuit ab Urbano VIII. anno 1627 et postea remansit substantialiter eadem. Ultima vice publicata est anno 1769; idest sub Clemente XIV. non amplius publicata est. Damnatio expressa regii placiti in bulla *Coenae* coepit sub Iulio II. anno 1511; eius bulla in *Coena Domini* incipit *Consueverunt* (non enim conservabantur semper eadem verba initialia); et § X. habet: « Ac illos, qui ne litteris et mandatis Sedis Apostoli-« cae, gratiam vel iustitiam concernentibus, decretisque « super illis et re iudicata, processibus et executoria-« libus, non habito prius beneplacito et assensu, ne « pareatur etc. praesumunt ».

Post Paulum V., contra regium placitum, quolibet sub praetextu, etiam informandi summum Pontificem,

1) La Chiesa Cattolica e lo Stato cristiano, dissertazione 4. part. 2. n. 9.

habentur in bulla *Coenae* paragraphi duo, idest 13. et 14.

26. His solemnissimis constitutionibus addi possent plures actus s. Sedis, praesertim anathema s. Pii V. contra ducem complutensem; congregationes ex mandato Gregorii XIII. habitas, ipsarumque responsa; decretum s. Congregationis de Propaganda fide 2. Octobris 1673, approbatum a Clemente X. die 4. Octobris; decretum s. Officii 27. Februarii 1737 et 4. Sept. 1737, approbata a Clemente XII; querelas Pii VII. contra articulos organicos arbitrarie concordato additos a Napoleone consule.

Tamen aliquando Ecclesia ad maiora mala vitanda, praesertim deficientiam sacrorum ministrorum, tolerat ut a clericis impetretur hoc regium placet, et aliquando in concordatis; pro minoribus beneficiis aliqua privilegia principibus concessit.

ARTICULUS III.

Placiti regii iniustitia.

27. His positis, veniamus ad 3^um^ de eius iniustitia. Iuxta principia fidei est nimis evidens; etenim Ecclesiae potestas est omnino independens, et Dominus ligat et solvit in coelis quod in terra ligatum vel solutum est ab Apostolis sine ullo regio placet. Hinc Ecclesia non esset societas perfecta et independens si eius leges deberent firmari approbatione civili.

Ecclesia autem est non modo independens a statu, sed etiam ei indirecte superior.

ARTICULUS IV.

Solutio difficultatum.

28. Regalistae aut propugnant hoc ius haereticis principiis, aut veris sed male applicatis. Haereticis principiis negando Ecclesiam esse independentem, sed eam considerando ut collegium: isti refutantur in locis theologicis, sive sacra Scriptura, sive traditione. Iure autem naturae ostenditur, religionem, ut notavimus lib. I. partis I^ae^ n. 475 et seqq., etsi plurimum intersit status, tamen constituere ordinem separatum et distinctum, ideoque non repugnare dividi eius curam, a cura terrena, auctoritate sive humana sive praesertim divina; in hac hypothesi, statui nulla est potestas in re religiosa; in illa ius habet impediendi dogmata et facta evidenter repugnantia iuri naturae, et videndi an aliquis sit qui provideat religioni; si enim nemo providet, status supplet.

29. Etiamsi Ecclesia esset collegium, regium placet esset adhuc aliquid enorme, eo modo quo exercitum est; siquidem super cetera collegia, status exercet tantum vigilantiam ne contra ipsorum statutum aliquid decernatur, non autem arbitrio suo irritat ipsorum actus; nulla autem societas neque commercialis sic consisteret.

30. Sed arguunt quoque ex principiis iuris naturae veris, male tamen applicatis, idest ex iure principis defendendi iura societatis, ex quo derivaret ius quod dicunt *cavendi;* idest princeps ius habet cavendi ne iura societatis offendantur. Iamvero cavere nequit nisi examinet praeventive et approbet vel reprobet

actus ecclesiasticae auctoritatis. Ergo ei competit ius placiti.

Idem deducitur ex iure *circa sacra*, quod distinguitur a iure *in sacra*. Hoc enim est ius rem religiosam positive ordinandi; illud e contra est ius invigilandi et inspiciendi res sacras ne limites suos transgrediantur; quod ius statui competit, sicut ius defensionis ab hostibus, quod cuilibet competit.

Prima responsio est indirecta. Simile ius multo magis competeret Ecclesiae erga leges civiles, praesertim cum experientia ostendat, saepe eas offendisse leges divinas; sed Ecclesia etsi aliquando post factum, irritaverit leges civiles, numquam exegit praeventivam approbationem. Iamvero status nisi sit incredulus, contendere nequit minorem esse auctoritatem Ecclesiae quam suam, aut minus periculum, cum Ecclesia habeat adsistentiam Spiritus sancti. Status etiam incredulus concedere debet Ecclesiam utpote praeditam tantum vi morali, difficilius posse usurpare iura societatis civilis in qua vivit et quae habet vim armatam.

31. Resp. autem directe: status ius habet invigilandi ne eius iura violentur, et cavendi, servata subordinatione ordini superiori concedo, secus nego; atqui non posset cavere nisi apponeret placet: servata subordinatione nego, ea non servata subdistinguo, non posset cavere absolute et irrationabiliter concedo, moraliter et rationabiliter nego et nego consequens.

Status ita debet sibi cavere, ut non offendat iura maiora; iamvero status est Ecclesiae subordinatus (ratione finis, non materiae); ergo nequit offendere eius independentiam ut sibi caveat. Ita etsi aliquo sub respectu sit superior familiae, haec tamen multis sub respectibus est autonoma, cum ipsa praecedat iure

naturae ut fundamentum. Hinc etsi status quamdam vigilantiam super familiam valeat exercere, tamen non potest eius autonomiam auferre; hinc neque praeventivam impetrationem auctorizationis exigere pro valore actuum patrisfamilias.

32. Sed 2° etiam praescindendo a violata subordinatione, neque ut sibi caveat ab Ecclesia, necessarium est regium exequatur. Etenim hoc procedit ab incredulitate, qua putant Ecclesiam non esse divinae institutionis, sed humanae, et tendere ad dominium universale ut supplantet reges. Est semper fabula lupi et agni turbantis aquas, quae verificatur. Sed Ecclesiae leges generales semper iustae sunt et rectae; si aliquod particulare damnum per accidens derivet alicui regioni, sufficit recursus ad ipsam auctoritatem Ecclesiae quae videbit quid sit praeferendum; ita exigit debita subordinatio. Si autem actus esset inferioris auctoritatis, tunc rigorose loquendo hic esse posset et iniustus; verum remedium est appellatio ad superiorem auctoritatem; et quod fit per accidens, nequit auctoritatem conferre, negandi debitam competentiam. Haec ratio est, ob quam Ecclesia non tribuit sibi ius placiti in legibus civilibus, quia sunt competentiae civilis; hinc per se valent absque Ecclesiae placito; sed si per accidens sint iniustae, Ecclesia eas irritat ut superior, quod nequit fieri a statu. Ergo neque necessarium est placitum pro honesta et probabili securitate status, sed tantum si quis irrationabilem et tyrannicam securitatem status inducere vellet.

33. Ex hac postrema ratione neque status acatholicus potest rationabiliter exigere praeventivum placet, sicut excessivum esset si fieret cum collegiis quae status pars sunt. Hinc et status acatholicus deberet expectare

aggressionem Ecclesiae (si Ecclesia posset errare); habet autem et status incredulus hoc pignus ex parte Ecclesiae, ipsam profiteri immutabilitatem dogmatum, ideoque semel definitis, addere potest, sed non detrahere aut contradicere; quod et historia ostendit. Cum autem sit notissimum Ecclesiam inculcare obedientiam principibus et se incompetentem asserere in iis quae referuntur ad ordinem temporalem tantum, sequitur nullum probabile periculum usurpationis a statu timendum esse, cum Ecclesia sese exponeret evidenti obiurgationi status, praesertim cum hic habeat vim armatam, et proinde Ecclesia potius soleat cum principibus abundare.

CAPUT II.

DE REGIA NOMINATIONE ET IURE REGALIAE.

§ 1.

De regia nominatione.

34. Quaeritur an aliquod sit ius proprium civili auctoritati in constituendis Ecclesiae ministris. Dicitur proprium quia si Ecclesia ex. gr. per concordata aut privilegia aliquid concedat, est ius delegatum et tamdiu perdurat, quamdiu ab Ecclesia non revocatur. Etiam in hoc casu missio canonica seu collatio iurisdictionis spiritualis, semper ab Ecclesia recipitur, sed modo analogo iuri patronatus, gubernium praesentat seu

nominat, et Ecclesia instituit, si nihil obstat, vel auctoritas Ecclesiae interrogat auctoritatem civilem antecedenter; sed iurisdictio semper ab Ecclesia accipitur et eius nomine exercetur.

35. Iamvero potest inspici quaestio pluribus sub respectibus: 1° relate ad collationem potestatis ordinis; 2° quoad missionem canonicam seu collationem potestatis iurisdictionis; 3° utroque sub respectu quaeri potest relate ad validitatem et ad liccitatem an requiratur aliqua participatio auctoritatis civilis. Auctoritatis civilis praetensio sustineri potest vel quatenus repraesentat fideles, vel quatenus habeat ius proprium. Evidens est nullum ius eidem competere, neque proprium quia Ecclesia est independens, neque repraesentative quia nullum ius competit populo in ministris constituendis, quia Ecclesia est societas vere inaequalis, ut scimus ex locis theologicis, et ut illustravimus in iure publico interno lib. 2. partis primae.

36. Pertinet autem ad fidem ordinationes esse validas et legittimas absque placito populi aut imperantium. Id docet Tridentinum sess. XXIII. cap. 4. de eccles. hierarchia et ordinatione. « . . . . Docet insuper « sacra Synodus, in ordinatione episcoporum, sacer- « dotum et ceterorum ordinum, nec populi nec cuius- « vis saecularis potestatis et magistratus consensum « sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit « ordinatio ».

Et can. 7. definit validitatem et can. 8. definit legittimitatem; can. VIII. « Si quis dixerit Episcopos, qui « auctoritate romani Pontificis assumuntur non esse « legittimos et veros episcopos sed figmentum huma- « num, anathema sit ». Ex quo sequitur habere et iurisdictionem sola romani Pontificis assumptione, et

etiam licite exercere suam potestatem cum dicantur veri et legittimi.

37. Regalistae autem contendunt aliquam participationem civilis auctoritatis esse necessariam, et alii sunt aliis rigidiores, in quo extremae consequentiae nostris temporibus deductae sunt. Rigidiores enim contendunt ordinationem quidem validam esse, sed acceptam potestatem non posse licite exerceri absque beneplacito regio, ideoque puniri posse a laica potestate presbyteros ex. gr. missam celebrantes, qui a statu facultatem non impetraverint. Quoad iurisdictionem autem contendunt etiam invalide exerceri saltem in foro externo; hinc statum esse valde benignum si permittat omnes ordinari qui quibusdam satisfecerint conditionibus, ex. gr. studiis status. Non omnes tamen easdem extremas conclusiones deducunt.

38. Haec theoria partim confunditur cum regio placito, de quo supra, partim distinguitur, quatenus contendunt statum ius habere designandi ministros qui ab Ecclesia sint ordinandi, et ecclesiastica iurisdictione donandi, et proinde est aliquid amplius et positivum, dum regium placet est negativum.

Iamvero status non habet ius proprium designandi futuros ministros, quia Ecclesia est independens; unicum sophisma est: quia interest reipublicae ob innumeros effectus externos et temporales, Ecclesiae ministros esse idoneos et statui benevisos, et non hostiles [1]).

Sed ad primam partem respondetur: interest tamquam attendant directe bono temporali nego, indirecte concedo. Iamvero quae indirecte derivant ex connexione

1) Minghetti, Stato e Chiesa, cap. 4. pag. 54. ediz. 2.

cum ordine superiori, non dant ius sese ingerendi in eumdem superiorem ordinem.

Quoad secundam partem: « status ius habet ut Ecclesiae ministri non sint ei hostiles », respondeo iudicio ipsius Ecclesiae, quae est auctoritas ordinis superioris, concedo, iudicio proprio, nego. Deinde nota ex hoc ad summum sequeretur ius placiti, non praesentationis. Et deinde saepe ministri Ecclesiae adversantur statui quia mala docet et facit.

39. Quaeritur an status saltem habeat ius exigendi fidelitatis iuramentum ab episcopis.

Resp. esse iniustum, iniuriosum et captiosum. Iniustum, quia quatenus episcopi sunt, nullam in eos habet civilis auctoritas potestatem; iamvero iuramentum hoc exigitur ab eis quatenus episcopi sunt et pro exercitio suae pastoralis potestatis.

2° Est iniuriosum, quia diffidentiam in episcopos ostendit.

3° Est captiosum, quatenus videtur suadere in pastorali officio eos pendere a civili potestate, ideoque ei speciale praestare fidelitatis iuramentum ut officiales laici.

40. Obiicies: quomodo ergo aliquando in concordatis conceditur huius iuramenti praestatio? Resp. tunc episcopi illud praestant iussu Ecclesiae et non civilis auctoritatis; nos autem loquimur de civili potestate nomine proprio exigente hoc iuramentum.

41. Potest autem Ecclesia iubere episcopos iurare, quia de se est de re licita; imo ad quascumque indebitas declinandas suspiciones potest Ecclesia hoc praescribere iuramentum, ut probet se paratam reddere cuique quae sua sunt, ideoque et ita exercere pastorale officium ut nullo modo attentet iuribus civilibus.

Imo ut populis debitae reverentiae erga civilem auctoritatem exemplum exhibeat, cum praesertim sociales conditiones id suadent; nec non ad concordiam utriusque potestatis ostendendam. Igitur vel sponte sua Ecclesia illud imperat, vel saltem morem gerit in hac re civili potestati, sicut et in aliis pluribus auctoritate sua concedens quod de cetero non esset debitum.

Usque ad annum 800 numquam in Oriente Patriarchae aut Episcopi iuramentum praestiterunt; imo Iustinianus prohibuit in quovis negotio exigi iuramentum ab Episcopis, sed « ut propositis sacris Evangeliis, « secundum quod decet Sacerdotes, dicant ea quae no- « verint, non tamen iurent ».

In Occidente, primo iuramentum ab Episcopis praestari coepit regibus in Hispania, probantibus Conciliis Toletanis; id factum est ob frequentes regni usurpationes, ex quibus reges consideraverunt iuramentum ut necessarium. Sed non praestabatur a singulis Episcopis, et multo minus cum ad episcopatum promoverentur, sed ab omnibus simul una cum aliis regni ordinibus, vel in coronatione regis, vel in comitiis generalibus regni aut in Conciliis.

In Gallia coepit praestari sub Carolo Magno et Ludovico Pio, sive ob feuda Episcopis collata, sive ob participationem generalem negotiis regni; aliquando tamen Episcopi renuebant iurare, quia « lingua Epi- « scopi quae facta est per Dei gratiam clavis coeli, « nefarium est, ut sicut saecularis quilibet super sacra « iuret in nomine Domini et Sanctorum invocatione », ut Episcopi Concilii Carisiacensis anno 815 scribunt Ludovico Pio imperatori.

Tempore vero feudali duplex distinguebatur iuramentum, subiectionis quam cives debet principi, et

homagii quod praestat fundatarius domino suo ex quo fit eius homo; aliquando in Gallia et Anglia et hoc iuramentum toleratum fuit in Episcopis ratione feudorum [1]). Sed postea a summis Pontificibus prohibitum clericis ut indecens ipsorum gradus, nisi habuissent feuda personaliter, et non nomine Ecclesiae, cap. *Nimis* 30. de iureiurando.

§ 2.

De iure regaliae.

42. Hoc nomine veniebat ius principis fruendi praebendis vacantibus et nominandi ad beneficia non curata, sede vacante [2]).

Iam vero positiva concessione Ecclesiae et hoc iure posse principes gaudere, indubium est.

Item iure patronatus si fundando beneficia tales conditiones apposuerint et a competenti Ecclesiae auctoritate fuerint acceptatae.

Verum abusus fuit quatenus reges aliqui id sibi adscripserunt marte proprio et veluti ius innatum coronae, ex quo nomen regaliae. Id processit ex falsa applicatione iuris feudalis, quia feudum vacans redibat ad dominum (seniorem), donec rursus ab eo conferretur. Id quoque nullo modo fuisset applicabile beneficiis ecclesiasticis, etsi fuissent regiae fundationis, quia non ad normas iuris feudalis, sed canonici intelligebatur facta ab antiquis regibus et ab Ecclesia acceptata, nisi aliud ostensum fuisset, positive constitutum. Etsi autem Ecclesia posset fructus vacantis beneficii patrono

1) V. Barbato, Chiesa libera in libero stato, § 8 et seqq. Firenze 1866.
2) V. si tibi licet, Van-Espen, part. 2. tit. 25. de iure patronatus, cap. 8.

concedere, non tam facile ei permitteret et collationem beneficiorum spectantem ad sedem vacantem. Insuper quod concederet pro aliquo beneficio vel dioecesi, non posset facto proprio extendi ad alia.

Concilium enim Lugdunense II. toleravit ius regaliae ubi esset pacifice introductum; severe tamen vetuit eius extensionem.

Ius regaliae dictum est etiam *custodia*. Regalistae recentiores etiam ex eo explicant ius regaliae quoad fruitionem bonorum beneficii vacantis, quod putent Ecclesiae non competere ius proprium acquirendi et possidendi bona temporalia, sed tantum ex benigna status concessione. Status autem intendit hanc facultatem concedere non modo revocabilem, saltem ex causis extraordinariis, sed insuper ea perenni sub conditione, ut vacante officio ecclesiastico, usufructus redeat ad coronam, quae satis pia est si redditus sic perceptos in alios ecclesiasticos usus impendit, ex. gr. ad parochis pauperioribus succurrendum.

Quae, ut patet, haereticali principio innituntur, et enuntiasse sufficiat.

43. Imperator Rodulphus anno 1275 renuntiavit pro universo imperio iuri regaliae, declarans fuisse suorum antecessorum usurpationem [1]).

In Gallia hoc ius primo absolute assertum est a Parlamento parisiensi anno 1608; sed clero reclamante ad regem Enricum IV., causa ad eius tribunal avocata est. Sed tempore procedente ad aliquas primo provincias extensum est, et sub Ludovico XIV. ad omnes, ea speciosa de causa quod corona Franciae esset ro-

1) V. Rohrbacher, lib. 75. (vol. 10. pag. 285 edit. italicae an. 1862 pluries citatae).

tunda, serviliter assentientibus comitiis cleri an. 1682, et repugnante sancta Sede [1]).

Non defuerunt tamen qui mala gravissima perpessi sunt potiusquam adhaerere usurpationi regiae quae arbitrarie extendebat ad omnes regni provincias privilegium obtentum vel saltem toleratum in nonnullis provinciis. Ita in dioecesi Pamiensi, 80 parochi vel in carcerem vel in exilium acti, et Vicarius generalis damnatus atque in effigie combustus [2]).

CAPUT III.

DE APPELLATIONE TAMQUAM AB ABUSU.

44. Appellatio proprie dicta est « provocatio ab in- « feriore ad superiorem iudicem, ratione gravaminis « illati vel inferendi ». Est iudicialis vel extraiudicialis prout fit ab actibus iudicialibus vel extraiudicialibus. In extraiudiciali habetur *inferior a quo*, sed non proprie *iudex a quo* appellatur. Sed habetur et appellatio improprie dicta, quando nempe a sententia iudiciali vel extraiudiciali appellatur ad iudicem diversi ordinis.

Appellatio fit vel a sententia iniqua vel iniusta. Iniqua est, quae lata est a competente auctoritate et servatis solemnitatibus iuris, sed male, saltem iuxta aestimationem appellantis; iniusta est, cum lata est

---

1) Vide Becchetti, Ultimi quattro secoli, lib. 32. § 14. 25. 45. 57. 59. 82. et seqq.

2) V. Rohrbacher, lib. 88. (vol. 14. pag. 277. edit. 1862).

ab auctoritate incompetente vel spretis solemnitatibus iuris, vel etiam si manifeste sit iniqua, idest manifeste contra legis dispositionem; ex. gr. contra beneficiatum non residentem, concilium Tridentinum statuit primo anno privetur media parte fructuum, secundo anno omnibus fructibus, et tantum post tres annos et tres monitiones, ipso beneficio; si iudex ecclesiasticus statim post primum annum privaret beneficio, sententia esset non modo iniqua sed iniusta. Sententia iniusta dicitur etiam iudicium iniustum, quae denominatio praeferenda est, vel ad omnem ambiguitatem auferendam dicatur invalida.

Appellatio a sententia iniqua dicitur simplex, ab iniusta, tamquam ab abusu.

45. Richerius saec. XVII. inunte, Febronius saeculo superiori, et in genere gallicani et aulici seu regalistae asserunt principi ius recipiendi appellationes secundi generis tantum. Primum enim erat et pro ipsis nimis absurdum, nempe auctoritatem laicam iudicare in materia ecclesiastica super meritum causae; sed dicunt posse 1° iudicare de legalitate, seu iudicare potest de incompetentia si iudex ecclesiasticus tribuat sibi videre causas quae non sunt eius fori; ad cognoscendum enim quae sunt fori civilis, competens est auctoritas civilis. Sed nota, saepe iudices laicos considerare ut causam laicam quae non est, seu limitare competentiam Ecclesiae.

Item 2° dicunt iudicem civilem iudicare posse si solemnitates iuris non fuerint servatae etiam in causa ecclesiastica, quia hoc est factum externum sicut in foro civili; pertinet autem ad statum protegere subditos a quacumque tyrannide et oppressione; hinc recursus ad potestatem laicam adversus ecclesiasticam

dicitur etiam *invocatio regiae protectionis* [1]); ex quo principio quaedam gubernia recentiora ulterius progressa sunt, ut nempe vellent iudicare et de merito causae, seu an esset iniqua.

46. Praesertim autem excludunt suspensiones ex informata conscientia, quas concilium Tridentinum concessit episcopis, utpote semper iniustas, quoniam non fiunt servatis solemnitatibus iuris. Quae autem diximus de appellatione iudiciali, analogo modo et de extra-iudiciali dicunt.

Specialis autem praetensio habebatur in Hispania sub titulo pragmaticae Catalauniae, quod nempe nollent officiales regios excommunicari nisi de licentia regis. Quod aliquando, sed incassum, tentatum est et in Gallia [2]).

Remedia autem regia adversus iudicem ecclesiasticum quem putabant procedere contra ius, erant ex Van-Espen, 1° occupare eius bona temporalia; 2° auferre ei civitatem; 3° punire executores etiam sententiae pontificiae eosque cogere suis expensis ad reportandam absolutionem ad cautelam a censuris quas forte resistentes Ecclesiae incurrissent!! [3]).

Remedium appellationis seu recursus ad principem vocabant etiam *remedium cassationis laicae* [4]).

---

1) Vide Suarez, *Defensio fidei,* lib. 4. cap. 34.

2) V. Rohrbacher, Hist. Eccles. lib. 73. (vol. 9. pag. 616 et 618 citatae editionis 1862).

3) Dissertatio de censuris ecclesiasticis, cap. 8.

4) Vide, si tibi vacat, alium eiusdem Van-Espen tractatum, *De recursu ad principem,* praesertim cap. 5. et 6.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ARTICULUS I.

Reiicitur ius status recipiendi appellationes tamquam ab abusu.

47. Statuimus 1° appellationem proprie dictam sive iudicialem sive extraiudicialem a iudice ecclesiastico ad laicum esse omnino intolerabilem. Etenim, ut ex definitione patet, est provocatio ab inferiori ad superiorem iudicem eiusdem ordinis, super gravamine illato vel inferendo; sed iudex laicus non est superior eiusdem ordinis, quia ordo civilis heterogeneus est ordini ecclesiastico. Ergo appellatio proprie dicta dari nequit.

48. Neque admitti potest appellatio improprie dicta in materia ecclesiastica; nam ordo civilis, et proinde iudex laicus nullo modo est superior, sed est inferior ordini et iudici ecclesiastico, et proinde indirecte dependens.

Neque speciali aliquo titulo legittimari potest. Ratio 1ª quae affertur esset, quatenus ad statum spectet defendere subditorum iura, quae ex hypothesi laederentur a iudice ecclesiastico. Sed respondetur: ad statum pertinet defensio iurium civilium seu temporalium quatenus talia sunt; non autem spiritualium contra ipsam auctoritatem spiritualem, vel temporalium quae per consequens descendunt a spiritualibus, quoniam haec iudicari nequèunt nisi illis iudicatis. Ex. gr. si clericus privetur beneficio, per consequens habet damnum temporale, cuius iustitia pendet a iustitia causae spiritualis ob quam privatus est praebenda. Cum status sit incompetens in causa spirituali, hinc et in secunda; proinde iniusta est ea agendi ratio guberniorum quae effectus temporales reintegrant nisi eis bene visa fuerit causa spiritualis a qua descendunt; ex. gr. exigunt

praebendae redditus adhuc tribuantur clerico si suspensio vel depositio lata fuerit ob causam a gubernio non approbatam.

49. Huiusmodi procedendi ratio est etiam contra principia iuris moderni quod innititur in maxima libertate civium. Etenim qui ecclesiasticum officium suscipiunt, illud suscipiunt exercendum iuxta leges Ecclesiae, iudicio ipsius Ecclesiae; sicut servus vel alius minister privatorum, iudicio domini perseverat in famulatu vel ministerio suo, et si dimittatur, quidquid sit coram Deo de iustitia causae, coram hominibus seu societate civili, semper valide dimittitur absque ulla compensatione pro futuro tempore.

50. Quaedam gubernia improbant ipsas sententias Ecclesiae, quae nullum effectum temporalem habent, nisi sint iuxta leges civiles; aiunt enim eas auferre honorem, ex. gr. excommunicationem; honoris autem tutela ad societatem civilem spectat.

Respondeo: auferunt honorem quatenus derivat ex mero ordine civili nego, ex ordine superiori concedo, et contradistincta minori negatur consequens.

Et notandum: etsi excommunicatio et aliae poenae ecclesiasticae auferant honorem iuxta rei veritatem, tamen non auferunt iuxta principia moderna docentia quemque liberum esse sequendi religionem quae magis ei libuerit; etenim dicunt, discedere a praeceptis, doctrina et communione catholica non esse indecorum; ergo neque dedecus infertur ab Ecclesia eos separando qui recedunt.

51. Sed neque 2° appellatio, ratione ipsius abusus potest admitti. Et primo quoad competentiam. Ut auferamus occasionem ob quam quidam minus recte sese exprimunt, distinguamus duos casus; vel sermo est

de iudicanda competentia inter statum et Ecclesiam, idest inter duas supremas auctoritates, vel competentiam iudicis ecclesiastici inferioris iuxta leges ipsas Ecclesiae. Si primum, evidens est ad illam auctoritatem spectare iudicium competentiae quae superior est, cum ordo inferior debeat inservire superiori et ei accommodari, non autem viceversa. Iamvero supradicti illi gallicani tribuebant auctoritati civili iudicium de hac competentia.

In secundo casu sermo est de illo ecclesiastico iudice, qui sibi attribuit ea quae iuxta ipsas Ecclesiae leges non competunt tribunali ecclesiastico; tunc quaestio directe non est inter Ecclesiam et statum, sed inter statum aut civem et iudicem ecclesiasticum particularem. Iamvero si res sit dubia, recurrendum est ad superius tribunal ecclesiasticum, quia verum seu auctoritativum iudicium non fit nisi a superiore. Si res sit patens, tunc quidam auctores docent a tribunali etiam laico posse declarari irritam, praesertim si accessus non pateat ad superius tribunal ecclesiasticum.

52. Sed sequentibus observationibus quaelibet aequivocatio auferri potest. Auctoritativum iudicium spectat tantum ad iudicem ecclesiasticum. Verum 1° aliquando potest sive privatus sive tribunal laicum, nullam rationem habere sententiae iudicis ecclesiastici, ideoque illi executionem non dare, quatenus ad forum civilem refertur, ex, gr. si vis publica imploraretur ad depellendum episcopum condemnatum ab haereticis. Id argui potest ex generali principio iuris tum canonici tum civilis, sententiam evidenter iniustam vel manifeste iniquam, esse nullam etiam sine appellatione; et proinde elapso quovis tempore, semper potest et debet

haberi ut nulla a quovis tribunali [1]). Tamen post 30 annos praescribitur, si res sit praescriptibilis. De cetero semper potest exceptio opponi, et sperni etiam a privatis; ergo et a tribunali laico. Sed, ut evidens est, tribunal laicum in hoc casu non profert iudicium auctoritativum, sed procedit ex evidentia, more privatorum. Si autem tribunal inferius ecclesiasticum insistat, tunc iudex laicus appellet ad tribunal superius ecclesiasticum.

Ita explicatur quod Doctores praestantissimi asserunt de iure reiiciendi sententiam iudicis ecclesiastici, manifeste invadentis campum auctoritatis civilis, contra certam doctrinam ipsius Ecclesiae [2]).

53. Tamen quoad sententiam iniustam ex omissione solemnitatum, notandum est, si agatur de ipso principe iudicante, potest sciens et prudens dispensare ab omnibus solemnitatibus, servatis essentialibus de iure naturae. In dubio autem iustitiae standum est pro eius sententia; hinc superest tantum quaestio, quid in casu evidentis abusus supremi Pontificis, in iis quae mutare nequit, ideoque cum eius sententia est directe vel indirecte contra ius divinum? Etenim in factis particularibus potest et ipse errare. Tunc per se quis non tenetur obedire, sed teneri poterit per accidens ad vitanda scandala. Si autem praecipiat illicita, tunc obtinet quod ait Bellarminus *de Romano Pontifice* lib. 2. cap. 29: « Licet resistere Pontifici invadenti animas « vel turbanti rempublicam et multo magis si Eccle-

1) L. 19. ff. de appell. l. l. § 2. ff. Quae sententia sine appellatione rescindatur. Cap. 1. et 22. de sententia et re iudicata; cap. 64. de regulis iuris in 6.

2) V. Card. Hergenroether, *La Chiesa Cattolica e lo Stato cristiano,* dissertaz. 5. part. 2. n. 9. (vol. 1. pag. 350).

« siam destruere videretur, licet inquam ei resistere, « non faciendo quod iubet, et impediendo ne exequatur « voluntatem suam. Non tamen licet eum iudicare vel « punire vel deponere, quod non est nisi superioris ».

54. 2° A laica autem potestate potarat iuxta canones antiquos impetrari iudicium ecclesiasticum competens; ut in can. *Placuit* 11. c. 11. q. 1. qui est ex genuinis: « Placuit ut quicumque ab imperatore co- « gnitionem publicorum iudiciorum petierit, honore « proprio privetur; si autem episcopale iudicium ab « imperatore postulaverit, nihil ei obsit ». Hic canon tribuitur Concilio carthaginiensi VIII. et tradit clericos qui saeculare invocant iudicium, esse honore privandos, idest deponendos; non autem si petierint ut ab imperatore detur iudicium episcopale; etenim id significat petere ab imperatore ut det sanctionem civilem iudicio episcoporum.

Item can. *Filiis* 31. c. XVI. q. 7. qui est Concilii toletani IX. permittebat patronis invocare Episcopum vel iudicem contra sacerdotem qui defraudat bona Ecclesiae.

55. Praeterea notandum est duplici alio casu recurri posse ad laicam potestatem; hinc 3° si magistratus civilis inferior executionem det decreto iudicis ecclesiastici, qui iuxta ius ipsum ecclesiasticum sit incompetens vel iniustam manifeste tulerit sententiam, appellans petit ut executio non detur, saltem usque dum viderit tribunal ecclesiasticum superius si ad illud provocet tribunal ecclesiasticum inferius. Sic Socrates et Sozomenus tradunt s. Athanasium damnatum ab arianis episcopis appellasse ad imperatorem, quia haereticorum sententia non erat a brachio saeculari per poenam exilii executioni mandanda.

Item s. Ioannes Chrysostomus cum damnatus esset ex manifesta iniustitia a Theophilo patriarcha alexandrino, appellavit ad imperatorem ne a sua sede pelleretur.

Ita et Iulius II. constitutione edita anno 1505, quae lecta et approbata est in Lateranensi V. sess. 4. decernit electionem summi Pontificis simoniacam esse irritam et brachium saeculare esse invocandum ut sic electo impediatur occupatio Sedis apostolicae et exercitium usurpatae auctoritatis [1]).

Multo magis appellari potest ad superius tribunal civile contra abusum iudicis civilis inferioris, praesertim in statu qui non agnoscit Ecclesiae auctoritatem. Tunc enim si non iuri, paretur tamen necessitati. Ita respondetur regalistis obiicientibus appellationem s. Pauli a Festo praeside ad Caesarem. Act. xxv. 11. [2]).

56. 4° Recurri potest ad civilem potestatem si quis legittime appellet ad superius tribunal ecclesiasticum, ex. gr. ad summum Pontificem et iudex inferior, ex. gr. episcopus nolit suspendere sententiam adhibito brachio saeculari, vel nolit permittere et materialiter impediat recursum ad sanctam Sedem, ex. gr. si in carcere teneat appellantem.

In his enim casibus, civilis potestas praebet auxilium non ad canones contemnendos sed observandos, cum vim praebeat contra sententiam iudicis inferioris ut salva sit auctoritas iudicis superioris. Igitur hic interventus auctoritatis laicae, toto coelo differt ab appellatione ab abuso a gallicanis defenso; hic enim est ex hostilitate adversus Ecclesiam, non in adiutorium.

---

1) Rohrbacher, lib 83. (vol. 12. pag. 16. cit. ediz. 1862).

2) V. Zaccaria fr. Antonio, *Rendete a Cesare ciò che è di Cesare, ma sì a Dio quel che è di Dio,* parte 2. XXIII.

ARTICULUS II.

De sententiis ex informata conscientia 1).

57. Ante Concilium Tridentinum statutum erat clericos petentes promoveri ad altiores ordines, non posse repelli nisi ex causa canonica, seu in foro externo demonstrabili ex cap. IV. *de temporibus ordinationum et qualitatibus ordinandorum* (tit. XI. lib. 1. Decretalium), exceptis regularibus ex cap. V. eiusdem tituli, quia his superior ob votum obedientiae potest libere praecipere quae iusta putaverit. Hinc si clerici saeculares ex delicto occulto essent indigni, remittebantur Dei iudicio, quamvis episcopus teneretur eos suadere tamquam pater ut abstinerent et prohibere recordando iudicium Dei; idest applicabatur sacramento ordinis, theoria generalis de peccatore occulto publice petente. Idem erat de suspensione ab ordine iam suscepto.

58. Sed Concilium Tridentinum sess. XIV. cap. 1. *de reform.* considerans ad cleri reformationem valde expedire contrariam disciplinam, statuit sequens decretum: « Cum honestius ac tutius sit subiecto debitam « praepositis obedientiam impendendo in inferiori mi- « nisterio deservire, quam cum praepositorum scan- « dalo graduum altiorum appetere dignitatem, ei, cui « ascensus ad sacros ordines a suo praelato ex qua- « cumque causa etiam ob occultum crimen, quomodo- « libet, etiam extraiudicialiter, fuerit interdictus, aut « qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus « ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius

1) De hac re consulatur opus cl. Pallottini, *Pugna iuris pontificii statuentis suspensionem ex informata conscientia.*

« praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri « faciendo, aut ad priores ordines, gradus, dignitates « sive honores restitutio suffragetur ».

59. Hoc caput habet duplicem partem: 1° de novis ordinibus suscipiendis, 2° de suspensione ab ordinibus receptis. Prima minus impugnatur, agitur enim de iure acquirendo; altera magis, cum agatur de iure quaesito amittendo; prima iusta apparet, quia ordines sunt instituti in bonum publicum; hinc ius ad ordines non est inter bona privata; proinde quot et quales clerici sint promovendi remittitur prudenti iudicio episcopi, et quidem inappellabili appellatione in suspensivo. Verum quidem est extare periculum abusus ex parte episcopi, sed hoc periculum est rarum valde; e contra frequentior esset abusus indignorum qui vellent promoveri; et quoniam bonum publicum prae oculis habendum est, praesertim cum de ordinandis publicis officiis agitur, sapienter Ecclesia rem remisit prudenti episcopi arbitrio. Ad tuendos autem ex alia parte clericos, statutum est ipsos in devolutivo recurrere posse ad summum Pontificem qui ab episcopo exquiret motiva, et iudicabit de ipsorum veritate et gravitate, prudentia sua.

60. In secunda parte quaestio est de suspensione, quae dicitur ex informata conscientia. Nobis mens non est procedendi ad interpretationem huius capitis; tantum quaedam notamus pro re nostra ut iustitiam decreti Tridentini defendamus ab impugnationibus regalistarum, qui contra eius applicationem semper concedebant appellationem tamquam ab abusu. Quaesitum est a canonistis an in suspensione ferenda posset episcopus procedere ex informata conscientia, quocumque in casu, idest sive ob crimen occultum, sive publicum et iudicialiter demonstrabile absque ullo inconvenienti,

ex verbis illis « *quacumque ex causa*, etiam ob crimen occultum », vel an posset procedere ex informata conscientia, tunc tantum quando non posset convenienter procedere servato ordine iudiciali. Nequit autem convenienter procedere ordine iudiciali, si vel desint probationes delicti, quamvis episcopo certo constet, vel sequeretur grave damnum ipsi episcopo, aut scandalum in plebe [1]). Et canonistae plures extra Romam et nonnullae etiam antiquae decisiones sacrarum Congregationum favent primae sententiae, seu posse semper procedi ex informata conscientia; haec sententia est magis conformis litterae legis. Sed canonistae romani et posteriores uniformes decisiones sacrarum Congregationum cum clausula *et amplius*, quae apponitur causae cuius discussio non amplius admittitur utpote quae abundanter est eliquata, reponunt negative ex regulis generalibus interpretationis. Etenim lex antiqua non est abrogata per legem novam nisi quatenus evidenter inconciliabilis. Iamvero mens Tridentini fuit impedire peccatorum multiplicationem; etenim cum crimen est occultum non agitur de impediendo scandalo; sed quando peccatum est publicum, peccatorum multiplicatio aeque impeditur per sententiam iudicialem ac ex informata conscientia; cum autem haec sit odiosa, utpote exceptionalis, non est praesumendum, Concilium voluisse eam concedere cum procedi potest servato iuris ordine; secus fuisset abolitio universae legislationis ecclesiasticae iudicialis.

61. Neque dicas aliquem removeri posse et sine delicto ab ordinum susceptione; etenim aliud est de iure quaerendo, et aliud expoliare iure quaesito. Et proinde

1) Vide Santi, *Praelectiones iuris canonici*, lib. V. tit. 1. n. 11. et seqq.

dicendum est suspensionem ex informata conscientia esse subsidiariam, idest cum applicari nequit iudicialis processus; e contra ab ordinibus repelli quis potest et absque crimine, sed quia non dat signa vocationis, imo contraria; potest enim vir de cetero optimus, idoneus non esse statui clericali. Sed si repellatur ab ordinibus ex crimine publico, tunc oportet episcopus procedat servato iuris ordine ex paritate rationum ac in suspensione. Ex iisdem tamen declarationibus sacrae Congregationis Concilii potest episcopus procedere ex informata conscientia, etsi unicum crimen occultum adsit, quamvis extent alia crimina publica; vide Acta sanctae Sedis in compendium redacta vol. 14. in quo adest specialis dissertatio de hac quaestione, et afferuntur s. Congregationis Concilii analoga decreta.

62. Cum autem nostris temporibus saepe episcopi nequeant iudicialiter procedere quia obstarent leges civiles, tunc concedendum est iuxta finem a Tridentino intentum, ut possint procedere ex informata conscientia. Et cum in Italia non multis abhinc annis, presbyteri plures subscripsissent litteris Caroli Passaglia ad Pontificem directis, quibus eum rogabant ut renuntiaret dominio temporali, atque proinde incurrissent in censuras latas a s. Pio V. in constitutione *Admonet nos*, quidam episcopi ne se exponerent poenis civilibus allegando causam, eos suspenderunt ex informata conscientia, et interrogata s. Sede an suspensio haec sustineretur, responsum est (an. 1863) affirmative. Et tamen hoc delictum dici non potest occultum. Cuius rei ratio non alia adsignari potest quam a nobis indicata, idest interpretationem decreti Tridentini restrictivam admittendam non esse cum absque morali incommodo nequit procedi iudicialiter; mens enim Tri-

dentini fuit conferre episcopis tuta media pro salute animarum. His positis nobis defendenda est iustitia huius facultatis a Tridentino concessae.

63. Cum finis ministerii ecclesiastici sit bonum Ecclesiae, patet non modo quosdam repelli posse extraiudicialiter a ministerio suscipiendo, sed etiam suspendi ab eius exercitio, si id utile esse possit. Iamvero id aliquando est utilissimum, imo et necessarium. Cum autem episcopus nequeat hac facultate uti nisi per modum exceptionis, et insuper sit res provisoria, quia conceditur recursus ad summum Pontificem, apparet pro bono spirituali publico toleranda esse et quaedam incommoda quae aliquando per accidens esse possent, cum in qualibet societate, publici officiales subiiciantur exceptionali potestati superiorum qui aliquando procedunt non iudicialiter, sed administrative et arbitrio seu prudentia sua in suspendendis inferioribus; secus aliquando impossibilis esset recta gubernatio.

64. Notandum est etiam hic non agi de poena irreparabili, sed momentanea et reparabili. Ideoque non est cur tanta animi acerbitate in Concilium Tridentinum invehant. Experientia autem demonstravit hanc facultatem multum conducere ad clerum in debita subiectione et reverentia retinendum.

65. Etiam ex iure moderno, hae sententiae non sunt iniustae, quia qui suscipiunt ecclesiasticum ministerium, sciunt se subiici discretioni episcoporum, sicut in domibus privatis, famuli et ministri multo magis subiiciuntur dominis, qui et sine causa possunt eos dimittere, nec habent cui appellent.

CAPUT IV.

DE MONARCHIA SICILIAE.

66. Enormitas complectens hactenus recensitas usurpationes laicae potestatis, easque excedens, verificata est in ea quae dicitur *Monarchia Siciliae*, de qua breviter agendum, historiae causa, cum Deus qui ex malo eruit bonum, praesentibus perturbationibus usus sit ad eius abolitionem in concreto possibilem reddendam.

Exponamus igitur 1° in quo consistat Monarchia seu Legatia Siciliae; 2° eius originem; 3° eius criticam instituemus.

ARTICULUS I.

Quid sit Legatia seu Monarchia Siciliae.

67. Monarchia Siciliae consistit in hoc quod rex eiusdem, sit legatus summi Pontificis a latere natus, et proinde exerceat plenissime in suo regno insulari omnia iura quae solent competere legatis, imo et ampliora, ut ex dicendis patebit, concedendo dispensationes, indulgentias, beneficia minora et maiora, iudicando etc.; et insuper importat nullum alium legatum a s. Sede mitti posse nisi de consensu regis. Antiquis temporibus rex seu vice-rex delegabat pro opportunitate unum vel alium ad exercenda iura, praesertim *iudicia*, legatiae vel monarchiae, qui proinde eiusdem *iudex* dicebatur. Vice-rex volebat ad hoc officium eligi laicum; Parlamentum regni volebat ecclesiasticum; sed anno 1570 primo statutus est iudex stabilis, seu

ordinarius huius monarchiae Panormi sedens, ut vicelegatus apostolicus, sed a rege nominatus vel a vicerege. Sub finem autem saeculi elapsi rex creavit quoque alium iudicem, qui Messanae resideret independentem a iudice panormitano.

Dicebatur autem legatia, prima gemma coronae Siciliae, quia erat privilegium omnium carissimum regi; imo dicebatur et monarchia Siciliae, quia sic erat in regno unita in rege utraque potestas civilis et ecclesiastica; quod nomen proinde satis redolet indolem schismaticam.

68. Iamvero haec legatia esset concessio omnino specialis; ceteri enim legati, etsi nati, ut olim obtinebant, erant ecclesiastici non laici; 2. in omnibus pendebant a Papa, qui ipsorum potestatem poterat restringere vel etiam revocare, et actus corrigere; 3. non impediebant missionem aliorum legatorum vel recursum immediatum ad summum Pontificem eiusque interventum immediatum si expedire putaret. E contra in legatia Siciliae, rex erat laicus; 2. contendebant reges potestatem sibi concessam esse irrevocabilem; et 3. impediebant alios legatos; item 4. recursum immediatum ad summum Pontificem, nisi impetrata *venia scribendi;* item 5. impediebant executionem rescriptorum papalium, nisi obtento *regio exequatur.*

69. Iamvero postrema quatuor sunt *schismatica.* Etsi enim summus Pontifex valeat his similia concedere, tamen numquam esse potest cum limitatione suae potestatis; sed semper reservata sibi facultate aliter disponendi quoties expediens pro bono Ecclesiae reputaverit. Sed videamus an et liberata ab his excessibus schismaticis, legatia Siciliae sit genuina; et proinde sit

ARTICULUS II.

Origo et critica Legatiae Siciliae 1).

70. Bulla concessionis dicitur data ab Urbano II. anno 1095 vel 1099 Rogerio I. magno comiti Siciliae; sed usque ad annum 1512 iacuit ignorata; proinde cum tanti esset momenti fuit incognita per plus quam saecula quatuor.

Eam dixit detegisse dicto anno 1512, et publicavit Ioannes Lucas Barberius, qui tamen eius codicem nemini ostendit; hic Barberius accusatus est de pluribus diplomatibus confictis, quas accusationes ratas habuit Ferdinandus rex, dictus Catholicus. Sub Carolo V. quaesita sunt exemplaria antiqua huius Bullae, sed frustra.

Primus qui de ea loquitur est Gaufridus Malaterra in sua chronica, quae quamvis scripta in Sicilia, tamen per quatuor saecula ignorata fuit et publicata est tantummodo anno 1579 in Hispania iussu regis, dimidio saeculo postquam detecta fuerat a Barberio; edita est a Hieronymo Surita, viro ceteroquin egregio; sed non de ipso dubitatur, verum de Barberio. Ultimum documentum huius chronicae est dicta Bulla Urbani II.

71. Chronica de hac legatione ait: « Legationem beati « Petri super Siciliam habitam et habendam haeredi- « taliter ponit, ea discretione ut dum ipse Comes ad- « vixerit, vel aliquis *haeredum suorum zeli paterni* « *ecclesiastici executor* superstes fuerit, legatus alius « a Romana Sede, ipsis invitis, nullus superponatur ».

1) Quae exposituri sumus, desumpta sunt ex opere quod Taurini ex officinis Marietti edidit anno 1868 Sac. Melchior Galeotti, *Della Legazione apostolica in Sicilia*, et partim etiam ex *nota* Gubernii subalpini quod conatus est refutare acta pontificia, de quibus infra.

Verum haec quoque habet: « Sed si quae Romanae « Ecclesiae iuris exequenda fuerint, *chartulis* a Romana « Sede in Siciliam aut Calabriam directis, per ipsos con- « silio episcoporum earumdem provinciarum authentice « definiantur ». Chartulus vel chartularius aequivalebat apocrysario vel legato; haec dispositio quae dicitur inita inter Papam et comitem Rogerium repugnat dispositioni legatiae, cuius verba n. seq. referuntur, cum substantia privilegii sit ipsum principem esse legatum et nullum alium mittendum absque eius consensu. Haec igitur contradictio, adulterationis suspicionem ingerit. Insuper ait Malaterra, Urbanum II. concessisse legatiam Rogerio comiti, cum vidit se non posse aliter eum placare indignatum ex eo quod legatum nominaverat episcopum Trainensem. Sed id non est verisimile; etenim Urbanus II. vir erat fortissimus, qui excommunicaverat Philippum regem Franciae et Henricum III. imperatorem, neque timuerat Alexium Orientis imperatorem.

Urbanus II. sibi proposuerat sequi vestigia sancti Gregorii VII. Hinc in synodo claramontano, in quo bellum sacrum indixit, can. XVI. statuit: « Interdictum « est ne reges vel alii principes aliquam investituram « de ecclesiasticis honoribus faciant ».

Can. XX.: « Interdictum est laicis ne amplius Eccle- « sias vel altaria retineant ».

Et in synodo melphitana, can. XI.: « Ne gravamen « aliquod sancta patiatur Ecclesia, nullum ius laicis « in clericos esse volumus et censemus ».

Et in epistola ad comitem Ridulphum invadentem iura Ecclesiae salernitanae: « Nosse te volumus quia « nulli saecularium domino potestatem in clericos ha- « bere licet. Sed omnes clerici episcopo soli debent

« esse subiecti. Quicumque vero aliter praesumpserit, « canonicae procul dubio sententiae subiacebit [1]) ».

Quae omnia ostendunt, Urbanum II. fortissimum fuisse Pontificem, et alienum a concessionibus, timoris causa. Inter alias autem concessiones in dicta Bulla haec haberetur: « Si vero celebrabitur concilium, tibi « mandavero quatenus episcopos et abbates tuae ter- « rae mittas mihi, quot et quos volueris mittas; alios « ad servitium Ecclesiarum ac tutelam detineas ».

72. Pars autem substantialis privilegii est: « Quod « omni vitae tuae tempore vel filii tui Simonis aut « alterius qui legittimus tui haeres extiterit, nullum « in terra potestatis vestrae praeter voluntatem aut « consilium vestrum, legatum Romanae Ecclesiae sta- « tuemus; quin imo quae per legatum acturi sumus, « per vestram industriam legati vice exhiberi volu- « mus ». Certum est per alia documenta Rogerium I. fuisse charissimum Pontifici Urbano II. et ab eo multas obtinuisse facultates in ecclesiasticis, etiam erigendi cathedrales et dioeceses circumscribendi; nec mirum, cum ipse Siciliam liberaverit a iugo saracenorum qui a pluribus saeculis ibi dominabantur; hinc res christianas omnino collapsas restituit, ecclesias reaedificando, dotando etc., et simul resistendo graecorum insidiis qui eas Ecclesias ab obedientia Romanae subtrahere tentabant.

Tamen Bullam supradictam admittere non possumus I. ex argumento critico intrinseco. Etenim:

73. Prout primitus edita est a Barberio, erat an. 1095, an. XI. Urbani II. Salerni; sed cum Urbanus II. factus sit Papa anno 1088, annus eius XI. non est an. 1095,

1) Epist. 14.

sed 1099; hinc correcta fuit et positus an. 1099; sed tunc adest alia difficultas, nempe Urbanum Papam toto anno XI. fuisse Romae et non Salerni, et eo anno Romae mortuus est; si autem ponatur an. 1095 an. VII. pontificatus, adest difficultas alia, quia eo anno erat Gergobiae in Gallia (Clermont).

Igitur contra genuinitatem habemus has contradictiones in data; sed quoniam tribui possent exscriptorum errori, habemus:

74. II. Argumentum negativum sed in hac re insuperabilis vis, seu silentii per quatuor saecula; accedit nullum aliud exemplar praeter illud Barberii (quem scimus fuisse confictorem diplomatum) inveniri potuisse, cum tanti esset momenti ut exemplaria debuissent omnino multiplicari; illud autem Barberii ob errores datae, profecto nequit esse ipsum originale.

75. Hoc silentium fit omnino inexplicabile si animadvertamus hoc tempore reges Siciliae plurimum adlaborasse in obtinendis a sancta Sede privilegiis multo minoribus ac privilegia concessa in dicta legatia; imo saepe quaedam usurpasse, et in illis petendis aut his defendendis numquam invocasse legatiam; et id temporibus proximis ipsi Rogerio, adeo ut oblivioni tradi non potuisset si aliquando extitisset.

76. Hinc quidam dixerunt, etsi citata Bulla esset genuina, fuisset concessio tantum personalis facta Rogerio et eius filiis, ut satis innuunt verba citata Malaterrae: « Haeredum suorum *zeli paterni* ecclesiastici « executor etc. » Id omnino dicendum esset et ex verbis supra citatis eiusdem Bullae: « Omnis vitae tuae tem- « pore, vel filii tui Simonis, aut alterius qui legittimus « tui haeres extiterit ». Sed neque id admitti potest, I. quia ipse filius Rogerii I., Rogerius II. (1. rex

Siciliae) hanc legatiam non invocavit, etsi plura usurpaverit; 2. ceteri reges saltem ad exemplum eam invocassent.

77. Ut haec pateant exponimus ex ordine, historiam relationum Ecclesiae et regni Siciliae in ecclesiasticis, ex qua etiam patebit vera origo huius usurpationis. Rogerius II. primus rex Siciliae, filius Rogerii I. qui titulo tantum comitis in ea insula principatum gesserat, usurpavit administrationem bonorum sedium vacantium; impedivit legatos Papae; item episcopos ne Romae venirent, ob quae ab Honorio II. excommunicatus est; sed tamen numquam legationem patri suo et sibi eius filio concessam allegavit. Id profecto ostendit ei ignotam fuisse ac proinde numquam extitisse.

78. Hic Rogerius II. inspicitur in antiquis musivis indutus dalmatica, mitra, annulo, sandalis et baculo; in quibus regalistae nonnulli agnoscunt insignia legati apostolici; verum et imperatores graeci his utebantur tamquam insigniis regalibus; desunt autem in his vestibus cruces, quae tantum ab ecclesiasticis dignitariis gestabantur. Tamen exorta quaestione saeculo XVI. aliqui reges sepulti sunt cum supradictis ornamentis, tamquam signis legatiae apostolicae quam sibi vindicabant.

79. Praetensiones Rogerii II. erant sequentes:

I. Immiscere se electionibus praelatorum et administrationi Ecclesiarum vacantium.

II. Non habendi legatos apostolicos in suo regno, nisi ipse vellet.

III. Episcopos non egredi e regno absque eius consensu.

Tamen haec non invocabat vi legatiae.

Eius filius Guillelmus I., qui dicitur malus, addidit:

IV. Non esse Romae appellandum absque regio consensu.

Tribus annis regnavit cum patre suo; quo mortuo bellum indixit papae Adriano IV., quem obsedit apud Beneventum et ab eo impetravit quaecumque volebat super dicta IV. capita; attamen in Bulla concessionis Papae non dicitur *legatus*, nec mentio fit de legatia Rogerii I. et filiorum [1]).

80. Guillelmus II. filius Guillelmi I., qui filius dictus est Guillelmus bonus, non exegit iura quatuor capitulorum in iis in quibus erant Ecclesiae nimis onerosa, praesertim quoad appellationes, ut apparet ex Brevi Alexandri III. et multum adiuvit Papam contra Fridericum oenobarbum.

Clemens autem II., Alexandri III. successor, ex gratitudine eidem Guillelmo II. concessit uteretur quatuor capitulis extortis ab eius patre; sed usque ad Benedictum XIII. non amplius invenitur sanctam Sedem consensisse praeterquam usui primi capituli, seu de electionibus praelatorum.

81. Mortuo Guillelmo II. absque liberis, ei successit Tancredus comes Alexii (Lecce), filius naturalis Rogerii ducis Apuliae, primogeniti praemortui Rogerio II.

Hic Tancredus scripsit Coelestino III. [2]): « Super « appellationibus libere faciendis in toto regno ad Ec- « clesiam Romanam; de appellationibus libere faciendis « in Apulia et Calabria et terris affinibus illis dicti « regni; de legatis mittendis in Siciliam de quinquennio « in quinquennim, si velit Dominus Papa; de electio-

1) Vid. Baronium, tom. 12. an. 1156.

2) V. Marten. et Durand. veterum scriptorum et monumentorum collectio, tom. 2. pag. 1233.

« nibus in toto regno libere faciendis, ita quod facta « electio praesentetur regi, cui rex praestabit assen- « sum, nisi electus esset de proditoribus vel notis « inimicis, et tales dictus Papa ad regis instantiam « reprobabit; celebrationes etiam conciliorum fiant « in quacumque civitate Apuliae et Calabriae et alia- « rum terrarum affinium; de translationibus etiam et « de consecrationibus ac visitationibus libere facien- « dis etc. »

82. Mortuo Tancredo, post conamina Guillelmi III. regnum devenit in potestatem Henrici VI. imperatoris, ex domo sveva, viri Constantiae sororis Guillelmi I. regis Siciliae. Henricus ob sua crimina excommunicatus est et regnum habuit perturbatissimum; sed poenitens mortuus est, et in suo testamento disponit, si filius eius Fridericus II. absque liberis moriatur, regnum habeat mater, et post ipsam redeat ad sanctam Sedem; item si mater praemoriatur filio et filius non habeat liberos.

83. Constantia concessit papae Innocentio IV. tutelam filii et administrationem regni, petens pro se et filio, eius investituram. Sanctus autem Antoninus archiepiscopus Florentinus sub anno 1199 narrat summum Pontificem denegasse investituram nisi renuntiaret quatuor capitulis extortis Adriano IV. et postea confirmatis a Clemente III. in favorem Guillelmi II. Imperatrix autem Constantia primo oscitabat; sed ob summi Pontificis fortitudinem cessit et renuntiavit: « capitulis illis omnino sublatis ». In Bulla investiturae *Super gentes*, lib. I. epist. 413 ei conceditur tantum: « Electiones fiant de talibus personis, quibus vos et » haeredes vestri, requisitum a nobis praebere debeatis « assensum ». Nec mirum sit reges tunc temporis tam

sollicitos fuisse de electionibus ecclesiasticis; etenim praeter influxum quem religio et pastores Ecclesiae semper magnum exercent in societatem, tunc episcopi etiam potentissimi erant in temporalibus, sive ratione immunitatum et feudorum, sive quia in regni comitiis primum ordinem constituebant.

84. Quoad hunc assensum regium vel ius praesentandi episcopos, regulae datae sunt a summis Pontificibus Adriano VI., Clemente VII., Paulo III., Sixto V. et Gregorio XV. Sed praetensionibus ceteris regum Siciliae tunc restauratis et ampliatis, nullam faciunt summi Pontifices concessionem, imo in Bullis investiturae regni solliciti semper sunt in iuramento exprimi obligationem regis sese non immiscendi rebus ecclesiasticis.

85. Fridericus II. in bulla aurea subscripta ab omnibus regni magnatibus anno 1213, quae incipit, *Regnum nostrum*, pariter renuntiat quibuslibet praetensionibus super electiones, administrationes sedium vacantium et appellationes, permittitque electiones fieri libere ad normam decretalium, et vocat *abusum*, contrarium factum nonnullorum suorum praedecessorum.

Id etiam confirmavit anno 1219 duabus epistolis ad Honorium Papam. In suo testamento rursus confirmat libertatem Ecclesiae Romanae et omnium aliarum Ecclesiarum.

Durante suo imperio, quamvis infinitas admitteret violentias, tamen numquam sibi tribuit ius excludendi legatos Papae, cumque legati Innocentii IV. in Siciliam advenissent, siculi rebellaverunt imperatori et regi suo, et ipse in suis epistolis non queritur de adventu legatorum.

86. Etiam sub pessimis eius filiis Conrado et Man-

fredo, Nuncii Innocentii IV. et Alexandri IV. libere in Siciliam ministraverunt.

Sequuntur Reges Andegavenses.

Quando regnum Siciliae datum est regibus e domo Francorum, iurarunt explicite vel implicite contrarium ac fuerit in quatuor capitulis Guillelmi mali, et etiam renuntiaverunt cuilibet praetenso iuri dandi consensum electionibus ecclesiasticis, salvo tantum iure patronatus si regibus antiquis vi iuris communis competeret.

87. Sequuntur reges e domo Aragonia.

Etiam Fridericus Aragoniae II. pro Sicilia (nam Fridericus imperator erat II. ut imperator sed I. ut rex), iuravit sicut voluit papa Bonifacius VIII.

Regnum Petri V. turbulentum fuit ac saevum; optimum regnum Friderici III. et sub utroque Ecclesia semper libera fuit. Martinus I. cum in uxorem duxisset unicam filiam Friderici III. adhaesit Petro de Luna, seu Benedicto XIII. durante magno schismate occidentali, et posuit regium exequatur.

Di Chiara, tenax defensor monarchiae Siciliae, ait forsitan hunc regem primo constituisse tribunal monarchiae siculae; sed non est verum; iecit tamen fundamenta huius et subsequentium usurpationum. Sicilia autem rebellavit, et tunc rex finxit subiicere se Bonifacio IX. successori Urbani VI. et annorum 35 mortuus est. (Recolatur Urbanum VI. fuisse legittimum Pontificem; et e contra Clementem VII. cui fere statim successit Petrus de Luna sub nomine Benedicti XIII. fuisse antipapam, etsi tunc temporis pluribus ceteroquin doctis et sanctis res dubia fuerit).

88. Martino successit Ferdinandus, e domo Castella et paulo post eius filius Alphonsus qui investituram obtinuit a Benedicto XIII.

Tamen summi Pontifices sive veri agnoscerentur sive falsi, semper suos legatos libere miserunt in Siciliam. Composito autem schismate ob electionem Martini V. in summum Pontificem, Alphonsus Magnificus ei sese subiecit abolendo omnes actus suos et praedecessorum, Ecclesiae et s. Sedi hostiles die 27 Octobris 1427, neque mentio facta est alicuius antiqui privilegii.

Ab Eugenio IV. obtinuit investituram regni et iuravit ut Carolus andegavensis; sed abutens occasione schismatis concilii Basileensis et Felicis V. constituit leges Ecclesiae vexatorias et ab ipso proinde repetendum est systema ecclesiasticae politiae, Ecclesiae hostili, a quo exurrexit postea tribunal monarchiae. Etenim sub eo rege iudex ordinarius non adfuit, sed hic vel ille delegabatur pro opportunitate ad exercenda iura regia.

89. Sed sub Ferdinando Catholico productum est praetensum diploma Urbani II., cuius tamen exemplaria authentica non inveniebantur, ita ut regi rogato a leguleiis regni Siciliae, visum fuerit insufficiens ad legem generalem condendam.

Tamen Nuntio Papae prohibitum est manus apponere Ecclesiae catanensi vacanti; hoc est primum factum huius generis post Guillelmum malum, qui eiecerat legatum pontificium, quoniam mortuo patre suo Rogerio II., titulum regium statim ab eo non habuerat.

Rex autem Ferdinandus auditis praetensionibus legistarum regni, cum ignoraret existentiam supradictae Bullae concedentis legatiam, interrogavit vice-regem, Moncada, de qua ageretur re, ut refert Bzovius in *Annalibus ecclesiast.* ad an. 1512. Et vice-rex reposuit: « iudicari ab antiquis relatum hunc morem (excludendi « legatos apostolicos) coepisse a tempore comitis Ro-

« gerii, ob privilegium antiquum, quod invenitur con-
« cessum eidem comiti eiusque filio. Et quamvis verba
« privilegii non sint ita ampla ut hodierna consue-
« tudo, tamen causa fuerunt quod officiales maiestatis
« tuae in hoc regno semper faverint et ampliaverint
« monarchiam.... ».

Prosequitur exponens abusus obtinentes in materia ecclesiastica et subdit: « maiestati tuae non spectat ut « regi et principi, neque ut legato, potestas ferendi « leges ecclesiasticas, maxime derogantes auctoritati « apostolicae directe vel indirecte ».

Ex his apparet non tam in culpa fuisse regem longinquum seu in Hispania morantem, quam siculos leguleios. Quamvis Ferdinandus iurasset Iulio II. recipiens regnum, sicut reges aragonenses, plenam futuram libertatem Ecclesiae, non tamen servavit, sed usurpationes usque eo venerunt ut mitterentur visitatores regii ad Ecclesias.

90. Sub Carolo V. compilatum est corpus legum monarchiae regiae (in materia ecclesiastica). Tamen et Carolus V. interrogavit suum advocatum generalem regni, Antonium Montalto, circa privilegium Urbani II. Et hic reposuit: « Conveniret pro exoneratione con-
« scientiae maiestatis tuae et omnium officialium tuo-
« rum et ministrorum, obtinere confirmationem eiusdem
« monarchiae, an intelligatur propagata ad omnes re-
« ges, vel an dicta Bulla Urbani II. fuerit privilegium « personale [1] ».

Interim vice-rex De Vega, saeviebat carcere etiam contra non adhaerentes privilegiis regiis.

91. Sub Philippo II. idem De Vega introduxit prag-

1) Bzovius, Annal. eccles. tom. 19. pag. 168.

maticam Catalauniae, iam inductam ab Alphonso, sed postea praetermissam, officiales regni non posse ab episcopis censuris multari nisi de consensu regis. Quamvis idem Philippus II. iussisset observari concilium Tridentinum, tamen vice-rex Ioannes De Cerda, dux Medinae Coeli, ex consilio ministrorum Siciliae, suspendit idem concilium ut continens tria capitula iniuriosa monarchiae, et rex consensum dedit.

In eodem concilio Tridentino episcopi Siciliae questi erant de violentiis quibus subdebantur, et res omnino intolerabilis visa est Patribus, quamvis de ea tantum incidenter actum sit [1]).

92. Anno 1570 statutus est primus iudex ordinarius monarchiae.

Bulla *Coenae* habet capitulum appositum contra has usurpationes.

Iulius III. et Pius IV. sese opposuerunt.

Sub sancto Pio V. rex Philippus decernebat iudicem futurum ecclesiasticum; sed Pontifex non consensit.

93. Sub finem saeculi XVI. cum Nuntii permanentes coepissent vigere, cessaverunt legati missi in provincias nisi extraordinario.

Idem s. Pius V. volebat interdicto subiicere integram insulam Siciliae; sed suasus tractationibus habendis, cum hae in longum producerentur, nihil conclusum est; tamen card. Alexandrinus (nepos Papae) legatus orator pontificis, nihil concessit regi.

94. Sub Gregorio XIII. rex misit Romam legatos qui post multas ambages recognoverunt abusus existentes et abusivam ipsam legatiam, sed nihil pariter conclusum est. Papa tamen declaravit irritum quidquid in

1) Pallavicino, lib. 18. cap. 6. n. 2.

materia ecclesiastica a ministris regis et a iudice monarchiae fieret.

95. Anno 1579, vice-rege Marcantonio Columna, publicata est in Hispania chronica Malaterrae a Surita. Ordinationes autem Columnae ita enormes erant ut plures articuli a rege Philippo sponte cassati fuerint.

96. Clemens VIII. commisit card. Baronio ut scriberet de hac legatia, et rex Philippus III. comburere fecit volumen et supprimi in tom. XI. annalium Baronii quae referebantur ad legatiam et genuinitatem Bullae Urbani II. negandam. Item in conclavi qua electus est Leo XI. (1. Apr. an. 1605), orator Hispaniae *exclusit* eumdem Cardinalem ob hanc causam, qui exclamavit: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam* [1]).

Item gubernator hispanus ducatus mediolanensis ad triremes damnavit bibliopolam causa eiusdem tomi XI. Baronii [2]).

97. Clemens XI. excommunicavit vice-regem Siciliae, comitem s. Stephani, quia vim intulerat D. Palafox archiepiscopo panormitano: vice-rex sese subiecit et absolutus est. Deinde Papa Bulla *Romanus Pontifex*, decimo kal. Martii abolet quodcumque praetensum privilegium regium; deinde brevi *Cum nos*, 20 Feb. 1715 distribuit iudicaturas ecclesiasticas in Sicilia, et constitutione *Innotuit nobis*, 8 Iunii 1715 cassat novas hostilitates gubernii; item alia constitutione *Ubi alias*.

98. Interim rex, qui erat Victorius Amadeus Sabaudiae (1713-20), creavit commissionem pro manutentione privilegiorum regalium, quae multos fideles Ecclesiae,

1) Rohrbacher, lib. 87. vol. 13. pag. 256. edit. cit.
2) V. Audisio, Storia dei Papi, in vita Pauli V. an. 1605-1621.

carceri addixit vel in exilium egit; et anno 1715 Romam pervenerunt ecclesiastici viri 413 in exilium acti, quia censuras episcoporum a tribunali monarchiae invalidatas sed a summo Pontifice confirmatas, servaverant [1]).

Praescripsit insuper rex, quilibet reciperet chartam a Curia Romana, intra duas horas eam exhiberet pro regio exequatur. Commisit autem famoso Du-Pin regalistae gallo ut suum opus scriberet *De potestate spirituali et temporali.*

99. Successit Carolus VI. e domo austriaca an. 1720, qui summum Pontificem deprecatus est ut res componeret. Benedictus XIII. collegit in unum iudicaturas omnes Siciliae, constitutas ab Innocentio XI. et iudicem appellavit « Iudicem delegatum *S. Sedis,* » non Regis, per Bullam *Fideli*, 30 Augusti 1728.

100. Sed abusus continuaverunt, et, ut iam diximus, sub finem saeculi superioris rex sua auctoritate creavit Messanae alium iudicem, et tribunal adhuc dicebatur *Monarchiae.*

Per concordatum anni 1818 rex promisit observaturum Bullam *Fideli* Benedicti XIII., sed tamen abusus continuaverunt, neque cessavit iudex Messanae, et omnes magis odiosae et hostiles dispositiones temporum antiquorum renovatae sunt.

101. Ferdinandus II. multas ex his removit; imo volebat abolere ipsum tribunal monarchiae; sed regalistae obstiterunt et prof. Di Chiara (mortuus an. 1837) scripsit opusculum ad regem dissuadendum.

Contra abusus superstites, Gregorius XVI. emanavit die 3 Martii 1846 Breve *Iamdiu.*

---

1) V. Audisio, Storia dei Papi, in vita Clementis XI. an. 1700-1721.

Anno 1850 episcopi Siciliae adunati, reclamaverunt contra abusus.

Pius Papa IX. die 26 Ianuarii 1856 edidit Breve *Peculiaribus*, quo multas facultates concedit iudici *Delegato s. Sedis* in Sicilia, sed declarabat nulla agnoscere privilegia nisi concessa a Benedicto XIII. constitutione *Fideli*, cuius praetextu omnes antiqui abusus fuerunt renovati.

102. Anno autem 1864, V. kal. Februarii redacta est constitutio *Suprema*, qua, considerata continuatione abusuum, omnia privilegia et concessiones retractantur; sed publicata est tantum die 10 Octobris 1867.

Die autem 28 Ianuarii 1864 editum est Breve *Multis gravissimis*, quo statuitur novus modus procedendi in causis ecclesiasticis pro Sicilia, abolito iudice delegato et multis factis concessionibus episcopis.

Die autem 15 Octobris 1867 a sacra Congregatione Episcoporum et Regularium editum est monitorium contra presbyterum Cyrinum Rinaldi, ultimum iudicem monarchiae Siciliae, contumacem et excommunicatum publice et nominatim.

103. Tandem lex civilis die 13 Maii anni 1871 inscripta *Delle prerogative del sommo Pontefice e della s. Sede, e sulle relazioni della Chiesa collo Stato*, consensit abolitioni *Legatiae* Siciliae, quamvis postea multae praetensiones renovatae sint pro electionibus ecclesiasticis titulo regii iurispatronatus, et sic tandem sub regimine non-catholico obtenta est ea libertas quae frustra quaesita est sub regibus aliquando etiam piis, sed nimium deferentibus regalistarum suggestionibus et suae coronae utilitati, quoniam cupiditas et pro regibus radix est omnium malorum.

ARTICULUS III.

Conclusio iuridica.

104. Ex his concludere licet: I. Legatia Siciliae non subsistit historice.

II. Etiamsi subsisteret historice, fuisset privilegium personale concessum Rogerio I. et eius filiis, quod proinde cum Rogerio II. extinctum esset.

III. Vera origo fuit, in regalistis desiderium dandi titulum legittimum antiquis abusibus Guillelmi I. quos saeculo XVI. renovare et ampliare cupiebant.

Hostilitas enim erga Ecclesiam semper erit in mundo, sub una vel alia forma, aperta vel palliata prout tempora permittunt. Est enim continuatio pugnae inter bonum et malum quae cum angelis rebellibus incoepit et consummabitur in die extremo. Cum igitur societas erat christiana et Ecclesia non poterat armis rationalisticis et incredulorum impugnari, aliis modis vexabatur; unus ex his efficacioribus et habentibus speciem aliquam iuris fuit regalismus, qui sicut se manifestavit in Gallia sub libertatum gallicanarum praetextu, in Germania sub praetextu iuris imperialis et aliter alibi, prout opportunum erat, ita in Sicilia, sub forma historica privilegii, quia de facto multa concessa fuerant Rogerio I. et multa extorserat Guillelmus malus.

IV. Etsi historice legatia subsisteret, tamen semper fuisset revocabilis a sancta Sede, id exigente salute animarum. Iamvero de facto numquam a sancta Sede agnita est; ergo *iuridice* non subsistit; et concessionum factarum sub Benedicto XIII. retractandarum iustissimae causae fuerunt, idest permanens abusus.

CAPUT V.

DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA.

105. Cum Ecclesia sit societas independens a civili, eique indirecte superior, sequitur eius ministros, loca et res vel in omnibus vel in pluribus esse posse aut debere immunes ab auctoritate civili. De hac immunitate habetur tit. 49. lib. 3. *de immunitate Ecclesiarum, coemeterii et rerum ad eas pertinentium*. Definitur: *Exemptio a laica iurisdictione, competens Ecclesiis et aliis locis piis, nec non personis ecclesiasticis et rebus ipsarum*. Sit totidem articulis, 1. de divisione immunitatum; 2. de ipsarum iuridica origine; 3. de historica; 4. quaestio generica de privilegiis; 5. de perfecta immunitate summi Pontificis.

ARTICULUS I.

Divisio immunitatum ecclesiasticarum.

106. Immunitas ecclesiastica dividitur in tres species: personalem, localem et realem. *Personalis* ex iure canonico importat: 1. privilegium fori, 2. immunitatem a publicis officiis, 3. ab oneribus personalibus, 4. a patrimonialibus. Et 1. privilegium fori quo clericus immunis est a iudicio laico, in causa non modo criminali sed et civili quando ut reus convenitur, de quo agitur in lib. 2. tit. *de foro competente*. Erat in usu et apud romanos, ut vidimus agendo de distinctione potestatis civilis a sacerdotio, et Domitianus imperator putavit se damnare posse Corneliam vestalem, tantum quia Pontifex.

107. Ex privilegio fori, sequitur clerici immunitas a legibus civilibus. Siquidem quaesitum est an clerici obligentur legibus civilibus servandis; et respondendum est negative in iis quae adversantur officiis et dignitati status clericalis; affirmative in reliquis, sed non coactive ex privilegio fori, sed tantum directive; tamen non effugiunt sanctionem Ecclesiae, etiam attendendo tantum ius canonicum prout fuit, quando immunitas viguit de facto.

108. II. Immunitas a publicis officiis, non modo vilibus, ut olim plures in usu erant, ex. gr. reficiendi personaliter vias publicas, aut pontes, quae non decent clericalem statum ratione honoris, a quibus iure romano erant immunes patritii et officiales publici; item nobiles medio aevo; sed etiam honorificis, ut tutelae, curae, exactionis tributorum quae aliquando lege imponebatur, ex. gr. primo censito; item ab administratione aut iudicio, ex. gr. ab officio syndaci, iurati etc.; item militiae.

109. III. et IV. Immunitas ab oneribus tum personalibus, ex. gr. a censu capitum (testatico) vel nunc *ricchezza mobile;* tum patrimonialibus, quia non modo erant immunia bona Ecclesiae, sed et personalia clericorum; (est personalis quia res est immunis ratione personae).

110. 2° *Localis* immunitas consistit in eo quod aedes aut alia loca sacra, sancta vel religiosa, sint subtracta iurisdictioni civili et usibus profanis; hinc reges ad ianuam Ecclesiae deponebant coronam et suos milites ad eamdem ianuam relinquebant. Hinc etiam prohibiti in Ecclesiis actus I. iudiciales sive civiles sive criminales.

II. Negotiatio et alii contractus.

III. Comitia civilia (quod alicubi ablato Sanctissimo toleratur); ludi et spectacula profana, nec non profanae conciones et his similia.

IV. Ex eo quod subtracta sint civili iurisdictioni, sequitur ius asyli, nempe delinquentes non posse inde extrahi absque licentia auctoritatis ecclesiasticae, quae semper concedebatur pro gravioribus delictis nisi speciales attenuantes causae aliud suaderent; item exceptis casibus a iure contemplatis. Extendebatur ius asyli ad omnia aedificia adnexa, imo et ad sequentes Eucharistiae Sacramentum. Ius enim asyli habebat et aliud fundamentum ut recurrentes ad Dei misericordiam non subiicierentur humanae iustitiae.

V. Ad similitudinem subtractionis locorum sacrorum ab usu profano et vasa sacra et sacrae vestes subtrahuntur usui profano, donec execratae non fuerint.

111. 3° Immunitas *realis* consistit in exemptione bonorum Ecclesiae a publicis vectigalibus.

Hae immunitates olim erant agnitae etiam a legibus civilibus. Sed Ecclesia concedebat reipublicae subsidia super bona ecclesiastica, decimas quoque, ob necessitates extraordinarias, in quibus posset versari. Tamen can. XIX. Lateranensis III. statuit quantitatem iudicio cleri et episcopatus esse decernendam; et can. XLVI. Lateranensis IV. requirit insuper consensum summi Pontificis; cum enim clero et episcopis saepe esset difficile et grave resistere immoderatis principum petitionibus, summus Pontifex rem suo reservavit iudicio, supposito tamen beneplacito cleri et episcopatus (de regula generali).

112. Sed rupta harmonia inter sacerdotium et statum, praevalentibus principiis naturalismi, coeperunt insinuare, clericos in officiis clericalibus immunes esse

debere a potestate laica, non autem in reliquis, quia et cives sunt; item bona Ecclesiae et loca ecclesiastica quatenus inserviunt usibus sacris a legislatione ecclesiastica moderari, sed sine praeiudicio iurisdictionis civilis et aerarii publici. Hinc clerici subiecti sunt tribunali laico, et militiae adscripti; bona Ecclesiae gravata tributis (aliquando et gravioribus); asyli ius abolitum etc.

113. Si ab aliquibus oneribus publicis clerici eximuntur, ut ab officio iurati, syndaci et legislatoris (haec duo apud nos pro habentibus curam animarum aut residentiam), non semper est in reverentiam status clericalis, sed ut excludantur ab officiis quae influxum habent in societate.

114. Iamvero Ecclesia sive ad invidiam declinandam quasi vellet aliorum ditescere expensis, sive ex mutatis circumstantiis, non institit in vindicanda immunitate reali, nec multum quoad ius asyli; bene vero quoad exemptionem a militia, et quoad fori privilegium in criminalibus, quamvis per concordata, plures concessiones et in hac re fecerit. Verum mutatae temporum circumstantiae, si rationabilem reddebant aliquam modificationem iuris antiqui, non tribuebant statui ius procedendi per se, inaudita Ecclesia; quod patebit si originem iuridicam et historicam harum immunitatum pandamus.

ARTICULUS II.

Origo iuridica immunitatum.

115. Regalistae contendunt recensita privilegia fuisse a principibus Ecclesiae concessa, ideoque posse ab iisdem auferri, et sicut forsitan iuste concessa sunt, id

exigente statu sociali, iustissime ablata fuisse sociali statu mutato.

116. Alii e contra in aliam extremam declinaverunt sententiam, nempe omnimodam exemptionem esse ex iure divino; quod nituntur probare sequentibus rationibus:

1° Apud omnes gentes personae, loca et res sacrae pluribus exemptionibus condecoratae sunt; quod ostendit sensum quemdam naturae.

2° Exemplo antiquae legis, in qua similia vigebant; a fortiori ergo in nova cum sanctior sit.

3° Ex eo quod a primis temporibus Ecclesiae id obtinuerit et nos lateat positivum initium; ex quo arguere licet divinam institutionem per Apostolos promulgatam.

4° Ex Matth. XVII. 25. ubi Christus Dominus dicit Petro, didrachma non solvi a filiis, sed ne scandalizarentur praecepit ut piscaret; et observant noluisse ex loculis desumi.

5° Pluribus dictionibus canonum et ss. Patrum qui haec esse iuris divini expresse affirmant, ut cap. 4. *de censibus* in 6° et cap. 30. *de iureiurando*.

6° Accedit ratio, totalis dedicationis personarum, locorum et rerum ecclesiasticarum, servitio divino, ex qua fit ut totaliter auctoritati Ecclesiae sint addicendae.

7° Inconveniens, praesertim quoad iudicia, oves gubernare et iudicare pastores.

117. Ad omnem ambiguitatem tollendam, animadvertendum est immunitatem Ecclesiae a laica potestate considerari posse 1. quoad ipsum sacrum ministerium; 2. quoad onera et munera profana.

Quoad I^um^ caput immunitas Ecclesiae confunditur cum eius independentia a potestate civili, ideoque est

formaliter iuris divini. Per consequens iuris quoque divini est quoad ea munera et onera profana quae sint vere incompatibilia cum libertate et decentia sacri ministerii. De his proinde quaestio non est, sed de ceteris quae libertati et decori ecclesiastico, saltem rigorose, non repugnant, ita ut utilitatem aut convenientiam quamdam potius quam necessitatem exemptionis importent.

Iamvero circa haec melior sententia media est, quae ait fundamentum quidem immunitatis esse in ipsa rerum natura, ideoque in iure divino; insuper iure divino Ecclesiam potestate pollere haec sibi vindicandi; sed proxime pendere a lege Ecclesiae vel sibi vindicante privilegia vel rata habente quae lege civili aut consuetudine sponte inducta. Hinc concilium Tridentinum sess. xxv. cap. 20. *de reform.* ait immunitatem ecclesiasticam inductam esse « Dei ordinatione et canonicis sanctionibus ».

118. Quoad argumenta allata a fautoribus primae sententiae notandum est 1° factum universale populorum probare quidem maximam rei convenientiam eamque fundamentum habere in ipsa rerum natura, sed non probare strictum ius.

Idem dicendum de secundo argumento, idest de exemplis ab antiqua lege desumptis.

119. Quoad 3^um^, idest quod semper a primis temporibus id fuerit servatum, pariter non evincit originem divinam, cum potuerit ab initio institui iure ecclesiastico et populorum pietate. Et sane cum sacerdotes pagani et templa pagana pluribus privilegiis gauderent, naturale fuit et imperatores ad fidem conversos, eadem extendere ad sacerdotes et res christianas, et Ecclesiam ipsam similia exigere, ne videretur in minori

aestimatione haberi christiana religio quam fuisset pagana.

120. Ad 4^um^ non est ad rem, cum didrachma solveretur templo, ex praecepto Moysis, et non civili potestati. Tamen Dominus profecto erat immunis et ab hoc tributo, et bene immunitas extendi poterat et ad Apostolos, qui Deo viventi ministerium suum praestabant.

121. Ad 5^um^ numquam sacri canones aut Patres moraliter sumpti expresse dicunt has immunitates esse formaliter ex iure divino, sed lato tantum sensu, idest fundamentaliter; illae expressiones significant esse iuris divini eadem ratione qua concilium Tridentinum sess. xxv. cap. 20. *de reform.* inculcat principibus ut « quae ecclesiastici iuris sunt, tamquam Dei praecepta « eiusque patrocinio tecta venerentur ». Et sane in re nostra Ecclesia partim concordatis remittit ius suum, partim acquiescit usurpationibus. Sed in iis quae formaliter sunt iuris divini neutrum admitti posset.

122. Neque dici potest id tantum esse iuris divini, nempe sine delegatione Ecclesiae non posse clericos et res sacras subiici iurisdictioni laicae; Ecclesiam autem per concordata et tacitam acquiescentiam hanc concedere permissionem. Siquidem non hic videtur esse spiritus Ecclesiae quasi si auctoritatem tribuat laicae potestati procedendi nomine Ecclesiae, sed tantum non vindicandi sibi iustum privilegium; nec laica potestas cum haec sibi impetrat intendit procedere ex delegatione Ecclesiae ipsius. Accedit ratio, membra duarum societatum, debere leges utriusque servare, quatenus conflictus non adest; atqui in pluribus ex recensitis immunitatum capitibus non adest; secus neque ab Ecclesia indulgeri possent. Ergo immunitas in his non

est ex iure divino formaliter. Hinc et s. Thomas non repetit immunitatem personalem a tributis ex divino iure, sed ex concessione civili, suadente aequitate; nam lectione I. in cap. XIII. epist. ad Rom. ait: A debito « solvendi tributum liberi sunt clerici ex privilegio « principum. Quod quidem aequitatem naturalem ha- « bet; unde etiam apud gentiles liberi erant a tributis « illi, qui vacabant rebus divinis ». Et rationem affert loco cit. « Hoc autem ideo aequum est, quia sicut re- « ges sollicitudinem habent de bono publico in bonis « temporalibus, ita ministri Dei in spiritualibus; et sic « per hoc quod Deo in spiritualibus ministrant, recom- « pensant regi quod pro eorum pace laborat ».

Ex tradita ratione quod membra duplicis societatis servare debeant utriusque legislationem, non extante conflictu, patet et responsio ad 6^{um}; non enim dedicatio Deo ita fit quoad personas, res et loca ut nullimode possint inservire societati civili.

Hinc s. Gelasius papa, epistola 10. ad Anastasium imperatorem scribit: « Quantum ad ordinem pertinet « publicae disciplinae, cognoscentes imperium tibi su- « perna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque « parent religionis antistites ». Et s. Ioannes Chrysostomus, homilia XXIII. explicans verba Apostoli ad Rom. XIII. « Omnis anima potestatibus sublimioribus « subdita sit, » subdit: « Ostendens quod ista imperen- « tur omnibus, et sacerdotibus et monachis, non tan- « tum saecularibus.... neque enim pietatem subvertit « ista subiectio ».

Ita ad 7^{um}; inconvenientia clericos gubernari et praesertim puniri a laicis, idest pastores ab ovibus, utique ostendit immunitatem fundamentum habere, quoad plura saltem, in ipsa rerum natura, ideoque in iure

naturali hypothetico, supposita nempe Ecclesiae institutione; ideoque a competenti auctoritate, lege iuste decerni posse; sed non usque adeo porrigitur ut rigorosam ostendat necessitatem; quod enim inconveniens, non est hoc ipso inhonestum.

123. Quidam autem, mediam quamdam sententiam proposuerunt, quod nempe immunitas ecclesiastica esset immediate iuris divini, inspecta generice, sed iure ecclesiastico determinanda. Ex quo explicabant variationes legislationis ecclesiasticae in hac re, cum pro temporum opportunitate, modo arctiores, modo ampliores limites definiantur.

Exempla legis divinae de se indeterminatae, et determinandae iure ecclesiastico, plura habemus. Ita praecepta communionis eucharisticae, cultus divini, mortificationis, sunt iuris divini, sed indeterminata quoad tempus, modum et locum; quae omnia lege ecclesiastica definiuntur, et quidem variabili prout expediens fuerit. Sed in re nostra admitti nequit, quia materia est de se determinata; si enim clericis, locis et rebus Ecclesiae competit iure divino immunitas a laica iurisdictione, haec nihil in eas potest, eiusque leges civiles et criminales nullo modo eas attingunt, quin necessaria sit lex Ecclesiae determinans materiam, ut fit in obiectis exemplis, quae respiciunt rem de se indeterminatam.

124. Ceterum ex examinatis argumentis colligi potest, fundamentum immunitatis esse iuris divini; auctoritas autem Ecclesiae sibi vindicandi haec privilegia, profecto est iuris divini, cum Ecclesia semper sibi idem ius vindicaverit, quasdam immunitates sibi tribuendo, non extante lege civili, et irritas declarando contrarias leges civiles; si autem essent ex concessione civili,

leges contrariae non essent invalidae nec immunitas aliqua, sola ecclesiastica lege potuisset induci. Ratio autem theologica est, Ecclesiam ius habere ea omnia statuendi quae in societate christiana necessaria vel utilia sunt ad eius finis assecutionem. Igitur origo iuridica harum immunitatum est remote a iure divino, proxime a iure ecclesiastico.

125. Argumenta autem regalistarum haec sunt: 1° lege civili inveniri concessam immunitatem; et canones leges has invocare.

2° Membra duplicis societatis, utriusque legislationem servare oportere.

3° Dominum, Matth. XXII. generaliter dixisse: « Redite ergo quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt « Dei, Deo ».

4° Et s. Paulum, ad Rom. XIII. « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; » et prosequitur loquens expresse de principe.

5° Et s. Petrus I. Ep. cap. II. 13. « Subiecti igitur « estote omni humanae creaturae propter Deum, sive « regi tamquam praecellenti ».

6° Ex sanctis Patribus obiiciunt auctoritatem sancti Ambrosii, qui sermone contra Auxentium n. 33. scribit: « Si tributum petit imperator, non negamus. Agri Ecclesiae solvunt tributum. Si agros desiderat imperator, potestatem habet vindicandorum, nemo nostrum « intervenit ».

Resp. ad 1um Etsi quaedam privilegia fuerint concessa Ecclesiae lege civili ante existentem legem ecclesiasticam, id tamen de omnibus verum non est, ut in sequenti articulo videbimus; deinde semel concessa, fuerunt lege ecclesiastica sancita, seu, ut dicimus, canonizata; et Ecclesia restitit quando abrogari volue-

runt, ipsa inconsulta. Id ostendit ius proprium Ecclesiae, vindicandi sibi quasdam immunitates pro temporum opportunitate. Si autem tota ratio earumdem esset concessio civilis, ex contraria eiusdem dispositione amitterentur. Quod enim nonnulli dicunt Ecclesiam iuste defendere quod a statu ei concessum est, non tenet. Status enim concedendo privilegia non alienat neque imminuit supremam suam potestatem quà eadem revocare aut modificare valet. Ideoque etsi sine causa sufficienti operaretur, iuris tamen vigorem haberet eius constitutio. Igitur si Ecclesia irritas habuit leges civiles revocantes eius immunitates, dicendum est earumdem firmitatem procedere a potestate ipsa Ecclesiae, quae vel privilegia primitus sibi constituit, vel sponte largita rata habuit et sua fecit. Si autem invocat aliquando leges civiles, id vel facit contra iudices civiles inferiores, vel historiae causa; sed ius proprium non omittit. Ita cap. 10. *de constitutionibus* legimus: « *Ecclesia s. Mariae et infra*. Nos attendentes quod laicis « etiam religiosis, super ecclesiis et personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi « manet necessitas, non auctoritas imperandi, a quibus « si quid motu proprio statutum fuerit, quod ecclesiasticum etiam respiciat commodum et favorem, nullius « firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum... ». Ita et cap. ultimum *de rebus Ecclesiae non alienandis* et alibi passim.

Ad 2^um^ ostendit immunitatem ecclesiasticam non esse immediate iuris divini, in iis quae non adversantur officiis ministerii clericalis; sed non excludit eam constitui posse lege positiva societatis superioris quae valet legem ferre de iis quae proprio fini sint utilia, etsi non rigorose necessaria.

Ad 3um clerici, loca sacra et res Ecclesiae, sunt Dei, quia specialiter Deo inserviunt; hinc in quibusdam sunt iure divino exemptae; in reliquis eximi possunt lege ecclesiastica ut Deo facilius inserviant.

Ad 4um s. Paulus generaliter loquitur ad fideles, ideoque necesse non erat respiceret ad clericos, praesertim cum et ipsi persentiant vim directivam legis civilis; et insuper tunc imperantes erant pagani; ideoque legi ecclesiasticae non subditi, et praeterea prudunti oeconomia vitandae erant occasiones eos adversus Ecclesiam irritandi.

5° Eadem responsione dissolvitur textus s. Petri, qui v. 15. satis insinuat dissipandas esse calumnias contra christianos propagatas quasi subversores ordinis civilis. Ait enim: « Quia sic est voluntas Dei, ut benefa- « cientes obmutescere faciatis imprudentium hominum « ignorantiam ». Versiculo autem 13. commendaverat generatim subiectionem dicendo: « Subiecti igitur « estote omni humanae creaturae propter Deum; sive « regi quasi praecellenti etc., » idest subiecti estote omnibus quibus de iure; non enim voluit s. Petrus christiani subiicerent se cuilibet personae, etiamsi carenti debita potestate.

Ad 6um. 1° S. Ambrosius loquitur de fundis *tributariis*, qui specialiter erant obligati reipublicae, utpote a republica concessi privatis, speciali sub censu; de iis agit Iustinianus lib. II. Instit. tit. I. *de rerum divisionibus*, § XL. et ff. lib. XIX. tit. I. *de actionibus empti et venditi*, leg. 1. *Si sterilis*, § 21. [1]) et Glossa cap. *Quia*, *de immunitate Ecclesiae* in 6. De his praediis agit ipse

1) V. Mamachi, *Del diritto libero della Chiesa di acquistare e possedere*, lib. II. part. 2. cap. 3. § 2.

Ambrosius epistola 82. num. 7. scribens ad Marcellum episcopum, qui fundum tributarium legaverat sorori eiusdem s. Ambrosii, hac lege ut ea mortua, succederent pauperes et Ecclesia; quod Ambrosio incongruum videtur. Scribit enim: « Quemadmodum femina, et quod amplius est, vidua, possessionem regeret tributariam? »

2° S. Ambrosius quando subiungit: « Si agros desiderat imperator, potestatem habet vindicandorum, » respondet ad hominem; siquidem imperatrix Iustina ariana suaserat filio suo Valentiniano II. basilicam catholicis auferre ut in ea cum secta sua mysteriis adsisteret, misitque milites et ministros dicentes: « Imperatorem iure suo uti, eo quod in potestate eius essent omnia [1]) ». Respondit s. Ambrosius: « Si a me peteret imperator quod meum esset, idest fundum meum, argentum meum, quidvis huiusmodi meum, me non refragaturum, quamquam omnia quae mei sunt, essent pauperum. Verum ea quae sunt divina, imperatoriae potestati non esse subiecta. Si patrimonium petitur, invadite; si corpus occurram. Vultis in vincula rapere, vultis in mortem? Voluptati est mihi.... Mandatur denique tradi Basilicam. Respondeo nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere, Imperator. Domum privati, nullo potes iure temerare; domum Dei existimas auferendam [2])? » Adducit deinde exemplum Nabot et Achab regis et addit aulicos arianos peiores esse hebraeis qui a Christo petierunt an tributum solvendum esset Caesari, sed de templo non quaesiverunt, et tandem, semper arguens ad hominem, subdit obiectum textum et addit: « Potest

1) Vide epistolam s. Ambrosii XX. ad sororem n. 8.
2) Ibi num. XIX.

« pauperibus collatio populi redundare. Non faciant de « agris invidiam. Tollant eos, si libitum est impera- « tori; non dono, sed non nego [1]) ».

ARTICULUS III.

Origo historica.

126. Quoad originem historicam, si rem pro re nostra generice inspiciamus, neque enim iuris interest de singulis in specie inquirere, in societate pagana sacerdotes, loca et res sacrae pluribus immunitatibus gaudebant, et ius asyli etiam extabat praesertim in nemoribus sacris; hinc Gen. XLVI. sacerdotum praedia non fuerunt empta a Pharaone durante fame, et Artaxerses liberavit templum hierosolimitanum et levitas a tributo, ut legimus I. Esdr. VII. Hinc, ut diximus, naturale fuit haec, et pro religionis sanctitate etiam maiora ab imperatoribus christianis, dari personis et rebus Ecclesiae et ab Ecclesia expectari.

127. Pariter apud barbaros; fuit autem singulare medio aevo tribunalia specialia habere nobiles; hinc naturale fuit ut pro dignitate clericalis status, facile a barbaris conversis conservaretur clericis privilegium quod iam in romano habebant imperio, praesertim cum suum tribunal reliquissent et populis victis, in iis quae ad victores non referebantur.

128. Item bona feudalia erant exempta a publicis tributis, nec non ipsi feudatarii, cum satis reputarentur reipublicae inservire, opera personali in principis obsequium et defensionem; igitur a fortiori rebus et personis ecclesiasticis idem principium applicatum est;

1) V. Mamachi loc cit.

etenim bona iam serviebant publicae utilitati, cum religioni inservirent; nihil autem magis est societati utile quam religio; personae autem clericorum erant spirituali militiae addictae.

129. Ex modo quo primi imperatores christiani iura vel immunitates Ecclesiae concesserunt, apparet eos rem ut debitam Ecclesiae considerasse. Ita ex lege Constantini, relata in codice Theodosiano leg. 16. tit. 2. lib. 7. « Qui divino cultui ministeria religionis impen-« dunt, idest hi qui appellantur clerici, ab omnibus « omnino oneribus excusantur, ne sacrilego livore quo-« rumdam a divinis obsequiis evocentur ».

Et Theodosius Magnus statuit ne episcopi vocentur ut testes ad tribunal, dicens: « Nec honore, nec le-« gibus episcopus ad testimonium dicendum flagitetur; « episcopus ad testimonium dicendum admitti non de-« cet, nam et persona oneratur et dignitas sacerdotis « assumpta confunditur ». Ibid. tit. III. de episcopis et clericis leg. VII.

Idem Theodosius codice Theodosiano eodem titulo leg. XXVI. « Universos quos constiterit custodes esse « ecclesiarum vel sanctorum locorum ac religiosis obse-« quiis deservire, nullius attentationis molestias susti-« nere decernimus. Quis enim eos capite censos patiatur « esse devinctos, quos necessario intelligit supramemo-« rato officio mancipatos? »

Valentinianus III. abolevit pro clericis privilegium fori; sed concilium Andegavense celebratum statim post Valentinianum prohibet clericis discedere a iudicio episcopi, et Maiorianus imperator abolevit legem Valentiniani III. reintegrando privilegium fori [1]).

1) Concha, Derecho publico eclesiastico.

Et Iustinianus: « Sancimus res ad venerabiles Ec-« clesias, vel Xenones, monasteria etc., a lucrativorum « inscriptionibus liberas immunesque esse... Cur enim « non facimus discrimen inter res divinas et humanas, « et quare non competens praerogativa coelesti favore « conservetur? »

Et in codice Theodosiano: « Vetus iam inde a pa-« ganismi temporibus consuetudo naturalisque legis « sanctio pietatis causa obtinuit, ut apud omnes natio-« nes publicae administrationes humanaeque functiones « a religione sacrisque caeremoniis semper secernan-« tur, sacraque in summo rerum fastigio et veluti in « quodam posito in terris coelo collocarentur.... Hinc « et illud quoque consequitur, ut omnium mentibus na-« tura insitum sit nullo modo quae Deo dedicata sunt « pollui posse, neque hominum insolentiam adversus « vim divinam progredi ». Deinde statuit ius asyli ex allata ratione, nempe si olim statuae imperatorum id conferebant, multo magis templum Dei.

Cum tempore Atalarici regis, ariani, magistratus in causa civili damnasset Romae diaconum, rex reprehendit: « Quod nobis pro ingenita reverentia quam « nostro debemus auctori displicuisse profitemur, ut « qui prius meruerant sacris inservire ministeriis, con-« ventionibus irreverenter nefariis expositi, iniuriis « subiacerent [1]) ».

Vicissitudines autem legislationis romanae hac in re, vide apud Bianchi, Polizia esteriore della Chiesa lib. IV. cap. III. § 3.

130. Pariter ex locutionibus sacrorum canonum et ss. Patrum patet Ecclesiam aliquas immunitates exe-

1) Cassiodorus, lib. 8. Variorum, cap. 24.

gisse ut sibi debitas vel convenientes vel etiam auctoritate propria easdem constituisse.

1° Quoad immunitatem a tributis, s. Io. Chrysostomus homilia 65. in cap. 47. Geneseos, ubi legitur de Pharaone qui exemit sacerdotes, ait: « Audiant qui « nunc vivunt, quantam olim sacerdotum idolorum « curam habuerint, et discant ut vel saltem parem « habeant honorem, ii quibus omnium Dei, ministerium « creditum et qui sacerdotio insigniti sunt. Si enim « errantes illi et tantam idolorum curam habentes, quia « ex hoc putabant idola magis coli, ita eorum mini« stros colebant, quanta non condemnatione digni, qui « nunc minuunt quod ad illorum spectat cultum? An « nescitis honorem ad Deum ipsum transire? »

131. 2° Quoad immunitatem clericorum a tribunali laico in casu criminali:

1. Sanctus Hilarius libro seu epistola ad Constantium: « Provideat et decernat Clementia tua, ut omnes « ubique iudices, quibus provinciarum administratio« nes creditae sunt, ad quos sola cura et sollicitudo « publicorum negociorum pertinere debet, a religiosa « se observantia abstineant. Neque post hac praesu« mant atque usurpent et putent se causas cognoscere « clericorum, et innocentes homines variis afflictatio« nibus, minis, violentia, terroribus frangere, atque « vexare ». Iamvero hic sermo est non de delicto ecclesiastico sed civili, secus non esset ratio restringendi rem ad clericos, et non comprehendendi laicos. 2. Ex historia scimus per id temporis iudices vexasse episcopos et clericos catholicos variis calumniis, etsi odium rectae fidei eos moveret.

2° Concilium Agathense anno 506, can. 50. (apud Labbaeum: « Si episcopus, presbyter aut diaconus,

« capitale crimen commiserit, aut chartam falsaverit, « aut testimonium falsum dixerit, ab officii honore « depositus, in monasterio retrudatur et ibi quamdiu « vixerit laicam tantummodo communionem recipiat ».

Idem concilium Agathense can. 8. « Id etiam placuit « ut clericus, si relicto officio suo propter districtio- « nem, ad saecularem iudicem fortasse confugerit, et « (is ad quem recurrit) solatium ei defensionis impen- « derit, cum eodem de Ecclesiae communione pellatur ».

3. Concilium Aurelianense IV. anno 541: « Ut nullus « personarum saecularium, praetermisso Pontifice seu « Praeposito, quemquam clericorum pro sua potestate « constringere, discutere audeat vel damnare ».

4. Concilium Antissiodorense (Auxerre) anno 578, can. 31: « Non licet presbytero aut diacono vel cui- « quam clericorum, de qualibet causa conclericum suum « ad iudicem saecularem trahere ».

5. Concilium Matisconense I. can. 8. anno 581: « Ut « nullus clericus ad iudicem saecularem quemcumque « alium fratrem de clericis accusare aut ad causam « dicendam trahere quocumque modo praesumat; sed « omne negotium clericorum aut in episcopi sui aut in « presbyterorum vel archidiaconi praesentia finiatur. « Quod si quicumque clericus hoc implere distulerit, « si iunior fuerit, uno minus de quadraginta accipiat; « sin certe honoratior, triginta dierum conclusione « multetur ».

6. Et concilium Matisconense II. an. 585, can. 9. (vid. (Labbaeum tom. VI. conc.) statuit episcopum accusandum apud metropolitam et non apud laicos; quod si causa difficilis, metropolita sumat unum vel duos episcopos ut coniudices; si difficillima, adunet synodum; et ratio excludendi iudicium laicorum est: « Nefas est

« enim, ut illius manibus, aut iussione, episcopus de « Ecclesia extrahatur, pro quo semper Deum exorat « et cui invocato nomine Domini, ad salvationem cor- « poris animaeque Eucharistiam saepe porrexit. Hoc « enim decretum a nobis praefixum qui fuerit trans- « gressus, tam ipse quam omnes qui ei consenserint, « usque ad generale concilium anathemate de Ecclesia « separentur ».

Et can. x. « Quod de episcopis censuimus, obtinet « et in clero, ut neque presbyter, neque diaconus, ne- « que subdiaconus de Ecclesia trahantur aut iniuriam « aliquam inscio episcopo eorum patiantur; sed quid- « quid quis adversus eos habuerit, in notitiam episcopi « proprii perducat; et ipse causam iustitia praeeunte « discutiens, animo clericos accusantis satisfaciat ».

132. 3° Etiam in causa civili tamquam rei fuerunt clerici immunes a foro laico, non modo sub romanis imperatoribus, sed etiam sub regibus barbarorum.

1. Concilium Arelatense an. 452, can. II. apud Labbé « tom. 6. edit. Venetiae: « Ut contra episcopale iudi- « cium clericis non liceat prosilire, neque inconsultis « sacerdotibus suis, saecularia iudicia expetere ».

2. Concilium Aurelianense IV. can. XX. « Quaecum- « que causatio quoties inter clericum et saecularem « vertitur, absque presbytero aut archidiacono, vel si « quis esse praepositus Ecclesiae dignoscitur, iudex « publicus audire negotium non praesumat. Sane si « causam habentibus placuerit ire ad iudicem fori ex « voluntate communi, permittente praeposito Ecclesiae, « clerico licentia concedatur ».

3. Concilium Toletanum III. anno 589, can. XIII. « Diuturna indisciplinatio et licentiae inolita prae- « sumptio usque eo illicitis ausibus aditum patefecit

« ut clerici conclericos, suo neglecto pontifice, ad iu-
« dicia publica pertrahant; proinde statuimus hoc de
« cetero non praesumi; sed si quis hoc facere prae-
« sumpserit, et causam perdat, et a communione effi-
« ciatur extraneus ».

Igitur causae inter clericos videndae erant ab episcopo; si inter clericum et laicum, et clericus esset reus, pariter ab episcopo; si clericus actor a foro laico, sed habita a clerico venia episcopi citandi apud illud laicum et comparendi.

Vide etiam can. LXII. Concilii VI. Cartaginiensis, quod praecipit clericos ab episcopo iudicandos pro quocumque crimine.

4. Universim vidimus num. 128. Concilium Andegavense considerasse ut nullam legem Valentiniani III. revocantis privilegium fori.

133. Et antequam pax daretur Ecclesiae, sanctus Telesphorus, qui pontificatum gessit imperante Antonino Pio, prout legitur in Breviario, « edidit ne sacer-
« dotes a populo arguerentur, ut sublimis ordinis di-
« gnitati consuleretur ».

Et a Patribus africanis prohibitum est fidelibus committere clericis tutelas et curas, etsi lex civilis haec consideraret ut munera publica. Et sane s. Cyprianus epistola ad clerum et populum, prima iuxta editionem oxoniensem et 66. in pameliana, refert decretum Concilii africani, anni probabiliter 249: « Episcopi ante-
« cessores nostri religiose considerantes, et salubriter
« providentes, censuerunt ne quis frater excedens ad
« tutelam vel ad curam clericum nominaret; ac si quis
« hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium
« pro dormitione eius celebraretur ».

134. Semel autem privilegiis a civili auctoritate Ec-

clesiae concessis, non poterant ab illa retractari; etenim cum ab Ecclesia rata habita fuissent, et propria lege sancita, facta fuerant iuris ecclesiastici etsi aliqua ab initio fuerint iuris tantum civilis. Si autem mutata temporum conditio aliud pro bono publico suaderet, erat Ecclesiae manifestandum, quae semper sese facilem praebuit his modificandis.

135. Et sane quoad privilegium fori, Ecclesia facile concedit clericos subiici iudicio laico in causa civili, sed difficilius in causa criminali; (tamen aliquando et hoc concessit, nonnullis servatis, in reverentiam status clericalis, ne videretur velle clericos impunes esse). Clericum enim puniri a laico apud christianos non satis convenit, dum lites civiles a laicis etiam iudicari parum vel nihil refert.

Item nunc cessaverunt exemptiones a tributis sive personalibus sive realibus, etiam pro magnatibus; item expensae publicae in immensum creverunt; e contra olim fere nullae erant, et singuli iudices vel milites habebant feuda pro suis officiis, sicut clerici beneficia, et utrique serviebant reipublicae in ordine suo. Hinc Ecclesia ne videatur velle rebus suis parcere cum gravamine laicorum, nunc libenter concedit hac in re privilegiorum abolitionem, ita ut et in statu pontificio nulla servaretur differentia. E contra valde insistit pro exemptionibus a publicis muneribus, praesertim a militia.

136. Quoad ius asyli, cum tempore romanorum etiam statuae imperatorum hanc immunitatem darent, aequum fuit quod multo magis loca sancta.

Anno 396 cum Mediolani Stilico magnus dux ab Ecclesia extraxisset Cresconium, s. Ambrosius flens ad altare divinam invocavit ultionem, et duo leopardi in

circo dilaniaverunt milites qui tale sacrilegium admiserant; ex quo Stilico veniam a sancto Episcopo petiit, quam non obtinuit nisi post plures poenitentiae dies [1]).

Orosius quoque narrat anno 398, Mascezisum ecclesiasticum asylum violasse, et divinitus percussum periisse.

Synesius episcopus Aprenensis anno 411, ut ipse narrat epistola sua 58, excommunicavit Andronicum praesidem Pentapolis etiam ex eo quod ianuae Ecclesiae (Ptolemaidis) sua edicta affixit quibus eam iure asyli expoliabat.

S. Augustinus anno 422 excommunicavit amicum suum comitem Bonifacium quia pariter ab Ecclesia extraxerat aliquos qui ad eam se receperant, et Bonifacius poenitentiae se subiecit.

Concilium Cartaginiense XV. anno 399, deputavit ad imperatorem duos episcopos ut legem obtinerent qua prohiberentur extrahi a sanctis Ecclesiis delinquentes qui ad eas confugerent [2]).

Concilium Arausicanum anno 441, can. v. apud Labbaeum tom. IV. col. 1048: « De homicidis, adulteris et « furibus si ad Ecclesiam confugerint; id constituimus « observandum quod *ecclesiastici canones* decreverunt et « lex romana constituit ut ab Ecclesiae atriis vel domo « episcopi eos abstrahi omnino non liceat, sed nec aliter « consignari, nisi ad Evangelia datis sacramentis de » morte, de debilitate et omni poenarum genere sint securi ». Nota 1° nominare canones iam constitutos; 2° et atrium Ecclesiae et domum episcopi; 3° agi de gravissimis criminibus.

---

1) Vide *Scuola Cattolica,* fasc. Augusti 1886, art. *de immunitatibus ecclesiasticis,* Felicis Bertani.

2) Moroni, Dizionario di erudizione ecclesiastica, vol. X. 131.

Cum Eutropius eunuchus, patritius et consul, gratiam imperatoris Arcadii amisisset, et a militibus quaereretur, ad Ecclesiam confugit, et s. Io. Chrysostomus eum defendit, quantum potuit, quamvis hic auctor fuisset abrogandi per legem civilem ius asyli. Et s. Io. Chrysostomus oratione habita (homil. in Eutropium n. 3. tom. III. ep. edit. Maur.) ait: « Nunc reipsa di- « dicit quale sit quod fecit, et suomet facto legem suam « primus abrogavit ».

137. Prima lex civilis quae de hac materia cognoscitur est lib. IX. *De his qui ad Ecclesiam confugiunt*, codicis theodosiani, qua Theodosius Magnus anno 392 aufert ius asyli debitoribus fisci, nisi Episcopi velint loco ipsorum solvere.

Lex autem Honorii eodem titulo lib. II. declarat reos laesae maiestatis qui asylum violaverint; est anni 414 vel 409 iuxta alios.

Ex his deducendum est, Ecclesiam sibi vindicasse ius asyli, et mores atque leges libenter concessisse.

138. Medio autem aevo convenientissimum fuit; erant enim omnia plena caedibus et privatis iustitiis seu vindictis; hinc sicut hebraeis constituerat Dominus civitates refugii, ne iustitia in aestu passionum administraretur, et ne saevirent, sed animi mitescerent, ita medio aevo aequissimum fuit ad caedes et vindictas minuendas, et animos mitigandos, suscipere defensionem eorum qui factorum suorum poenitentes ad misericordiam Dei confugiebant, promissa meliori vita. Hinc ius asyli non modo fundabatur in reverentia debita locis sacris, ne vis armata ingrediatur, inaudita Ecclesiae auctoritate, quae ratio semper viget (sunt enim Ecclesiae loca destinata *exclusive* cultui divino, ideoque *directe* sub iurisdictione Ecclesiae), sed etiam in

publica utilitate. Ecclesia autem cum non vellet iure asyli dare ansam delictis, reos criminum maiorum, eos praesertim qui non ex impetu aliquo passionis, sed ex malitia peccaverant, vel ipso loco sancto abutebantur, causa cognita, brachio saeculari tradebat. Iamvero haec 2ª ratio, mitigatis moribus non amplius viget; et ius canonicum ita limitatum fuerat ut reos leviorum tantum criminum non traderet; sed cum pro his sit levior poena, neque expedit dare Ecclesiae tale incommodum: ipsis etiam reis non expedit, cum per longinquum tempus, donec habita esset praescriptio, debuissent veluti in carcere in Ecclesia stare, seu in aedificio apposito, quod ut plurimum in exedris habebatur.

139. Remanet tamen 1ª ratio; sed et supra hoc potest ab Ecclesia indulgeri per modum regulae, dummodo servetur debita convenientia. Et tunc non amplius rei ad Ecclesiam confugiunt, cum ibi securius deprehendantur. Supersunt qui in ipsa Ecclesia delinquunt, qui minus digni sunt excusatione et Ecclesiae protectione.

ARTICULUS IV.

Quaestio de privilegiis.

140. Privilegia concessa clericis, aut rebus Ecclesiae, non ideo alienant a societate civili, cum et clerici sint cives quamvis privilegiati, et bona Ecclesiae sint in societate quamvis privilegiata.

Privilegia enim non modo concedenda sunt Ecclesiae ex eius superioritate, sed inspecta in genere, neque opponuntur aequalitati et naturae societatis.

Duplex enim est aequalitas, materialis et formalis; materialis in eo consistit, unumquemque cuiuslibet con-

ditionis eadem quantitate gaudere bonorum socialium et eadem quantitate onerum gravari. Formalis consistit in eo quod bona et onera sint proportionata conditioni sociorum et organismo societatis ipsius.

Iamvero socii non sunt in omnibus pares; ex. gr. quidam divites sunt et quidam pauperes, ideoque cum diversa bonorum quantitate societatem ineunt, ideoque societas diversam bonorum quantitatem singulis defendit, qui et diversa quantitate respondenti, onera publica ferunt. Item societas requirit organizationem quamdam tum auctoritatis praesidentis, tum diversarum professionum, quae diversam entitatem et praestantiam praeseferunt, adeo ut sicut in corpore, ut ait sanctus Paulus, sunt multa membra quae non eumdem actum habent, ita et in societate officiorum et professionum diversitas requiritur, quae tandem redundat in communem totius corporis utilitatem, iuxta notum apologum Merenii Agrippae.

141. His positis, necesse est cuiusque ius servare et singulis professionibus ea suppeditare quae necessaria sunt ut possint florere, et sic societati utiliter inservire, ideoque formalis aequalitas est in societate servanda; etenim aequalitas materialis esset iniusta et societati noxia. Iniusta, quia impares pari modo tractaret; noxia, quia impediret societatis organizationem; et proinde exemptiones aliquae et privilegia iuste conceduntur, intuitu boni publici, et quamvis absque necessitate non sint concedenda, tamen neque a priori sunt excludenda.

142. Iamvero homini individuo et societati necessaria est religio exterior et publica, ideoque et ordo ministrorum, loca et res cultui divino sive proxime sive remote, destinatae. Hinc concedenda ea privilegia

quae necessaria sunt ut utiliter sacri ministri adlegi, educari et conservari possint, ipsorumque ministerium honorabiliter et efficaciter exerceri. Quae privilegia si aliquod gravamen ceteris civibus inferunt, est intuitu boni publici, ideoque iustum et a ceteris tolerandum, sicut cetera iusta onera socialia.

Hinc etsi ageretur tantum de naturali religione, iuste adhuc privilegia concederentur societati religiosae, seu societatis humanae officialibus pro re religiosa, et omnibus quae ad eamdem referuntur.

Ecclesiae autem erit invigilare ut clerici optime respondeant officiis suis et ne privilegiis abutantur. Id enim si contingat, primo imminuitur populi reverentia erga res et personas sacras, ac tandem in apertam prodit hostilitatem, cum magno populi ipsius et Ecclesiae detrimento.

ARTICULUS V.

De omnimoda immunitate quae iure divino competit summo Pontifici.

143. Vidimus immunitatem clericorum ab auctoritate civili in iis quae ad proprium referuntur ministerium esse rigorose iuris divini; in reliquis habere fundamentum in iure divino. Consistit autem haec secunda pars in eo quod 1° non graventur curis saecularibus quae eos quoquomodo distrahere valeant a servitio divino; 2° quod iurisdictioni civili, praesertim in criminalibus, non subsint; etenim iurisdictio in personam, seu ius eam gubernandi, maxime ostenditur in iudicio criminali, quod et ius vis coactivae subaudit. E contra ius obligandi per leges, sed mere *directive*, et quidem in iis quae decori status proprii non opponuntur, minus adversatur immunitati.

Iamvero cum immunitas quoad secundam hanc partem, innitatur in excellentia et sanctitate status clericalis, eiusque dedicatione servitio divino, apparet 1° eam eminenti gradu convenire summo Pontifici, erga quem reverentia populi christiani maxima esse debet ob maximam eiusdem sanctitatem, ac plenam potestatem in iis quae ad Dei cultum referuntur.

144. Sed 2° praeter maximam convenientiam, ei asserenda est perfecta immunitas inter christianos a qualibet saeculari iurisdictione vi muneris sui. Etenim diximus Ecclesiam ius habere vindicandi sibi immunitatem; id igitur statuitur lege generali seu papali. Sed qui ius habet immunitatem a lege civili pro clericis statuendi, oportet non sit subditus eiusdem legis civilis, secus ab ea ligaretur, ceterosque solvere non posset. Ergo saltem dicendum est eum a vi coactiva legis immunem esse et tantum subiici *directivae* et quidem iudicio suo.

3° Subiectio summi Pontificis vi coactivae impediret regimen Ecclesiae, quod est bonum excellentius et magis necessarium ac bonum quodcumque civile.

4° Idem probatur ex eo quod summus Pontifex saltem indirecte est iudex supremus ipsius potestatis civilis, nempe ratione peccati; seu valet iudicare an auctoritas civilis in usu suae potestatis recte vel non processerit. Iamvero nequit esse subditus alicuius auctoritatis qui iudicat de legittimo eius usu; ut enim iudicet oportet sit superior, ideoque exemptus. Ergo dicendum est summum Pontificem cum sit in apice utriusque potestatis, a quavis iurisdictione esse immunem.

145. Ex quo sequitur eius personam esse extra-territorialem; vel melius, ius habere, vi catholicitatis

Ecclesiae cui praeest, morandi in quolibet territorio, sed solutam a legibus; intellige *coactive*, nam *directive* tenetur servare omnia quae sunt conciliabilia cum eius dignitate et necessaria ordini publico, sicut et quilibet princeps tenetur de legibus quoque suis.

146. Sequitur deinde statum convenientem summo Pontifici esse tantum *regalem*, quia independentia de *facto*, quae respondeat eius independentiae de *iure*, nequit in facto stabiliter haberi, attentis societatis circumstantiis et attenta humana indole, nisi ipse principatu polleat, de quo inferius expressius agemus.

147. In episcopis autem idem non obtinet; etsi enim et ipsi ratione peccati possint iudicare reges sibi subditos, tamen si episcopus quereretur de peccato principis de cetero eum legittime iudicantis, iudex esset gradus superior iurisdictionis ecclesiasticae, et tandem summus Pontifex ad quem daretur appellatio ex parte principis et episcopi. Sed iudex superior in causa ipsius Pontificis non habetur; ergo ipse omnes iudicat et a nemine iudicatur.

CAPUT VI.

DE POTESTATE INDIRECTA ECCLESIAE IN TEMPORALIA.

Quaeramus 1° de iure Ecclesiae in materias de se temporales seu civiles; 2° de eius iure in ipsam auctoritatem civilem, pro eius actibus corrigendis; 3° de principum correptione; 4° de eorumdem depositione medio aevo; 5° de concessione regnorum infidelium eodem medio aevo; 6° de potestate specialiter competente, medio aevo, summo Pontifici, ut principi ethnarchiae christianae.

ARTICULUS I.

Ius Ecclesiae quoad materias temporales.

148. Quoad I^um notandum est Ecclesiae ius esse defendendi societatem christianam ab hostibus tum internis tum externis, qui attentant eius existentiae aut eius incolumitati.

Cuilibet enim societati ius est defendendi suam existentiam et integritatem; et societati perfectae, hoc ius est plenum atque independens; ideoque utitur ad hunc scopum omnibus mediis de se idoneis, quae vel immediate, vel mediate possidet, eiusque membra tenentur eidem parere.

149. Hinc Ecclesia potest I. quaedam interdicere vel praecipere christianis relate ad hunc finem, praesertim contra externos hostes. Hinc et regna ad bellum excitare, ut factum est contra Saracenos, quando non modo iniuste detinebant loca sancta, cum magno dedecore populorum christianorum, sed insuper minitabantur continuo occupationem regionum christianarum quae adhuc incolumes erant, seu in periculum vocabant ipsam christianitatem. Sicut autem statibus iuste imperat, ut pro incolumitate et integritate christianitatis arma capiant, ita singulis vel subsidia imponit, ex. gr. decimas, praesertim concedendo partem decimarum ecclesiasticarum, vel quaedam prohibet, ex. gr. commercium armorum cum ipsis, ut legimus in titulo de Iudaeis et Saracenis, qui titulus integer legendus est.

Ita etiam Ecclesia concessit suam protectionem, seu, ut dicebatur, protectionem sancti Petri, idest Ecclesiae romanae personis, iuribus et rebus non modo

crucesignatorum, sed et leprosorum [1]) ac peregrinantium [2]).

Concilium Lateranense IV. can. 68. praecipit hebraeis ubique ferendum esse speciale indumentum, ut aliquibus in provinciis iam in usu erat; et can. 69. renovat dispositionem canonum Ecclesiae hispanicae, qua eis interdicuntur officia publica. Ut faveret quintae sacrae expeditioni vetat per quatuor annos christianis navigare ad loca saracenorum. Prohibet per tres annos torneamenta. Pacem generalem indicit inter christianos [3]).

Innocentius autem III. ut faveat eidem quintae sacrae expeditioni vetat cogere ad usuras solvendas qui debita contraxerant ad arma sibi comparanda, et praecipit principibus ut cogant hebraeos ad eas condonandas; quibus renuentibus, omne commercium cum christianis interdicant.

Honorius autem III. eius successor, anno 1217, ne saraceni ditescerent tributis christianorum, his vetat peregrinationem ad loca sancta.

Eugenius IV. sess. 2ª Concilii Ferrariensis, die 25 Februarii 1438, prohibet sub poena excommunicationis cibos et alia ad vitam necessaria Basileam afferre, si post 30 dies schismatici ibi adunati non discessissent [4]).

Ipsum Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 6. *de reform. matrimonii*, statuit raptorem dotare debere raptam arbitrio iudicis, sive eam in uxorem ducat sive non.

150. II. Negligente vel deficiente auctoritate civili, ius est Ecclesiae supplendi, seu ad eam devolvitur ius

1) Rohrbacher, lib. 76. (vol. 10. pag. 408 cit. edit.)
2) Vide tit. de Clericis peregrinantibus.
3) Rohrbacher, lib. 71. (vol. 9. cit. edit. 1862).
4) Rohrbacher, lib. 82. (vol. 11. pag. 455 cit. edit.)

imperandi et in temporalibus quae necessaria sunt pro incolumitate societatis christianae. Etenim gens seu societas christiana ius habet ad suam existentiam et incolumitatem; et id per se spectat ad auctoritatem civilem, ideoque iure Ecclesia haec ab ea exigit; sed ea deficiente, supplet per se. Aliud autem est si auctoritas civilis adsit et vigeat, sed mala voluntate nolit; tunc etsi puniri de hoc possit, tamen nequiret Ecclesiam inducere novam organizationem armatam, cum adsit qui debet et potest, qui potius est removendus, si nolit, quam inducendus duplex ordo circa eamdem materiam et ex eodem fine, cum id sit inordinatum.

ARTICULUS II.

Ius Ecclesiae in leges civiles.

151. Quaeri potest an ex eo quod Ecclesia et status sunt duae societates distinctae et independentes, sit excludendum quodcumque ius Ecclesiae, seu supremae eius auctoritatis, idest Pontificis, in principes quatenus tales. Iamvero in historia habemus quaedam notissima facta: 1° aliquando leges civiles fuisse declaratas irritas a lege ecclesiastica; 2° principes fuisse poenis ecclesiasticis punitos ob actus potestatis civilis, ex. gr. ob pecuniam falsi valoris emissam; 3° ipsos principes depositos fuisse, et subditos liberatos a iuramento fidelitatis.

152. Sed primum caput nullam facit difficultatem; siquidem si Ecclesia habet finem superiorem cui subordinatus est finis civilis, evidens est iniustas esse atque irritas vel irritabiles leges illas civiles quae huic fini, vel iuribus Ecclesiae opponuntur. Hinc vel dicendum esset non extare subordinationem inter Ecclesiam

et statum ratione finium, et tunc quae a Deo sunt, ordinata non essent, vel concedendum Ecclesiam posse id iudicare; et quoniam Ecclesia non modo habet infallibilitatem ad docendum in abstracto, sed etiam auctoritatem ad decernendum in concreto, potest in singulis casibus iudicare. Et notandum, subditum quoque non posse obedire in iis quae evidenter sunt peccata; potest ergo iudicare de hoc; si id potest privatus, multo magis Ecclesia; ille non habet iudicium auctoritativum, quia privatus, sed tamen ob rei evidentiam non modo excusatur in foro interno, sed est absolvendus et in foro externo; Ecclesia autem habet pro munere suo, auctoritatem iudicium proferendi.

ARTICULUS III.

De principum correptione.

153. Neque difficultatem facit alterum caput, principes poena fuisse multatos ob delicta civilia. Etenim principes habent officia etiam ut principes; hinc celebris Soto dixit Carolo V. « Confessus es peccata Ca« roli; dic modo peccata Caesaris ». Sicut autem subiiciuntur foro interno Ecclesiae, ita et externo subiici possunt, si peccatum exterius pateat. Ita s. Ambrosius poenitentiae subiecit Theodosium Magnum.

154. Cum autem dicimus Ecclesiam animadvertere posse in principes, de iure loquimur, non autem de modo; scit enim Ecclesia quanta reverentia debita sit principibus ob eminentem ipsorum auctoritatem; hinc tantum necessitate coacta in eos severius agit, vel ob delicta privata enormiter scandalosa, puta assumptionem alterius mulieris in uxorem, vivente prima, ut

fecit Lotharius II. rex ab Ecclesia de hoc correptus; vel in rempublicam, ex. gr. saevam tyrannidem.

Item non omnes poenae sunt aeque applicabiles principibus et privatis; etenim quae vim coactivam exigunt, in principem donec princeps est, adhiberi nequeunt, cum vis militaris necessaria ad poenae applicationem esset subministranda ab ipso principe; nec ordinatum est eius milites in eum convertantur, donec eis superior est. Remanent poenitentiae, et censurae quae et ad poenitentias suscipiendas impellent, et tandem depositio, qua secuta et aliae poenae possent applicari, si ulterius necessariae essent; de qua depositione agimus sequenti articulo.

155. Ecclesiam posse, de iure, corripere ipsos principes ut tales, tradit aperte Innocentius III. in celebri cap. *Novit ille, de iudiciis.*

Allegatis enim verbis sacris, Deuteronomii I. « Ita « magnum iudicabis ut parvum, nec erit apud te ac- « ceptio personarum, » ait non aliter cum regibus et aliter cum aliis agendum esse, et se posse « hoc modo « procedere super quolibet criminali (mortali) pec- « cato... praecipue cum contra pacem peccatur, quae « est vinculum caritatis ». Agebatur enim de controversia inter regem Angliae Ioannem et regem Franciae Philippum Augustum, qui cum contenderent de comitatu pictaviensi, qui erat feudum Franciae, treugam sibi iuraverant; sed postea rex Franciae eam ruperat et comitatum invaserat. Ioannes autem eum denuntiavit summo Pontifici, ut periurium. Committit igitur Pontifex iudicibus delegatis ut « de plano cognoscant « an iusta sit querimonia, quam contra eum (regem « Franciae) proponit coram Ecclesia rex Anglorum, « vel eius exceptio sit legittima ». Et tamen Pontifex

protestatur se per hoc non invadere iurisdictionem civilem regis Francorum: « Non enim intendimus iudi-
« care de feudo, cuius ad ipsum spectat iudicium... sed
« decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine
« dubitatione censura, quam in quemlibet exercere pos-
« sumus et debemus ».

156. Regalistae aiebant summum Pontificem ex iure publico medii aevi processisse in hac causa, idest iure humano contingenti; agnoscebatur enim ut caput christianitatis etiam in iis quae ad publicam et, ut nunc diceremus, internationalem tranquillitatem referebantur.

Verum obstat ipse textus decretalis pontificiae, cum arguat Pontifex pro sua auctoritate asserenda ex evangelio et ex natura officii pastoralis; imo protestatur se non iudicare causam sub respectu temporali, sed tantum ratione peccati, nempe pacis iuratae et violatae, ut videat an adfuerit legittima exceptio vel non.

157. Pariter inepte dictum est etiam, Pontificem intervenisse quia rex Angliae erat Ecclesiae romanae tributarius, ideoque specialiter sub eius protectione; etenim de hoc quoque nulla mentio fit a Pontifice, imo agnoscit videre de feudo pictaviensi de quo quaestio erat, spectare ad regem Franciae; et notum est in causa feudi laici, cap. 6. et 7. *de Foro competenti*, et clericos iudicatos fuisse a domino feudali; igitur multo magis tributarius Ecclesiae. Asserit igitur Pontifex se ratione peccati iudicare nativa sua auctoritate ipsos principes.

Et sane: in ordine ad consecutionem finis Ecclesiae aeque se habent privati et principes; sunt enim aeque agni pascendi, et ipsis honestas aeque ac privatis necessaria est; sed potest in legem moralem peccari, idest divinam aut etiam ecclesiasticam disciplinarem,

sive per actus privatos, sive exercitio iurium maiestaticorum. Ergo Ecclesia, ad quam de peccato sine dubitatione pertinet censura exercenda in omnes, iuste corripit et reges, et si quem iniuste et certo laeserint, iure ab eis exigit reparationem damnorum, ut a statu peccati ad statum gratiae perveniant.

158. Verum regalistae aiebant in hac hypothesi amitti independentiam saecularis potestatis, quae tantum a Deo iudicari potest.

Sed haec difficultas resolvitur distinguendo inter honestum usum civilis potestatis et usum inhonestum. Etenim nemini ius est inhoneste agendi; qui enim independens est non subest alterius imperio donec limites honestatis non egrediatur; intra hos limites libere administrat, eum modum eligendo qui ei placeat. E contra qui subditus est, tenetur parere praecepto superioris non modo ut inhoneste non agat, sed etiam ut eo tantum ex honestis modis utatur, qui a superiore praescribitur, et superveniente superioris praecepto, fit ei illicitus ille modus qui de cetero fuisset honestus et forsitan obiective melior ac ille qui a superiore praecipitur. Si autem inhoneste agat, corrigitur a superiore a quo directe pendet, praecise quia ea materia usus est, cuius respectu est subditus.

E contra qui est independens in suo ordine temporali, corrigitur ab Ecclesia quia proprium ordinem praetergressus est, offendendo moralitatem, cuius ratione subditus est Ecclesiae. Hoc autem sub respectu generico, omnes fideles subditi sunt Ecclesiae sive privati sive principes. Contrarius conceptus est paganus, et tantum oriri potuit ex confusione dependentiae directae et specificae, nempe ratione materiae, et dependentiae indirectae, ratione generica peccati.

159. Van-Espen in hoc cap. XIII. de iudiciis, obiicit ex nostra theorica sequi principes iudicari posse et ab episcopis, non modo a summo Pontifice.

Sed in hoc nullum est inconveniens; et ex historia ecclesiastica scimus aliquando reges iudicatos fuisse in conciliis provincialibus seu nationalibus. Tamen 1° iudicium episcopi est semper iudicium auctoritatis ecclesiasticae secundi ordinis; hinc datur appellatio ad summum Pontificem; 2° non est facile episcopus utpote in temporalibus subditus regis, habeat de facto eam libertatem quae pro iudicio evidenter iusto, necessaria est; hinc est etiam plures reges impetrasse aliquando privilegia ne ab alio coërcitive corripi possent quam a summo Pontifice; ita Clemens VI. die 21. Apr. 1351 concessit regi et reginae Franciae [1]).

160. Eadem doctrina de potestate indirecta Ecclesiae in temporalibus, generalius traditur in celebri constitutione Bonifacii VIII. *Unam sanctam*, quae legitur titulo *de maioritate et obedientia inter communes*, in qua praesertim haec attendas: « Oportet gladium « esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spiri- « tuali subiici potestati. Nam cum dicat Apostolus: « non est potestas nisi a Deo; quae autem sunt a Deo, « ordinatae sunt: non autem essent ordinatae, nisi « gladius esset sub gladio, tamquam inferior reducere- « tur per alium in suprema.... Ergo si deviat terrena « potestas, iudicabitur a potestate spiritali; sed si de- « viat spiritalis minor, a suo superiori; si vero supre- « ma, a solo Deo... Porro subesse romano Pontifici omni « humanae creaturae declaramus, dicimus, definimus et « pronunciamus, omnino esse de necessitate salutis ».

1) V. Bullarium Magnum, tom. 7. pag. 186.

Pontifex, ut patet, loquitur de actu iurisdictionis pontificiae disciplinaris, non dogmaticae, etenim supponit supremam potestatem errare, quod tantum in factis particularibus evenire potest, seu male applicando iustam legem generalem. Affirmat autem potestatem temporalem si erraverit, corrigi a spiritali, allegans intrinsecam rationem huius divinae dispositionis. Oportet enim quae a Deo sunt potestates, ordinatas esse; sed non essent ordinatae nisi una saltem indirecte subderetur alteri, et sic inferiora reducerentur ad suprema. Et sane cum iidem homines ex Dei voluntate subsint utrique auctoritati temporali et spirituali, oportet habeant criterium aliquod iuridicum quo in casu conflictus cognoscant cui sit parendum; item hoc criterium necessarium est pro ipsis auctoritatibus temporali et spirituali; secus pares essent et bello controversiam finirent. Sed si paritas iuridica non repugnat inter duas societates quae constent diversis individuis, repugnat pro eis quae iisdem imperant; etenim in casu conflictus pari iure socios ad diversa distraherent. Hinc etiam est quod si aliquis individuus adscriptus sit duplici societati pari, in casu conflictus inter easdem, necesse est uni vel alteri nuncium mittat, ut parte I[a] dictum est [1]). Ergo inter duas societates divinitus constitutas pro iisdem membris oportet adsit disparitas; et in casu nostro maioritas stat ex parte Ecclesiae. Igitur indirecte ipsa iudicat de tempopali deviante, et a nemine iudicatur suprema eius potestas.

161. Constitutioni Bonifacii VIII. *Unam sanctam*, non opponitur constitutio Clementis V. *Meruit, cap. 2.*

1) Cap. 1. art. 6. § 2.

de privilegiis inter communes, qua declarat per citatam constitutionem sui praedecessoris, non esse imminutam libertatem regni Franciae, sed res in eodem statu ac antea perseverare.

Etenim constitutio Bonifacii VIII. opera nonnullorum iuris civilis peritorum, qui iam ex eo tempore bellum Ecclesiae movere incipiebant, male fuit interpretata veluti si Pontifex asseruisset regnum Francorum esse aliquo gradu feudalitatis seu specialis fidelitatis temporalis, dependens a s. Sede, ex. gr. ut regnum Siciliae, vel Angliae, confundendo directam dependentiam cum indirecta. Et litterae fuerunt confictae summi Pontificis ad regem exasperandum. Hinc secuta est eiusdem regis aperta rebellio cum Bonifacium declaraverit falsum Papam et vocaverit Malefacium, eumque, ut notum est, opera suorum militum et nonnullorum proditorum, apud Ananiam captivum fecerit [1]); hinc poëta quamvis ghibellinus, cecinit Purg. xx:

« Veggio in Alagna entrar lo fiordaliso,
E nel Vicario suo Cristo esser catto.
Veggiolo un'altra volta esser deriso;
Veggio rinnovellar l'aceto e 'l fele,
E tra vivi ladroni essere anciso ».

Hinc tandem Clemens V. ad omnem auferendam invidiam, edidit supracitatam constitutionem, *Meruit*. Et revera, per constitutionem Bonifacii VIII. non plus laesa fuerat libertas regni Francorum, quam cuiuscumque alterius regni christiani; cumque fuerit declarativa iuris divini, profecto res omnes perseverabant et perseverant in eodem statu ac antea; sed nunc, si quae

1) Vide de hac controversia Audisio Guglielmo, Diritto publico della Chiesa e delle genti cristiane, tom. 2. tit. 23. et seqq.

fuisset dubitatio de indirecta potestate Ecclesiae competente iure divino in res temporales et ipsas regum personas, sublata fuit ea declaratione auctoritativa summi Pontificis.

ARTICULUS IV.

De principum depositione.

162. Novem accidit vicibus imperatores vel reges depositos fuisse, aut solutos populos ab obedientia, a Gregorio II. anno 731, interdicente Italis solvere vectigalia Graecis, ad Paulum V. qui interdixit venetam rempublicam, et tantum in duobus postremis casibus sententia Pontificis effectum suum sortita non est. Hostes Ecclesiae valde inclamaverunt de hac re, velut de magno abusu potestatis Ecclesiae; verum et prudentiores inter recentes protestantes agnoscunt salutarem fuisse hunc Pontificum interventum, ideoque iustum habitum esse tunc temporis, et proinde iure publico licuisse. Etiam ex catholicis non omnes satis in hac re cauti fuerunt, et etiam inter optimos quaedam differentiae sunt.

163. Et I. animadvertimus a nobis non considerari quosdam casus, in quibus summi Pontifices tantum declaraverunt ipsum ius publicum civile, sive naturale sive positivum. Cum enim certum sit aliquando et principes, praesertim electivos, amittere posse regnum, tunc maxime cum limitationes positivae ipsorum auctoritati constitutae sunt, nil mirum si summi Pontifices interrogati ab iis quorum intererat, auctoritative de hac re pronuntiaverint. Non enim erat exercitium potestatis dominativae, sed declarativae, eis competentis ut supremis moralitatis privatae et publicae iudicibus

et custodibus. Ita explicanda est quam dicunt translationem regni a prima Francorum dynastia, ad secundam, capeticam.

164. Ultimi enim reges, merovingicae stirpis, qui et *nihil facientes* appellati sunt, umbram potius quam substantiam regiae potestatis retinuerant, quae a maiore domus, potentissimo feudatario inter regni dignitarios, exercebatur et possidebatur. Pipinus igitur illustris Caroli Martelli filius, in regem exoptabatur a regni primoribus. Ita et Longobardorum magnates anno 625, regi Adaloaldo substituerant Ariovaldum ducem taurinensem, et anno 745 deposito Hildebrando, ei suffecerunt Rachim. Item in Hispania anno 630 rex Suinila eiectus fuit, assentiente postea concilio Toletano IV.

Interrogatus est igitur et summus Pontifex s. Zacharias a Francis; et reposuit iustum esse ut ille regio titulo decoraretur qui respondenti potestate fruebatur [1]). Non igitur proprio nomine regnum transferebat, sed quod suo iure Franci perficere intendebant, honestum declarabat, simulque non obstare vim iuramenti Childerico regi praestiti, utpote quod erat accessorium deficiens corruente principali.

Omissis igitur casibus declarationis iuris, videamus de reliquis in quibus Pontifex ipse privat regno, exponentes diversas sententias et quid ut certum tenendum sit, statuentes.

Primo, omnes etiam protestantes defendunt imperatorum et regum depositiones factas medio aevo ex

---

1) Vide probatos historicos rei tum civilis, tum praesertim ecclesiasticae, ut card. Orsi, seu eius continuatorem episcopum Becchetti, lib. 53. § 79. et seqq.

iure publico illius temporis. Quod ut melius appareat, distinguendum est inter imperatorem romanum et ceteros reges.

A. *De depositione imperatorum.*

165. Notum est anno 800, seu in Natali Domini anni 799, Leonem III. summum Pontificem renovasse in persona Caroli Magni dignitatem imperatoris occidentalis, qui simpliciter romanus imperator dictus est. Carolus Magnus et eius pater Pipinus iam fuerant declarati *patritii* romani, quod nomen significabat tunc temporis armatos patronos seu defensores populi romani.

Dignitas huius imperatoris valde differebat ab antiquo imperatore occidentis. Illi enim veteres, ante Odoacrem regem, erant veri monarchae in universo imperio romano adeo ut suprema gauderent civili auctoritate. E contra romanus imperator medii aevi, nihil aliud erat quam defensor armatus Ecclesiae inter christianos contra externos et internos eiusdem hostes. Cum enim Ecclesia ius habeat se defendendi, cumque omnes fideles ad id teneantur iuxta proprias vires, Ecclesia unum principem inter alios specialiter ad hoc designavit, quem ut caput in hoc negotio et ceteri deberent considerare; ideoque ex hoc ei derivabat quaedam praeeminentia supra ceteros occidentales principes; dico occidentales, quia Ecclesia ne offenderet orientales imperatores, ad eos non extendit supereminentiam occidentalis imperatoris, qui in se colligebat illam Ecclesiae protectionem quam iam exercuerant veteres imperatores romani. Tamen imperatoris romani officium erat, Ecclesiam romanam et catholicam

defendere etiam ab insidiis graecorum, et huius rei saepe expressam promissionem exigebant Pontifices.

166. Diximus Ecclesiam ius habere ad se defendendam; et tamen primis saeculis sese non defendit ab imperatoribus paganis.

Resp. primis saeculis non extitisse societatem politice christianam, ideoque habentem vim armatam de qua Ecclesia disponeret; e contra postea facti sunt vel principes et populi christiani, vel saltem populi sine principibus tempore anarchiae, vel barones tempore feudali; tunc hi populi vel barones erant independentes politice, ideoque habebant iure vim armatam. Igitur Ecclesia a suis subditis habentibus vim armatam iure petere potest ut pugnent ad eius defensionem.

167. Igitur imperator romanus medii aevi, ex sua dignitate imperiali non acquirebat determinatum principatum, neque aliquid poterat in rebus civilibus aliorum principum occidentis, sed tantum ut caput defensionis Ecclesiae, disponebat de viribus quas Ecclesia habebat ad se defendendam, vel quae fideles ei suppeditabant.

168. Hinc imperator constantinopolitanus erat in oriente verus monarcha; imperator romanus tantum in suis dominiis quae aliunde habuisset. Cum autem occidentale imperium in multis subdivisum esset principatibus, et principatus maiores essent saepe plus nominales quam reales, officium defendendi Ecclesiam spectasset ad omnes simul; sed id efficaciter et sine confusione fieri non poterat absque capite; optime ergo Ecclesia designavit caput, idest imperatorem.

169. Conceptum romani imperatoris medii aevi exponit Ludovicus II. in sua epistola ad Basilium imperatorem constantinopolitanum (apud Baronium an. 871):

« Hunc dignitatis imperatoris titulum cum in Momillo « Augustulo ultimo occidentis imperatore ante tre- « centos ferme annos sub regno Gothorum in Italia « defecisset, in eodem occidente Pontifex renovavit, ut « *haberet Ecclesia romana adversus infideles, haereticos* « *ac seditiosos tutorem*... Indicat hoc ipsius iurisiurandi « formula.... In nomine Christi spondeo atque polli- « ceor ego N. imperator protectorem ac defensorem « fore huius sanctae romanae Ecclesiae in omnibus uti- « litatibus etc. »

170. Cum autem regnum germanicum esset electivum et etiam saeculo X. ei coniunctum esset regnum italicum, factum est ut summi Pontifices eligerent in imperatorem qui electus esset rex Germaniae, idque veluti transiit in ius; sed viceversa electio regis facta a principibus Germaniae debebat a Papa confirmari; tunc electus in imperatorem acquirebat et principatum civilem ob unionem dignitatis imperialis cum regnis germanico et italico; tamen reges illius temporis erant feudales, ideoque sub ipsis multi principes erant et civitates liberae habentes armatam vim.

171. Imperator romanus non erat princeps supremus Romae; etenim princeps erat ipse Pontifex; hinc magistratus et primores populi romani iurando fidelitatem imperatori, aiebant « salva fidelitate iam promissa Domino Papae [1] ».

172. Posita hac idea imperatoris romani apparet eum potuisse a summis Pontificibus deponi, si muneri suo defendendi Ecclesiam non satisfecisset.

Ergo depositio imperatoris nullam sapit usurpationem.

1) Rohrbacher, lib. 59. (vol. 6. pag. 758. cit. edit.) ubi refert iuramentum a populo datum Arnulpho imperatori anno 895.

173. Verum quidem est amissionem dignitatis imperialis, non modo cum expoliasse officio ecclesiastico, sed et regno Germaniae et Italiae; sed hoc ex voluntate ipsorum eligentium acceptata ab ipso electo. Cum enim principes electores, plurimi facerent dignitatem imperialem in suo rege, illum intendebant eligere in regem qui dignus esset ut a Pontifice in imperatorem reciperetur. Erat ergo electio conditionata, et conditio acceptata ab electo. Hinc cum Gregorius VII. deposuit Henricum IV. electores non sunt conquesti de usurpatione, sed ei tempus constituerunt quo satisfaceret Pontifici, quia excommunicatus post annum et diem fiebat anathema, et cadebat suis iuribus, quae a communione catholica pendebant, et iuxta *palatinas leges* indignus regio onere habebatur [1]).

174. Notum autem est imperatores medii aevi aliquando male intellexisse tum regiam dignitatem, tum protectoratum Ecclesiae; etenim quoad 1^um^ aliquando sibi tribuerunt potestatem quam leges romanae dabant antiquis imperatoribus, confundentes regem feudalem Germaniae et Italiae cum imperatore romano antiquo, qui non agnoscebat principes inferiores neque civitates liberas. Hinc Fridericus I. Aenobarbus, in comitiis generalibus Roncaliae citabat pro se codicem iustinianaeum.

Et Gotofredus viterbiensis, secretarius imperatoris Henrici V. in Chron. part. 17. de auctoritate imperiali haec more pagano canit:

> Caesar lex viva stat regibus imperativa
> Legeque sub viva sunt omnia iura dativa
> Lex ea castigat, solvit et ipsa ligat.

1) Lambert Schafa, ad an. 1076.

Conditor est legis neque debet lege teneri
Sed sibi complacuit sub lege libenter haberi.
Quidquid ei placuit iuris ad instar erit.
Qui ligat et solvit, Deus ipsum praetulit orbi
Divisit regnum divina potentia secum;
Astra dedit superis, cetera cuncta sibi.

175. Quoad 2^um notum est saepe imperatores considerasse patronatum Ecclesiae ut dominium; hinc multae ipsorum usurpationes et pugnae cum Ecclesia; ex quo factum est ut illa dignitas minueretur et fieret potius nominalis quoad Ecclesiam, exceptis iuribus regiis vel feudalibus in suis dominiis. Hinc si Pontifices deposuerunt imperatores, id fecerunt iure proprio et speciali. Proinde non legimus eos deposuisse imperatores orientis, sed tantum prohibuisse Italis eis solvere vectigalia; et hoc optime; cum enim populo sit ius subtrahendi se ab obedientia tyranni (hic non inquirimus quando), Ecclesia nihil aliud faciebat quam auctoritative declarare, hoc in casu verificari ius et officium populi, negandi obedientiam. Ecclesia enim est iudex moralitatis, non modo in abstracto sed et in concreto.

B. *De regum depositione.*

176. Nunc *de regibus*. Potestas regia imperatoris erat connexa cum dignitate imperiali, ideoque hac amissa, et illa ruebat quoad regnum Germaniae et Italiae; poterant tamen ei remanere ducatus et comitatus haereditarii vel alia regna, ex. gr. Bohemiae si habuisset. Sed quaerimus de aliis regibus. Distinguendum est inter reges sanctae Sedi tributarios et alios omnino liberos, ut erat rex Galliarum. Etenim multa regna ex devotione agnoscebant s. Sedem ut habentem supremam

auctoritatem feudalem, vel quasi, quia regna oblata fuerant beato Petro ut ei tributaria, et ab eo dependentia ac specialiter addicta; tamen haec subiectio erat diversa pro diversis regionibus.

177. Ita regnum Siciliae, Aragoniae, Angliae. Etelvulphus enim rex Angliae tributarium fecit regnum suum et annuum censum constituit, regnante Leone IV. qui defunctus est anno 855, extendendo tributum s. Petri ad universam Angliam, quam pater eius Egbertus sub sua ditione integram redigerat. Etiam Inas unus ex regulis eptarchiae constituerat denarium sancti Petri.

Sed proprie regnum Angliae factum est feudale s. Sedis die 23 Maii 1213 opera Ioannis regis (sine terra) [1]).

Item a s. Sede pendebat regnum Poloniae, Daniae, Norvegiae, Svetiae, Lusitaniae, Neapolis. Henricus enim III. imperator habuit a Pontifice Leone IX. abbatiam Fuldae et alia dominia s. Sedis ultra Alpes, et reciproce concessit s. Sedi omnia dominia ultra-romana, idest ad imperium spectantia in Italia inferiori; hinc Pontifices investituram Apuliae dederunt normannis. Titulum autem regium dederunt summi Pontifices Hungariae anno 1073; Croatiae anno 1076; Poloniae anno 1080; Lusitaniae anno 1142 et 1179; Hiberniae anno 1156 [2]).

Item Armeniae et Bulgariae; sed huius rex declaravit per hoc non intendere aliquam suscipere temporalem dependentiam a s. Sede.

Etiam Lituaniae anno 1251 Innocentius IV. habita oblatione regni.

---

1) Hergenroether, op. cit. dissert. 10. n. 2.

2) V. Walter: Manuale iuris can. vol. 2. pag. 221. edit. pisanae 1848.

Ex epistola 74. lib. 2. s. Gregorii VII. filius Demetrii regis Russiae petiit ab eodem s. Gregorio nomine patris sui, recipere regnum e manibus sancti Petri. In Hispania autem ex eodem s. Gregorio regnum iam erat s. Petro consecratum ab antiquis temporibus ante saracenos; deinde plures principes eiicientes saracenos impetrabant a s. Sede possessionem dominii a quo eos eiecissent, nomine s. Petri.

Item ex epistola 4. lib. 7. eiusdem s. Gregorii scimus et Dalmatiam regem accepisse a s. Petro [1]).

Item oblata est Pontifici Pomerania, Sclavia, Cassubia et Stettinum [2]).

Bosnia quoque [3]).

Livonia [4]) et Serbia [5]).

Postremus qui regnum suum s. Sedi obtulit fuit rex Congo anno 1608 [6]).

Verum notandum est has regnorum oblationes, ut plurimum non importasse dependentiam proprie feudalem seu ligiam, sed simplicem fidelitatem ex parte principum et religiosam quamdam consecrationem, quae tamen saltem id importabat ut se specialiter obligarent ad religionem fovendam, eaque sub conditione regnum tenerent, Pontifex autem eos haberet sub speciali protectione. Hic igitur poterat, si a suo munere defecissent, eos iuste regno privare. In ceteros autem qui vinculo proprie feudali stringebantur, multo magis valebat animadvertere.

---

1) V. Bianchi, La podestà indiretta, vol. 1. pag. 376. edit. romanae.
2) Rohrbacher, lib. 79. (vol. 10. pag. 850).
3) Rohrbacher, lib. 76.
4) Rohrbacher, lib. 83.
5) Rohrbacher, lib. 83.
6) Rohrbacher, lib. 87. (vol. 13. pag. 257. primae edit. italicae).

178. Supersunt ceteri reges, qui pauci fuerunt. Adhuc ex iure publico deponi poterant. Etenim erat conditio vel expressa vel subintellecta illius temporis, regem ut gauderet regia dignitate servare oportere communionem Ecclesiae, et ita regere ut approbationem summi Pontificis mereretur; erant enim populi illi intrinsecus christiani.

In Hispania iuramentum profitendi et defendendi catholicam religionem datum est a regibus a saeculo VII. ad XIV.; postea subintelligebatur. Item in Gallia, leges sancti Eduardi regis promulgatae a Guillelmo normanno, statuebant regem qui non observaret sua officia erga Ecclesiam, amittere titulum regium; easque leges iurare debebat rex ante coronationem [1]). Neque hoc mirum sit; etenim et nunc plura regna, ex. gr. Anglia, Graecia, Svetia etc. habent in sua lege fundamentali, regem debere sequi vel lutheranismum vel calvinismum etc., secus cadat regno.

Imo et mense Ianuario 1885 gubernium mechlemburgense-Schwerin, communicavit diaetae magni ducatus, unum ex magnis ducibus lineae collateralis postponendum esse ceteris lineis remotioribus in successione principatus, quia conversus fuerat ad catholicam religionem, nisi rursus ad lutheranismum rediret.

Quid ergo mirum si olim et catholici id imponerent regibus suis ut nunc fit in Belgio? Hinc cum primus Belgii rex esset protestans obligavit se ut filium (qui nunc anno 1888 regnat) educaret catholice. Si autem nunc quis rex vellet fieri idololatra, certe non toleraretur, et citra legem scriptam; haberetur enim conditio christianitatis ut tacite subintellecta in iure pu-

1) Hergenroether, La Chiesa e lo Stato cristiano, dissert. 6. n. 5.

blico nationum christianarum; medio aevo habebatur conditio catholicitatis.

179. Si ergo medio aevo sua agendi ratione, reges devenissent in eam conditionem ut Pontifex desperans de ipsorum correctione, declararet eos non amplius satisfacere conditionibus catholicitatis, profecto ipsi amittebant iuridice regnum et Pontifex utebatur iure suo.

180. Sed etiam potuisset Pontifex eos deponere, eo quod male gererent res civiles, etsi Ecclesiam non offenderent; et en quomodo. Illis temporibus cum rex assumeret coronam, iuramentum praestabat de publico bono recte curando; tunc repraesentantes populi, vel diversorum ordinum, ex. gr. nobilium, clericorum et municipiorum reddebant regi iuramentum fidelitatis; erat ergo pactum reciprocum; utrumque autem iuramentum praestabatur in manibus Ecclesiae, seu coram praelato principali illius regni, qui etiam, habito hoc iuramento, regem consecrabat ritu sacro. Spiritus autem huius rei erat, Ecclesiam esse depositariam reciproci iuramenti regis et populi, testem et iudicem; hinc exorto dissidio inter regem et populum, alterutrum corripiebat, et sicut censuris impellebat populum ad fidelitatem regi servandam, ita et regem, et si opus esset, declarabat rescissum pactum ex inemendabilitate regis.

181. Saepe autem hi tituli simul concurrebant, nempe regem esse quoque tributarium Ecclesiae, vel etiam romanum imperatorem. En igitur quomodo ex iure publico illius aevi, posset Ecclesia legittime intervenire, et etiam imperantes deponere.

182. An autem melius fuerit pro regibus hoc iudicium Ecclesiae, vel non, facta ostenderunt; etenim cum reges non amplius iudicium Ecclesiae agnoscere

voluerunt, populi sive legittime sive illegittime, eos eiecerunt, et dum Ecclesia novies usa est iure suo novem saeculis, populi usi sunt maiori numero uno nostro saeculo. Ita et bella inter nationes, interposita summi Pontificis auctoritate, saepe vitata sunt. Hinc est et Leibnitium virum protestantem, auctoritatem ethnarchicam excogitasse, quae singulis regibus ius diceret, ad bella externa vitanda; et in praxi substituti sunt congressus regum et foederationes, in quibus tamen praestantior armis praevalet.

Hinc et Sismondi, et ipse protestans, agnoscit utilius futurum fuisse pro societate si principes absoluti perseverassent in agnitione potestatis ecclesiasticae sibi superioris et divinae originis [1]).

183. Nunc quaestionem consideremus attento tantum iure proprio Ecclesiae, et non medii aevi. In hac quaestione quidam secuti sunt sententias extremas, dicentes inter christianos omnem auctoritatem a Deo committi summo Pontifici, et fuisse repraesentatam in duobus gladiis quos in ultima coena et in horto Apostoli habuerunt, dicente Domino « satis est ». Gladius spiritualis ab Ecclesia exercetur per se, temporalis traditur regibus, sed ad nutum sacerdotis exercendum; ideoque et iure proprio auferri potest.

Contraria sententia est aulicorum, nullam esse Ecclesiae potestatem in reges, et hos esse in hoc mundo omnino iniudicabiles.

184. Media sententia est: Ecclesiae directe potestatem non esse in rebus temporalibus, ideoque in auctoritatem civilem; sed indirecte, ut ait Bonifacius VIII. in constitutione *Unam sanctam,* ratione peccati, oportet

1) Storia delle Republiche italiane, tom. 4. cap. 24.

omnem animam subesse summo Pontifici; ideoque reges ab Ecclesia corripi posse si legi divinae aut ecclesiasticae adversentur, et si opus fuerit etiam removeri. Tamen observant, hoc ius ab Ecclesia in circumstantiis praesentibus non exerceri, quia ob repugnantiam populorum et regum, non esset in aedificationem sed in destructionem [1]).

185. Prima sententia falsa est; etenim Apostolis data est omnis potestas, sed relate ad finem spiritualem: dixit enim Dominus « data est mihi omnis pote« stas in coelo et in terra; euntes ergo docete... »; non dixit « ergo gubernate et in temporalibus ». Ex citato principio sequitur tantum Ecclesiam habere indirecte potestatem in temporalibus quatenus expediat pro spirituali regimine; ideoque ex hoc tertia sententia confirmatur.

186. Item 2ª sententia est reiicienda, ex allata ratione; Ecclesia enim iudex est moralitatis, sive privatae, sive publicae, et proinde ratione peccati omnes corrigere potest, et suis poenis afficere. Imo cum aliquando certum sit tyrannum iure naturae amittere ius suum, et populos posse ei obedientiam denegare, sequitur Ecclesiam quae est iudex suprema moralitatis, non modo in abstracto sed et in concreto, posse iure proprio declarare quando reges amiserint ius suum, et populi soluti sint ab officio obedientiae. Ergo ex titulo iuris naturae, subditos declarat solutos ab obedientia. Id et antiqui gallicani admittebant [2]).

187. Sed insuper quaeri potest an ob offensionem ipsi Ecclesiae et religioni christianae illatam, eo us-

1) De Angelis, Praelectiones iuris canonici, lib. 1. tit. 2. n. 7.
2) Vid. part. 1. lib. 2. cap. 2. a. 2. § Gallicanismus.

que valeat reges punire ut auferat eis regnum iure proprio.

Animadvertendum est id non posse pro regibus infidelibus, quia Ecclesiae subditi non sunt; etsi aliqui contrarium asseruerint, sed nullo argumento valido. Tamen si hostiliter in Ecclesiam se gerant, poterit Ecclesia in eos agere non ut in subditos sed ut in hostes, invocata etiam vi principum christianorum.

188. Quoad christianos autem observandum est, si regnum ipsum fiat christianum, idest ipsa societas civilis quatenus talis ingrediatur Ecclesiam, intendit hoc ipso ita instituere res suas ut Ecclesiae sit potestas removendi obstacula quae spirituali regimini opponuntur. Hinc si rex sit incorregibilis in avertendo fideles a divino servitio, potest ab Ecclesia removeri, quia hac implicita conditione regnum est ei collatum; et proinde sicut individuus subiicit se iurisdictioni etiam punitivae Ecclesiae per baptisma, ita et rex et regnum, si ut tales agnoscant Ecclesiam; tunc enim socialiter subiiciunt se iurisdictioni Ecclesiae et in eam consentiunt. Quoniam autem hominibus est officium ingrediendi Ecclesiam non modo quatenus privati sunt, sed etiam socialiter, hinc per se loquendo, baptismi susceptione reges et populi subiiciuntur iudicio Ecclesiae tum gubernativo tum punitivo. Id autem respondet rerum naturae, cum ius sit ordinem bonorum temporalium ita esse administrandum ut non opponatur spirituali; ideoque in hoc potestas temporalis subiicitur potestati spirituali; si subiicitur iudicio, subiicitur et legi, et etiam sanctioni, ita ut removeri possit et actu gubernativo et poenali, si necessarium fuerit pro bono spirituali plebis christianae; Ecclesia enim ius habet removendi obstacula; id et meliores ex gallicanis ad-

mittebant, tantum negantes ex causa mere civili posse regem a Pontifice deponi, etsi valeat declarare quando iure naturae ob tyrannidem excidit a regno. Sed, ut patet, hic casus incorregibilitatis alicuius principis in hostilitate contra Ecclesiam, includit tyrannidem. Verum cum spiritus societatis non amplius respondeat conditionibus requisitis pro exercitio huius iuris, Ecclesia, ex christianitatis imperfectione, eo non utitur.

Si autem quis desideret sanctorum Ecclesiae Doctorum testimonia pro iure Ecclesiae, adeat s. Bonaventuram, De Eccles. hierarch. part. 2. cap. 2., sanctum Antoninum, Summ. part. 3. cap. 3., s. Raymundum de Pennafort, Summ. l. 1. tit. *De Haereticis*, p. 7., s. Dionysium Cartus. De reg. polit. a. 9., s. Thomam, 2. 2. q. XII. a. 12. etc.

ARTICULUS V.

De concessionibus regnorum a summis Pontificibus datis.

189. Praeter depositionem imperantium, etiam considerandi sunt casus in quibus summi Pontifices regna extraneis concesserunt. Ita sanctus Leo IX. anno 1053 Normannis in feudum recognovit non modo Apuliam, quam possidebant, sed quotquot dominia in Calabria et Sicilia acquisivissent, contra graecos et saracenos praesertim [1]); ex quo factum est ut postea Innocentius II. anno 1139, Rogerio titulum contulerit regis Siciliae [2]).

Sed quod gravius est, Hibernia, non ab infidelibus aut schismaticis, sed a catholicis nationalibus princi-

1) Vide cit. Becchetti, lib. 62. § 41.
2) V. cit. Becchetti, lib. 67. § 11.

pibus gubernata, ab Adriano IV. pontifice, Angliae Henrico II. concessa fuit, ab eoque postea occupata anno 1171, ex quo fidelissimae illius gentis aerumnarum origo [1]).

190. Praesertim vero putabant medio aevo Pontifices, sibi ius esse in infidelium regiones; illas proinde sibi benevisis largiebantur. Ita Clemens VI. contulit Ludovico comiti claramontano, Alphonsi X. Castellae regis nepoti, ius occupandi Canarias insulas [2]). Idem ius obtinuit postea ab Eugenio IV. Eduardus rex Portugalliae, reclamante tamen Castellae rege [3]).

Nicolaus autem V. anno 1454, Lusitanis concessit omnes terras quas in Africa detegerent, ceteris gentibus interdicto commercio armorum cum populis earumdem [4]).

Pius II. allicuit, sed frustra, Mahomedem II. ad christianam fidem amplectendam, ei promissa recognitione in imperatorem Orientis [5]).

Tandem, ne plura prosequamur, Alexander VI. celebri constitutione anni 1493, quae refertur et in 7° Decretalium, titulo *De insulis novi orbis*, quae incipit, *Inter cetera*, constituit terminos possessionum Portugalliae et Castellae « fabricando et construendo unam « lineam a polo arctico ad polum antarcticum, quae « linea distet a qualibet insularum, quae vulgariter « nuncupantur *de las Azores y cabo verde*, centum leu« cis versus occidentem et meridiem, ita quod omnes

1) Becchetti, lib. 67. § 99.; lib. 68. § 67.
2) Becchetti, lib. 69. § 101.
3) Becchetti, Storia degli ultimi quattro secoli, lib. 8. § 2. et 3.; lib. 9. § 114. et seqq.
4) Becchetti, Storia degli ultimi quattro secoli, lib. 9. § 117.
5) Rohrbacher, lib. 83. (vol. 11. pag. 723. cit. edit.).

« insulae et terrae firmae repertae et reperiendae, de-
« tectae et detegendae a praefata linea versus occi-
« dentem et meridiem, per alium regem aut princi-
« pem christianum non fuerint actualiter possessae...
« quando fuerunt per nuncios et capitaneos vestros in-
« ventae aliquae praedictarum insularum, auctoritate
« omnipotentis Dei, nobis in beato Petro concessa, ac
« vicariatus Iesu Christi, qua fungimur in terris, cum
« omnibus illarum dominiis, civitatibus, castris, locis
« et villis, iuribusque et iurisdictionibus ac pertinen-
« tiis universis, vobis, haeredibusque et successoribus
« vestris (Castellae et Legionis regibus), in perpe-
« tuum tenore praesentium donamus, concedimus et
« assignamus... ».

Deinde mandat eis in virtute sanctae obedientiae, ut transmittant operarios evangelicos et curent conversionem illarum gentium quae describebantur ut optimae indolis, vita fere extrasociali viventes.

Imo ab initio suae constitutionis, ait se scire tales marittimas expeditiones a regibus Hispaniarum (Ferdinando et Isabella), susceptas esse zelo dilatandi fidem, *per dilectum filium Christophorum Columbum, virum utique dignum et plurimum commendandum ac tanto negotio aptum;* ideoque ut alacrius procedant, concedit eis recensitas terras, et tandem prohibet « qui-
« buscumque personis, cuiuscumque dignitatis, etiam
« imperialis et regalis status... sub excommunicatio-
« nis poena, quam eo ipso, si contra fecerint, incur-
« rant.... ne ad insulas aut terras firmas inventas et
« inveniendas (ut supra), pro mercibus habendis vel
« quavis alia de causa accedere praesumant, absque
« vestra ac haeredum et successorum vestrorum spe-
« ciali licentia ».

Iamvero hae concessiones pontificiae 1° laedunt ius populorum de quibus disponebant; 2° eorum qui a commercio excludebantur cum gentibus novi orbis.

191. Ut has difficultates solvamus, quin singula facta obiecta aut quae obiici possent evolvamus, principia constituemus ex quibus quid iure quidve iniuria fieri potuerit, iudicari valeat; tunc enim recensita facta et eis similia facile explicabuntur, dummodo apud sanos rei historicae tractatores, eorumdem notitia hauriatur. Ad hoc autem duo requiruntur; 1° ostendendum est quid summus Pontifex praestare valuerit potestate mere declarativa iuris divini; 2° quid potestate gubernativa societatis christianae.

Quoad 1um, ut animadvertimus in antecedenti quaestione, potest summus Pontifex, ut supremus iudex moralitatis, non modo in abstracto consideratae, sed etiam in concreto singulis in casibus, pronuntiare de liceitate negotiorum omnium; hinc et bellorum, atque occupationis regnorum et terrarum.

192. Iamvero id sufficit 1° ad explicanda plura facta, ut concessionem terrarum quas Normanni in Calabria et Sicilia occupassent. Etenim quoad Saracenos, iniuste occupaverant et detinebant Siciliam et terras aliquas continentis italici; ideoque iustissimum erat bellum Normannorum, qui regiones et insulas christianas ab infidelium iugo liberandas suscipiebant.

Cum Graecis quoque, ob insidias quas continuo in inferiori Italia moliebantur, facilis esse poterat iusti belli causa; et iam a Graecis quos contra Saracenos adiuverant, receperant Normanni mala pro bonis [1]); loquitur proinde Pontifex de terris bello, de cetero

1) Rohrbacher, lib. 73.

legittimo, occupandis, et Normannis, devotionis causa, eas beato Petro offerentibus, morem gerit, easdem suscipiendo et titulo feudi restituendo, praeter ius ei competens ex supra notata, num. 177, commutatione dominiorum cum imperatore Henrico III.

193. Sed quaeri potest quaenam utilitas derivaret ex hac mera declaratione summi Pontificis, si ipsa nullum novum ius conferebat belligeranti.

Et profecto plurimum adhuc iuvabat; 1° ut ipse bel ligerans certus esset de iustitia suae causae; 2° ob reverentiam debitam Pontifici fiebat ut eius iudicium a nemine absque temeritate impugnari posset, et proinde declaratio Pontificis etsi nullam contulisset vim intrinsecam iuri belligerantis, magnam tamen extrinsecam addebat.

194. 2.° Quoad Hiberniam quoque idem principium applicandum est. Per id enim temporis res omnes ecclesiasticae in ea quammaxime perturbatae erant. Multum enim defecerant ab antiqua religionis observantia, et, teste sancto Bernardo, plura monasteria erant a laicis occupata; cathedrae quaedam episcopales, haereditariae factae, ut armacana, quae a biscentum annis ab eadem familia detinebatur, adeo ut s. Malachias episcopus conneretensis, cum ad eam electus esset, per multum temporis eam possidere non potuerit, cum occupata fuisset a Mauritio, praedecessoris propinquo, qui moriens, alteri etiam eam legavit.

Plures pariter sedes arbitrarie fuerant erectae, et aliae suppressae; clerus autem supina detinebatur ignorantia, et populus maxima religionis negligentia [1]). Plures autem principes titulo regio in ea imperabant,

1) V. Becchetti, lib. 67. § 12.

qui bello saepe inter se contendebant; cumque essent electivi, frequentes dissensiones et caedes.

195. Cum itaque res ita se haberent, Henricus II. Angliae rex, primus plantagenetarum, manifestavit summo Pontifici Adriano IV. suum propositum res omnes in Hibernia restaurandi. Laudavit Pontifex eique rescripsit: « Insulam illam ingrediaris pro dila- « tandis Ecclesiae terminis, pro corrigendis moribus, « pro virtutibus inserendis, et quod ad honorem Dei « et salutem illius terrae spectaverit exequaris, populus « honorifice te recipiat et sicut dominum veneretur ».

Non ergo Pontifex loquitur ut dominus illius regionis, sed adhortans ad id quod ex zelo religionis, moralitatis et civilitatis videbatur proponi. Approbat igitur quod per se bonum erat, non illud concedit decreto suo. Sermo est enim non de violenta occupatione et subiectione contra voluntatem legittimorum principum et populi, sed de benefica et ordinatrice, prout circumstantiae consuluissent. Non enim desunt iusta media et pacifica ordinem restaurandi inter populos rudes in statu anarchiae fere versantes, ut expositione verisimiliter exaggerata a rege Pontifici exhibebantur hiberni.

Distulit tamen rex, donec anno 1171 opportunam nactus est occasionem. Cum enim regulus linsternensis eiectus fuisset ab aliis duobus, recursum habuit ad regem Angliae qui tunc in Normandia morabatur, quique duobus suis comitibus permisit auxilium ferrent regi linsternensi. Et revera recuperaverunt eius dominium, quod uni ex ipsis sponte concessit, multis insuper occupatis marittimis urbibus. Superveniente autem rege Henrico cum magna classe, obsequium fidelitatis absque ulteriori sanguinis effusione a ceteris

principibus obtinuit. In quibus profecto Pontificis menti non obtemperavit.

196. 3.° Remanent explicandae concessiones terrarum quae de novo detegebantur, quas 1° consideremus in ordine ad populos indigenos.

Iamvero, sicut iure naturae et gentium sunt legittimi modi bellum gerendi, ita quoque novos populos detegendi, commercium apud eos agendi, foederaque ineundi, terrasque vel desertas vel cum dominorum consensu occupandi.

Semel autem ac hae terrae fuerint ab aliqua natione iuste occupatae, etiam ex bello quod forsitan perfidia incolarum exortum sit, profecto in eis acquisita est politica auctoritas, sicut in quovis alio territorio.

Iamvero declarativa hac potestate, optime explicatur concessio facta a Clemente VI. quoad Canarias insulas occupandas, comiti Lodovico e regno Castellae.

Pontifex enim ei concedendo investituram praedictarum insularum, expresse protestatus est se id iuris ei agnoscere, dummodo absque alicuius praeiudicio fieret [1]). Cum autem Ecclesia semper professa sit, etiam infideles gaudere vero dominio sive civili sive politico, rerum suarum, apparet inter eos quibus praeiudicium inferendum non erat, comprehendisse ipsos incolas quibus sive privatis sive principibus, vis inferenda non erat.

197. Ceterum interventus Ecclesiae populis de novo detectis, non nocuit, sed plurimum profuit; etenim praeterquamquod eis lucem evangelicam attulit, meliori quo potuit modo eis subvenit, et multum quoque moderavit invadentium cupiditatem, qui si auri sacra

1) V. Orsi, lib. 79. § 101.

fame, plurimum saevitiis se inquinaverunt, multo peius egissent si ab Ecclesia non fuissent admoniti, et censuris quoque coërciti [1]).

198. Omnes autem iuris publici tractatores admittunt civiles gentes ius habere civilitatem propagandi apud populos silvestres, praesertim si contra iura humanitatis peccent, ex. gr. sacrificiis humanis.

Haec quidem cultura numquam procuranda est mediis quae maiora mala his populis inferant iis ad quae auferenda ordinatur; hinc profecto bellum populi destructivum non liceret; sed si pacifica media repellant, poterit, praedicto servato moderamine, et vis adhiberi. Difficile quidem erit modum in his servandum stabilire, et mitiori parti favendum est, cum onus probandi ei incumbat, qui ceteros aggredi vult. Principium tamen genericum, vim nempe, per se adhiberi posse non modo ad iura nostra defendenda et iniurias vindicandas, sed etiam ad essentialem civilitatem propagandam extra dubium est. Id enim non est populis barbaris iniuriam inferre, sed potius adiutorium ut e statu degradationis ad eum assurgant quem natura intendit, quemque ex se numquam assequi valerent.

199. Si autem apud eos multi contra primarium ius naturae opprimantur, ex. gr. servitute nullo iuris titulo fulcita, oppressores compescere, est oppressis auxilium ferre. Etsi enim quaelibet gens sit in negotiis suis civilibus et politicis ab alia independens, tamen si enormiter eius pars peccet in aliam contra officia naturalia, tunc de iure et extranei intervenire possunt; si enim sunt extranei iure politico, non tamen iure humanitatis, qua fratres sunt omnes homines, unamque

1) V. Becchetti, lib. XI. § 57.

ex omnibus gentibus constituunt humanam societatem. Si proinde membrum aliquod peccet evidenter et enormiter in leges huius ordinis universalis humani, iam eius vindicatio ad partes eiusdem ordinis spectat; non enim agitur de individuo aut de societate quadam iuridice imperfecta quae a sua homogenea perfecta corrigenda est, sed de ipsa perfecta aberrante, ordinem universalem violando. Neque gens peccans quaeri potest de sua violata independentia, cum ordinen suum praetergressa sit ipsamque humanitatem violaverit. Ceterum populo civili non deficient et legittimi tituli communes bellum indicendi populo barbaro qui pacificas communicationes respuat, cum ex naturali eius feritate facile offensurus sit extraneos.

200. Sed insuper ut rem consideremus non tantum sub respectu naturali, sed supernaturali, ius est Ecclesiae propagandi se ipsam apud infideles, et quamvis nemo ad fidem cogi possit, compesci tamen valent qui missionarios nostros et converti volentes, vexent aut impediant. Id Ecclesia exercet ministerio principum fidelium.

201. Sed 2° Ecclesia potest, evangelii propagationem suique apud infideles defensionem, uni potius principi quam alio committere, prout melius iudicaverit.

Ulterius, fidei propagatio est negotium altioris ordinis, cui cetera cedere tenentur. Si enim efficax evangelii praedicatio unius christianae nationis cum infideli commercium exigeret, iure possent ceterae ab Ecclesia interdici, praesertim re integra, cum nullius ius quaesitum violatur.

Et sic iam egredimur e mera potestate Ecclesiae, iuris existentis declarativa, seu iudiciaria, et ingredimur campum potestatis dispositivae, seu legislativae, qua ius condit.

202. Sed praeterea sub ipsa naturali consideratione, nationi quae terras longinquas non casu, sed ex industria detexit, ex aequitate, quoddam speciale ius competit commercium cum iis gentibus agendi, terrasque nullius aut cum dominorum consensu occupandi. Etenim, antiquis praesertim temporibus, hae marittimae expeditiones, non parum laboris et expensarum importabant, exitus incerti et saepe frustranei; militarem praeterea paratam vim, sive ad probabiles iniurias repulsandas, sive ad sufficientem securitatem pro futuro procurandam. Cum enim non semper accederent ad loca civilia, ubi securitas esset commercii, sed aliquando vita ipsa, indigenorum perfidia, in discrimine poneretur, necessitas exurgebat stationes quasdam munitas in terris detectis, aut de dominorum consensu, vel legittimo bello occupatis, erigendi.

Iamvero non satis aequum fuisset, si tandem prosper eventus accidisset detegendi terras rerum pretiosarum copia abundantes, ceteras gentes civiles concurrere ad utilitatem commercii percipiendam. Multo iniquius fuisset si populis detectis subministrassent arma quibus probabilissime usi essent ad christianos iniuste repellendos.

203. Natio igitur detegens non modo poterat occupare terras desertas aut a dominis sibi concessas, ceterosque ab eis occupandis excludere, sed etiam ex naturali aequitate privilegia quaedam specialia apud detectas gentes, sed in sua libertate perseverantes, procurare, quibus compensaretur de expensis et laboribus toleratis. Imo cum concursus diversarum gentium pari iure fruentium, ad tales terras, soleat simultates et tandem bella inter eas generare, optimum fuisset quemdam ordinem his negotiis imponere ab omnibus reco-

gnoscendum. Et in his nulla est difficultas; sed quis haec statuet? Profecto cum per se nationes sint iure pares, vel necessarium esset pactum internationale, vel ius speciale acquisitum, vel ius praevalens et praeveniens. Primum statim intelligitur; sed universaliter habitum non est. Secundum haberetur si natio detegens obtineret a populo detecto privilegium commercii; tunc ceteras gentes excludere posset donec privilegium subsisteret; sed ut privilegium perpetuum profecto admitti non posset, cum impediret evolutionem activitatis humanae familiae. Tertium autem est si existat auctoritas aliqua superior quae modum his imponat.

204. Iamvero Ecclesia aliquo sub respectu superior est nationibus christianis, in ipsis temporalibus negotiis, indirecte, quatenus nempe res religiosas attingunt, eisque praeiudicium inferre possunt aut auxilium. Hoc sub respectu posset, ut iam diximus, auctoritatem suam interponere. Verum practica necessitas excludendi pro fidei dilatatione ceteras gentes a commercio cum populis de novo detectis, et, quod magis est, detegendis, non tam facile verificari potest, si res inter honestos agatur. Si autem sit ex alicuius nationis malitia, non imminuit quidem potestatem concretam Ecclesiae, sed violenti nullum confert ius, imo curandum ut ad terminos iustitiae deveniat. Numquam autem admitti potest hanc necessitatem ceteras christianas gentes excludendi in perpetuum perdurare, cum et ipsae possint Ecclesiae eas cautiones exhibere quibus valeat evangelium utiliter praedicari; ideoque haec ratio, quamvis theoretice vera, non est sufficiens explicandis factis historicis.

Deinde de iisdem rationem redderet sub respectu tantum religioso; et tamen vidimus alias tum aequitatis

tum prudentiae causas existere, ordinem his negotiis imponendi, nempe sive ad compensandos transactos labores, et sic etiam facilius procurandas novas expeditiones, sive ad probabiles discordias et bella inter ipsos christianos praevenienda.

205. Si sermo sit de nonnullis factis particularibus, Ecclesiae decretum explicari valet et ut sequela conventionis inter partes.

Ita quoad Canarias insulas, cum praedictus comes Ludovicus non suscepisset ad eas insulas expeditionem, saeculo sequenti, anno 1436, rex Lusitaniae Edoardus, ab Eugenio IV. obtinuit earumdem investituram. Reclamavit autem rex Castellae, sive ob antiquam concessionem Clementis VI., sive quia contendebat omnes expeditiones in Africa et insulis adiacentibus faciendas, ad coronam suam pertinere. Tunc Pontifex rem in suspenso reliquit, simul admonens regem lusitanum, se concessionem eidem fecisse ea sub conditione, quod iuri tertii praeiudicium non inferretur [1]).

Anno autem 1452 inter Alphonsum V. Lusitaniae, et Henricum IV. Castellae regem, conventum est, insulas Canarias sub alto dominio coronae castellanae mansuras, tum quae occupatae erant, tum quae occupandae; e contra ad coronam lusitanam spectare omnes terras continentis africani detectas et detegendas. Tunc summus Pontifex Nicolaus V. die 9. Ianuarii 1454 easdem terras Africae concessit lusitanis, vetito ceteris commercio armorum cum indigenis absque lusitanorum speciali licentia [2]).

206. Quatenus haec pontificia sanctio respiciebat ca-

1) V. Becchetti, Storia degli ultimi quattro secoli, lib. 8. § 2. et 3.
2) Becchetti, lib. 9. § 114. et seqq.

stellanos, erat sequela conventionum praecedentium; quatenus armorum commercium cum his infidelibus vetabat, erat praeceptum alias quoque latum circa commercium cum saracenis, ne ab hostibus nominis christiani periculum inferretur, et in casu legittimis possessionibus lusitanorum.

Anno autem 1480 inter coronam Lusitaniae et Castellae occasione certaminis inter naves quasdam utriusque regni, rursus conventum est, tantum lusitanos ad oras Guineae navigaturos, et tantum castellanos ad Canarias [1]).

Adnotat autem card. Hergenroether, summum Pontificem adhibere potuisse formulam *auctoritate apostolica*, etiam in iis in quibus procedebat ut arbiter, quia in eum ut summum Pontificem compromissum fuerat [2]).

207. Verum praeceptum Pontificis excludit aliarum gentium commercium etiam quoad obiecta non bellica; item constitutio Alexandri VI. si abstracte considerata quoad lusitanos et hispanos haberi posset ut solemnior confirmatio praecedentium inter eos conventionum, in concreto obstant clausolae constitutionis pontificiae, cum dicat se procedere « motu proprio, non ad ve- « stram vel alterius pro vobis (regina Castellae et rege « Aragoniae coniugibus) super hoc nobis oblatae peti- « tionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate et « ex certa scientia ». Praeterea si conventiones valebant inter lusitanos et hispanos, profecto nullam vim habebant quoad ceteros, cum non egrediantur personas contrahentium. Est igitur nobis altior invenienda explicatio; quam ut praestemus et non modo de factis

1) Becchetti, lib. XI. § 77.
2) Op. cit. dissert. 12. n. 5.

nobis obiectis rationem reddamus, sed de aliis pluribus media aetate, simulque ostendamus quam evolutionem habere possit in christiana societate, pontificia seu ecclesiastica potestas, videamus quas partes competerent Pontifici, medio aevo, iure composito, divino scilicet et humano.

ARTICULUS VI.

De potestate medio aevo, in temporalibus summo Pontifici competente ut capiti christianitatis.

208. Singulae nationes seu respublicae sunt ad invicem independentes; hinc ius proprium prosequuntur iudicio suo. Tamen sunt quaedam negotia pluribus ex eis communia, iis praesertim populis, qui positione geographica aut identitate stirpis, relationibus commerciorum et aliorum eventuum aliquam praeseferunt moralem unitatem. Ex quo fit statum unius gentis aut alterius plurimum interesse et aliarum gentium eis specialiter devinctarum.

Id praesertim quoad relationes externas unius gentis, puta si amittat partem sui territorii notabilem aut extensione aut ubicatione; multo magis si independentiam in favorem alterius, et cum ceterarum detrimento. Aliquando et negotia interna, maxime turbationes alicuius gentis, afficere possunt reliquas.

In hac communione negotiorum iam adest fundamentum pro societate plurium nationum instituenda, quae ethnarchica seu internationalis dici potest; adest enim finis seu bonum commune; ut igitur exurgat iuridica societas, sufficit fiat iuridicum illud vinculum mutuae conspirationis, quod per se relictum est iudicio singularum partium, ipsarumque benevolentiae.

Cito autem incipit exurgere hoc vinculum iuris; cum enim fundamentum habeat in ipsa natura eorum quae omnium intersunt, facile subsequuntur expressa pacta, aut tacita vel implicita, ex quibus fit talia negotia auctoritate iis omnibus partibus communi, moderanda esse.

209. Si partes indubitanter sese adstringerent pro universitate negotiorum communium, formamque auctoritatis iudicantis determinarent, profecto societas ethnarchica esset proprie constituta.

Cum autem haec sit inter iure pares, auctoritas de se resideret in consensu omnium foederatorum principum, qui non amisissent suam independentiam in reliquis negotiis et ex aequo concurrerent ad ea quae communia, circa quae contraxissent iuridicam obligationem standi adsociatorum iudicio. Tamen pactis expressis aliud conveniri posset, ex. gr. maius pondus dari voto alicuius gentis, civibus et opibus praevalentis. Si autem quaedam partes excluderentur a participatione auctoritatis intersocialis, et tantum resideret in ceteris aut in uno principe, societas evaderet inaequalis, et proinde imminuta esset iuridica personalitas aliquorum ex contrahentibus. Difficile tamen est id fieri absque necessitate insuperabili; imo naturaliter loquendo satis quoque difficilis est constitutio proprie dictae societatis aequalis, in qua singulae partes sese obligant ad servandum iudicium inter socios praevalens; difficile est enim principes renuntient suae independentiae pro negotiis quoque internationalibus. Ut plurimum id sibi tantum agnoscunt ut talia negotia non sint in potestate exclusiva eorum ad quos directe et immediate referuntur, sed communi deliberatione moderanda sint; hinc sibi ad invicem recognoscunt ius interve-

niendi, salva libertate armorum, si aliud placeat. Proinde societas iuridica internationalis potius est in fieri quam in facto completo; aliqualis tamen adest; hinc omnes quaestiones quae aequilibrium, ut aiunt, europeum tangunt, communi deliberatione praecipuarum saltem nationum definiuntur.

210. Iamvero media aetate, inter gentes occidentis christianas aderat aliqualis societas internationalis, in eaque ethnarcha erat summus Pontifex.

Gentes enim quae romanum occupaverunt imperium, ab Ecclesia susceperunt non modo fidem sed culturam quoque, quae fere in clericis unice consistebat. Etsi autem moribus asperioribus imbutae essent et nativae feritatis in eis interdum semina reviviscerent adeo ut Ecclesia pluribus saeculis adlaborare debuerit ut eas christianis sensibus satis informaret, religionem tamen maxime venerabantur, et in ipso regimine publico plurimum Ecclesiae conferebant, episcopis nempe, quos inter regni primores habebant.

Ex una igitur parte, in Ecclesia nempe, aderat superioritas intellectualis, moralis et supernaturalis; ex alia, idest in neo-regnis, indigentia habendi qui viam iustitiae et honestatis indigitaret; ex parte Ecclesiae aderat virtus consulendi socialibus necessitatibus; ex parte regnorum, voluntas libenter suscipiendi beneficam Ecclesiae actionem; Ecclesia autem, iure quoque devolutivo, ut parte I.ª lib. I. cap. II. art. VI. § 2. de armorum iure loquentes diximus, plura etiam temporalia praestare valebat. Hinc factum est, ut in praecedenti capite exposuimus, ius publicum internum cuiuslibet regni, conditione catholicitatis in principe informatum fuisse, et Ecclesiam testem et iudicem iuratae reciprocae fidelitatis constitutam; imo

feudis ditata est et possessionibus, multaque regna eidem oblata fuere.

211. Pariter ratione christianitatis considerabant se diversa regna, ut magna membra eiusdem societatis. Cum autem negotia omnibus vel pluribus communia, necessario extarent, ea cadebant sub potestate internationali, cum aliqualis saltem existeret internationalis occidentis societas. Iamvero potestas internationalis, per se est pari iure apud principes foederatos; sed si elementum aliquod de facto praevaleat, ei maiores vel omnes partes tribuuntur, iuxta legem naturalis designationis subiecti potestatis, quod nempe regulariter ibi constituatur, ubi adest vis et voluntas consulendi bono sociali.

Item si vinculum sociale superiorem agnoscat fontem. Quo posito iam patet summo Pontifici ex ipsa natura factorum, deferendam fuisse superioritatem quamdam internationalem super gentes christianas occidentis, eique demandandam curam et iudicium negotiorum communium, temporalium quoque totius christianitatis vel plurium gentium eiusdem.

212. Erat enim Pontifex persona praevalens iure et virtute. Etenim 1° iam ad ipsum iure divino spectabat cura religionis; hinc et potestas indirecta in temporalia ratione religionis; hinc et iudicium ratione peccati, ut capite antecedenti explicatum est, nec non ratione iuramenti, quod est vinculum religiosum, ut lib. II. cap. II. art. IX. exponetur.

2° Ipsi iure publico humano civili, spectabat superioritas quaedam in ipsum imperatorem.

3° Ipse erat virtute praestans, tum intellectiva ad recte iudicandum, tum operativa ad efficaciter subveniendum societati civili. Aliunde negotia communia vel respiciebant ipsam religionem, vel communem pacem

et concordiam, quod est negotium fere spirituale, ad normas iustitiae et communis utilitatis definiendum, cuius iustitiae custos et iudex supremus est ipse Pontifex; inter reges autem ei tributarios, specialiter quoque iure humano ad eum custodia pacis spectabat; boni autem communis christianae societatis maxime ad eum pertinet. Unicum vero vinculum morale uniens diversas gentes occidentis ad bonum quoque commune temporale, erat ipsa religio christiana, ob quam se unicam societatem internationalem, seu christianitatem constituere agnoscebant.

Igitur naturale fuit populos omnes et principes considerasse Pontificem ut caput huius christianitatis, cum ipse unus vel saltem ceteris longe melius consulere valeret bono communi; imo eum ut talem debuisse agnoscere cum caput esset illius religionis quae eiusdem christianitatis unicum vinculum constituebat; hinc christianitatem habitam esse ut societatem internationalem inaequalem; non tamen inaequalitas erat inter homogeneas auctoritates seu principes eam constituentes, sed cum heterogenea auctoritate religiosa quam ut superiorem habebant et in negotiis communibus temporalibus. Hinc considerabant ut spectantem ad Pontificem curam boni communis etiam temporalis huius christianitatis, quae unico tunc informabatur catholico spiritu; et proinde ei deferebant talem curam et in iis quae iure divino rigorose ad eum non spectant, in eoque suspiciebant legittimum eorumdem iudicem. Simul autem naturale fuit Pontificem pro ea sollicitudine quam rei christianae gerere debet, auctoritatem suam interposuisse, quoties natura negotiorum in concreto inspectorum in omnibus suis circumstantiis, id suaderet; huncque eius interventum libenter fuisse su-

sceptum et invocatum, ex quo eius legittimitas moribus confirmabatur.

213. Cum autem societas civilis meliorem coepit habere organizationem, et principum potestas evasit solidior, hi invocabant quidem iudicium Pontificis sed ut saepe saeculo XIII, indicantes se in eum compromittere non quidem ut Pontificem, sed ut personam sapientem. In quo forsan videre est semina desiderii principum subtrahendi se a potestate Pontificis, cum non adhuc valerent aperte id praestare, repugnante spiritu populorum, et proinde iure publico humano vigente.

214. Ex hac universali cura summi Pontificis factum est ut et eius iudicium invocaretur ante expeditiones militares suscipiendas, et novorum regnorum investitura petiretur, regionum praesertim quae detegebantur, quas supra vidimus potuisse debitis modis aliquando occupari.

Ipsi igitur Pontifices, curantes bonum totius christianitatis, probabiles causas bellorum removebant, etiam praeveniendo, modumque imponebant omnibus negotiis, Ecclesiae et christianitati magis convenientem. Hinc titulis cumulativis procedebant pluribus in negotiis, idest iure mere divino et iure etiam humano. Sic plenissime explicantur omnia facta mediae aetatis in quibus Pontifices auctoritatem suam in negotiis temporalibus interposuerunt. Cumque haec actio Pontificum esset benefica, libenter suscipiebatur, ut plurimum saltem, et si qui renuissent, iure potuissent a Pontifice coërceri, tamquam hostes publici boni christianitatis, ideoque et religionis, indirecte saltem. Si autem quaedam partes gravatas se putassent, recursus patebat ad ipsum Pontificem qui summa aequitate rem composuisset.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

215. Item si tractu temporis circumstantiae mutatae fuissent. Bella proinde multa vitata sunt quae alias turbassent christianitatem cum damno magno et partium contendentium. Ita post citatam constitutionem Alexandri VI., etsi Ioannes rex Portugalliae, classem paratam haberet ut ex Christofori Columbi detectionibus utilitatem caperet, quod profecto bellum cum rege Castellae importasset, indebite distrahendo vires christianas, cum aliunde latissimum campum pateret utriusque regni activitati, cognita pontificia dispositione, abstinuit; tamen quia limites hispanis a Pontifice concessi, nimis ei praeiudiciales videbantur, convenit cum rege Castellae, meridianum divisionis non quidem centum leucis ad occidentem capitis viridis, collocandum, sed tercentum septuaginta [1]).

216. Ceterae autem gentes marittimae quae transatlanticis expeditionibus attendere valerent, per id temporis impares erant contendendi cum regnis Hispaniae et Lusitaniae, ideoque eis invitis, iure vel iniuria non quaerimus, eas suscipere non potuissent, sed tantum certo periculo sese exposuissent.

217. Ius tamen quod romani Pontifices tamquam supremi moderatores christianitatis exercebant in temporalibus, adhuc emanare dicendum erat ab ipsorum auctoritate spirituali. Nam 1° temporalia curabant non tam sub temporali respectu, quam sub spirituali, concordiae nempe et pacis inter christianos, facilitatisque religionem inter infideles propagandi.

Imo 2,° hoc supremum moderamen in statu concreto societatis illius aevi, erat applicatio quaedam auctoritatis primatialis divinitus eis collatae.

---

1) Becchetti, lib. XII. § 19.

Nam quod existente christianitate sensu politico, idest ut societate, inchoata saltem, internationali gentium christianarum, quae ut tales unico religionis communi vinculo uniuntur ad bonum quoque suum temporale, auctoritas intersocialis spectet ad summum Pontificem, fluit ex ipsa natura eiusdem internationalis societatis et ex ipsa Pontificis supernaturali potestate. Huius enim vinculi socialis, idest religionis et conspirationis sociorum, seu eorum quae importat, iudex est Pontifex iure divino. Sed pendet ex facto humano ipsa constitutio talis societatis; possunt enim nationes et titulo mere naturali et temporali uniri in societatem internationalem; et tunc Pontifici nulla est proprie ethnarchica potestas, sed tantum nativa iuris divini a factis humanis independens, quam supra descripsimus.

218. Cum igitur medio aevo adhuc subsisteret aliqualis christianitas politica, iure Alexander VI. citata constitutione *Inter cetera*, 4. nonas Maii 1493 asserere potuit se procedere ex apostolicae potestatis plenitudine, auctoritate omnipotentis Dei sibi in beato Petro concessa, ac vicariatus Iesu Christi.

Deficiente autem principum et populorum veneratione, ac praesertim succedente defectione plurium gentium ab unitate catholica, rupta est unitas politica christianitatis, et etiam inter catholicos factum est ut vinculum ethnarchicae societatis non amplius esset religio, nec proinde subiectum ethnarchicae potestatis esset amplius Pontifex, sed ipse consessus principum praecipuorum. Imo factum est ut Pontifex neque utiliter procedere amplius posset ex mero iure divino, in pluribus ex iis quae indirecte tantum ad religionem referuntur.

219. Tanta autem esset utilitas potestatis ethnarchicae concessae summo Pontifici, ut David Urquhart, qui pie et catholicus obiit, cum immineret concilii Vaticani celebratio, librum ediderit cui titulus: *Appel d'un protestant au Pape, pour le retablissement du droit public des nations.*

220. Ex his apparet quam ampla sit potestas primatialis summi Pontificis seu Ecclesiae. Potest enim quidquid expedit incolumitati rei christianae, et proinde et societatis prout christiana est. Id autem in concreto iudicandum est, attentis omnibus facti elementis. Hinc dum negotiis directe religionem attingentibus, ecclesiastica potestas semper et essentialiter applicatur, ceteris tantum dum perdurat ipsorum cum religione indirecta relatio, quae si ex voluntate hominum deficere possit, deficit quoque ius Ecclesiae respondens non quidem ex imminutione potestatis sed ex materiae carentia, cui applicetur.

LIBER SECUNDUS

QUAESTIONES SPECIALES DE DIRECTA COMPETENTIA POTESTATIS ECCLESIAE.

---

1. Exposuimus parte prima lib. 1° principia generalia quae determinant competentiam Ecclesiae, circa ea quae ad eius finem referuntur sive directe, sive indirecte.

Modo facienda est evolutio et applicatio huiusmodi principiorum quae positive eius competentiam dimetiuntur.

2. Singula genera obiectorum quae ad Ecclesiae competentiam pertinent, sunt deducenda ex principio generali primo loco enuntiato, quod ita se habebat: *Quidquid directe refertur ad finem spiritualem, ad Ecclesiae potestatem per se spectat.* Videamus igitur quaenam referantur ad hunc finem spiritualem et quidem directe. Referri ad aliquem finem directe, est ad illum referri ex sui natura, et non per accidens, adeo ut vel sit impedimentum ad illum consequendum (et tunc refertur contrarie); vel medium ex sui natura necessarium ad illum consequendum, sive adaequatum sive inadaequatum, proximum vel remotum (et tunc refertur positive).

Finis autem spiritualis, qui est finis proprius Ecclesiae, est remote et ultimo salus aeterna, proxime et immediate sanctificatio.

3. Igitur spectat ad Ecclesiae competentiam quidquid directe ad hominum sanctificationem humano ministerio praestandum est.

Etsi enim homines formaliter sanctificentur per ipsam gratiam gratum facientem, tamen plures causae concurrunt; 1° et semper ipse Deus, qui est causa sanctificationis efficiens et principalis; 2° ipse homo sanctificandus, si adultus sit; qui cooperatur gratiae Dei actuali; 3° ordinario habetur et ministerium humanum et est omnino necessarium pro infante; (dicimus ordinario quia sacramentorum susceptio est medium a Deo constitutum pro hominis sanctificatione in voto saltem necessaria, et ecclesiastica praedicatio est normale medium pro eius conversione ad fidem).

4. In adulto autem gratia fidem subaudit actualem; insuper bona opera praecedentia, concomitantia et subsequentia suae infusioni requirit, ut respective acquiratur, conservetur, augeatur. Ex his deduci potest generalissime circa duo considerari posse actionem Ecclesiae; 1° circa ea quae credenda sunt, idest circa doctrinam, seu fidem, seu dogmaticum magisterium; 2° circa ea quae agenda sunt; idest circa mores, seu, ut dicitur, circa disciplinam, in sua amplissima significatione sumptam.

5. Verum haec pars subdividitur; vel enim attenditur quod ab ipsis fidelibus proxime praestandum est ob suam sanctificationem, vel quod Ecclesia constituit ut ipsa suam actionem ordinate et utiliter exercere possit, seu pro sua organizatione et interiori constitutione, qua posita sequuntur et leges speciales prae-

scriptae ipsis ministris Ecclesiae pro diverso suo gradu, in quo pars insignis consistit iuris canonici, dum pro iure publico sufficit adnotare ipsum ius competens Ecclesiae organizandi seipsam et singulis gradibus adsignandi respondentia iura et onera, cum relativis fidelium obligationibus et iuribus.

A fidelibus agnoscenda et servanda sunt et ea quae pro Ecclesiae organizatione statuta sunt cum tandem referantur ad eorumdem sanctificationem, sed immediate et magis proxime respiciunt ipsum ministerium, ut expedite et idonee exerceri possit activitas Ecclesiae; ideoque librum hunc in tria capita dividimus; 1° de potestate Ecclesiae quoad fidem; 2° quoad mores, quod proprie sanctificationem dicimus fidelium; 3° quoad suam organizationem.

CAPUT I.

DE POTESTATE ECCLESIAE QUOAD FIDEM SEU DOCTRINAM.

Fides est ab Ecclesia 1. proponenda; 2. conservanda. Quoad 1^{um} possumus considerare ius Ecclesiae relate ad extraneos et relate ad suos, ad quos et 2^{um} refertur.

ARTICULUS I.

De potestate Ecclesiae praedicandi catholicam doctrinam infidelibus et acatholicis.

6. Quoad infideles, habet Ecclesia a suo divino Fundatore ius praedicandi et proponendi fidem cunctis gentibus. Hinc ius mittendi suos Apostolos in universum mundum, absque quolibet placito humano. Etsi autem homines nequeant cogi ad fidem suscipiendam, tamen Ecclesia ius habet eam praedicandi eis qui audire voluerint. Et viceversa ius est singulis hominibus amplectendi fidem.

7. Ex his sequitur iniuria agere eos qui missionarios quomodolibet impediunt, vexant, aut converti volentibus obstacula opponunt. Hinc ius est Ecclesiae implorandi vim armatam principum christianorum ut utrosque defendant et adversantes puniant; ut enim vidimus lib. primo partis primae de vi armta agentes, ius est Ecclesiae eam a principibus christianis implorandi, et eis pro sua facultate officium est eamdem concedendi pro tuitione iurium eiusdem sive ab internis sive ab externis impugnationibns intra limites tunc indicatos.

8. Et notandum est idem ius esse quoad acatholicos; etsi enim hi per baptisma in infantia susceptum, habitum fidei receperint, tamen per haeresim formalem, illum amiserunt; hinc etsi de iure sint Ecclesiae subditi, tamen fidem proprie non habent.

Idem dicatur de schismaticis, quia etsi fidem conservent, eam tamen vivam non modo non habent sicut ceteri peccatores, sed neque habere possunt ratione sui status socialis, seu schismatis, ideoque ad Ecclesiam revocandi sunt. Notum autem est ipsos ut plurimum esse et haereticos, quia summi Pontificis auctoritatem et necessitatem eidem parendi, facile negant ut suam inobedientiam iustificent.

Igitur et Ecclesiae ius est praedicandi rectam fidem et docendi unitatis necessitatem, atque ipsis infidelibus vel acatholicis ius est fidem atque unitatem Ecclesiae amplectendi.

9. Cum autem salus aeterna sit negotium maxime individuale, hinc quisque usum rationis assecutus fuerit, ius habet et officium ea praestandi quae pro eius consecutione necessaria sunt. Et ipsi enim dictum est: « qui non crediderit, condemnabitur ». Hinc quisque habens usum rationis, est in hoc sui iuris; et proinde non indiget consensu parentum; si enim non crediderit aut baptizatus non fuerit, seu si veram Ecclesiam ingressus non fuerit, non modo parentes eius qui impedierunt, sed et ipse damnabitur.

Idem dicatur de servis, servituti propriae dictae obnoxiis, qui repugnantia dominorum suorum non excusabuntur.

Igitur Ecclesia quae ius et officium habet adiuvandi singulos salvari volentes, ius et officium habet hos suscipiendi, invitis quoque parentibus vel dominis, et

quoniam status civilis christianus officium habet iura Ecclesiae armata vi defendendi, hinc adsistentiam suam converti volentibus et Ecclesiae ministris praebere tenetur.

10. Adversarii Ecclesiae id traducunt ceu laesivum sive dominicae, sive praesertim patriae potestatis: sed immerito; qui enim habet usum rationis, ius et officium habet tendendi per se ad vitam aeternam; et in hoc non cadit sub dominica aut paterna potestate, ex dictis.

Etenim etsi in eo lumen rationis non sit ita firmum ut ei permittenda sit plena libertas circa negotia humana, tamen circa rectam fidem amplectendam, est ei facultas debita, cum capax sit peccati mortalis, meriti et demeriti.

Neque paritas est cum negotiis humanis, quae sunt contingentia pro salute aeterna, ideoque ut melius praestentur et res humanae magis ordinatae procedant, exigi potest non modo rationis sufficientia sed maturitas; verum pro salute aeterna acquirenda vel amittenda, ex ipsa rei natura sufficit usus rationis simpliciter.

Hinc est puerum esse adhuc a Deo commissum paternae potestati pro reliquis negotiis, etsi usum rationis attigerit, sed non pro salute sua aeterna simpliciter inspecta; ideoque non laedit patriam potestatem si in hoc sibi consulat.

Hinc iniustae leges quorumdam statuum quae saltem exigunt pubertatem ut contra parentum vel tutorum voluntatem quis catholicam suscipiat religionem: non enim ad peccandum pubertas, sed simpliciter usus rationis requiritur.

11. Sed dicunt: tunc ob civium paritatem idem ius

concedendum erit et puero catholico amplectendi acatholicam religionem.

Resp. hoc ius neque in puero neque in grandaevo agnosci posse; nec enim par est conditio veritatis et erroris. Difficultas autem innititur falso supposito, idest indifferentismo status civilis, nempe eodem modo esse respiciendum ad omnes religiones, qui error lib. primo partis primae iam refutatus est.

ARTICULUS II.

De iure praedicandi catholicis.

12. Vidimus de iure praedicandi fidem acatholicis eosque suscipiendi in unitatem Ecclesiae; modo de iure Ecclesiae quoad catholicos relate ad doctrinam. Hoc est principium: *Ius est Ecclesiae rectam doctrinam fidelibus proponendi eosque in ea efficaciter instituendi ac conservandi.*

Hinc 1° Ecclesia exclusive novas definitiones fidei edit, et errores damnat, sola iudicans de definitionum aut damnationum opportunitate; item alias notas theologicas inurit; hinc Ecclesiae est ius dogmaticum positivum, seu definiendi quae vera, et negativum, seu reprobandi quae falsa. Neque praetextu perturbationis publicae quae ex novis definitionibus sequi possent, valet actoritas civilis sese immiscere; hoc enim non aufert Ecclesiae competentiam directam, sed ad summum ostendit conflictum inter bonum spirituale et temporale, qui quidem conflictus esset per accidens et ex malitia humana; sed tunc ex theoria de conflictu inter duas societates iam exposita lib. primo part. 1ae, sequitur societatem superiorem seu Ecclesiam praevalere

debere, idest bonum spirituale esse prosequendum non obstante quocumque damno temporali.

Et quoniam Ecclesiae ius est proponendi fidelibus suam doctrinam efficaciter, idest ita ut eam de facto facile suscipiant, hinc Ecclesiae est:

2.° Ius negativum removendi quaecumque profectui rectae doctrinae obstant aut propagationi falsae doctrinae favent, et speciatim ius est prohibendi libros qui falsam doctrinam quomodolibet suadere possunt.

13. Et quoniam doctrina ab Ecclesia proponitur ut efficaciter suscipiatur, idest ut fides sit *viva*, et ei conformentur operae, hinc:

3.° Ius est Ecclesiae removendi quaecumque huic vitalitati doctrinae propositae adversantur, et in specie non modo prohibendi libros qui intellectum possint pervertere, sed et qui voluntatem quomodolibet seducere; hinc quoad libros, generalis formula: *ius est Ecclesiae prohibendi fidelibus libros qui noxii evadere possint.*

14. Contra hanc librorum prohibitionem praeter difficultates iam examinatas agendo generatim de iure censurae lib. 1. part. 1ae, obiiciunt principium: nitimur in vetitum cupimusque negata; ideoque asserunt librorum prohibitionem tantum acuere desiderium eosdem perlegendi, ideoque facilius fideles exponere acriori seductioni, atque inutiliter peccata multiplicare.

Respondemus, verum quidem esse multos exinde occasionem sumere magis peccandi; sed 1° Ecclesia hoc non obstante iudicavit expedire librorum prohibitionem eamque in usu habuit ab antiquissimis temporibus; Ecclesiae autem, quae sollicita est eorum quae saluti animarum expediunt, iudicium, certe ut fundatum habendum est.

2.° Ratio obiecta militat adversus quascumque prohibitiones, rerum periculosarum praesertim, ideoque cum nimis probet, nihil probat.

3.° Resp. directe, multos quidem legem positivam Ecclesiae offendendo gravius peccare, sed timoratos ab iis legendis abstinere ideoque non perverti, qui secus perverterentur; hinc prohibitio librorum, et ex paritate rationis, rerum omnium periculosarum, expedit saluti fidelium, ideoque sapienter ab Ecclesia adhibetur.

Ex eodem principio, nempe ius esse Ecclesiae removendi quae efficaci rectae doctrinae propositioni et susceptioni adversantur, sequitur:

4.° Ius Ecclesiae praeventivum quoad librorum et doctrinae propositionem. Etenim facilius occurritur malo praeveniendo quam compescendo, ut apparet applicando rationes quas lib. 1. part. 1ª generice proposuimus de iure praeventionis competente publicae auctoritati. Hinc ius est I. exigendi a fidelibus ut praeventivae censurae subiiciant libros qui de rebus religiosis vel cum eis connexis agunt.

II. Approbandi eos qui de religione publice docere aut disputare voluerint.

15. Obiic. ius praeventivum impedimento esse pluribus bonis consequendis; etenim difficiliorem reddit librorum publicationem aut doctrinae publicam propositionem, quod retardat scientiarum progressum.

Resp. si difficilius doctrina sive scripto sive viva voce proponitur, tamen maturius et securius; melius autem est a malo certo cavere, quam cum mali periculo bonis quibusdam non necessariis abundare. Iamvero ex magisterio Ecclesiae, tuto populus christianus possidet doctrinam et institutionem in re religiosa et morali necessariam; interest autem quammaxime ne

in hac pervertatur, non autem necessaria est ulterior cultura; bona tamen est, dummodo eius procuratio non sit cum periculo eius quod necessarium est; iamvero ab hoc periculum praecavendum tendit ius praeventivum Ecclesiae.

Ulterius quoniam ius est Ecclesiae et officium instituendi populum fidelem efficaciter in recta doctrina, hinc non modo ei ius est eamdem definiendi et auctoritative proponendi ac removendi et praeveniendi quae contrarium suadent, sed etiam:

5.° Ius est Ecclesiae ea ratione instruendi fideles doctrinamque inculcandi ut facile eamdem addiscant, eaque imbuantur intellectu et voluntate; idest ius ei est vere instituendi fideles in christiana doctrina; hinc exigendi ut praedicationem ecclesiasticam frequentent et in christiana doctrina proficiant. Aliud enim est edere definitiones fidei in conciliis aut alia documenta magisterii ecclesiastici, aut prohibitiones librorum vel approbationes eorumdem ac doctorum, et aliud curare ut singuli fideles efficaciter instituantur in christiana doctrina; illud ius et officium quoddam est genericum et potius theoreticum; hoc magis practicum et quotidianum; ideoque quamvis adhuc spectet doctrinam, tamen magis accedit ad rationem practicam.

Id praesertim verificatur de pueris qui frequentiori indigent instructione. Sed quoniam non sufficit res semel didicisse, verum oportet earumdem saepius meminisse, hinc et adulti tenentur frequentare ecclesiasticam praedicationem, etiam ex eo quod oportet sit proportionata aetati et evolutioni.

16. Et quoniam proponitur ut efficaciter influat in mores fidelium, hinc Ecclesia iudicat de magis opportuna ratione pro huiusmodi effectu. Hinc ius habet et

eam proponendi sub forma *missionum*, quod videretur inutiliter adnotatum nisi saeculo praesertim superiori et etiam nostro, ut paucis abhinc annis in Helvetia, gubernia quaedam imbuta spiritu regalistico et iansenistico missiones prohibuissent asserendo sufficere parochorum instructiones; missiones autem populum indebite accendere ideoque nimias esse. Quod tam enorme est, ut videretur incredibile.

Cum autem fidelium institutio in sana doctrina extra Ecclesiam, praesertim fiat in scholis, hinc de eis loquendum est speciatim.

ARTICULUS III.

De scholis.

Nostra aetate multae et difficiliores propositae quaestiones. Considerare possumus 1° ius Ecclesiae negativum curandi ne in iisdem attentetur doctrinae christianae;

2° ius positivum promovendi religiosam culturam in scholis sive laicis, sive clericorum.

§ 1.

Ius negativum Ecclesiae in fideles circa scholas.

17. Competit Ecclesiae ius negativum 1° interdicendi fidelibus accessum ad scholas quascumque in quibus periculum sit perversionis quoad fidem (et quod de fide dicimus, ex paritate iuris semper intelligendum est de moribus). Hinc

2° ius invigilandi ne in quacumque schola aliquid contra christianam doctrinam tradatur.

3° Exigendi ut in societate catholica removeantur et puniantur qui ei contrarium aliquid attentaverint.

4° Ex iure negativo invigilandi, in nonnullis saltem circumstantiis socialibus, oriri potest ius praeventivum, prohibendi scilicet docendi munus eis qui ab Ecclesia examinati non fuerint et idonei reperti in fide et moribus, etsi non doceant materias religiosas, ex magna facilitate abusus, praesertim in prima puerorum institutione [1]).

§ 2.

Ius positivum Ecclesiae circa scholas pro laicis fidelibus.

18. Consideremus I. ius positivum tradendi in scholis religiosam institutionem pro laicis. Possumus constituere hoc generale principium: *Ius positivum Ecclesiae desumendum est a necessitate (et utilitate) fidelium; ideoque ius est Ecclesiae ea positive praestandi in instructione quae necessaria sunt (et utilia) pro eorumdem recta religiosa institutione.*

Ex principiis autem generalibus, in mentem revocamus Ecclesiam ipsam esse iudicem competentem huius relativae necessitatis. Igitur quidquid ipsa iudicaverit, servandum est. Hoc si res auctoritative consideretur; sed inquiramus scientifice, quid sit necessarium.

19. Possumus considerare ius Ecclesiae circa scholas a se non istitutas sed a fidelibus, sive a privatis sive a publica auctoritate civili; 2. ius Ecclesiae instituendi scholas suas.

In antecessum ius et officium patris determinemus, deinde scholae significationem.

---

1) Granclaude, tit. *de Magistris*, § 4.

Quoad I. sumimus ut extra controversiam positum inter catholicos, patrisfamilias ius et officium esse instituendi filios suos in recta christiana doctrina. Est officium, quia tenetur filios in vera religione instituere; est ius, quia cura filiorum cum nascuntur et sibi consulere nequeunt, est a naturae auctore, ipsis patribus directe et immediate concredita. Quando autem patrem nominamus, matrem quoque intelligimus, servato ordine qui in familia regnare debet, et in parentum defectu, eos qui ipsorum vices gerunt. Iamvero cum quilibet christianus sit sub Ecclesiae vigilantia et positiva directione pro adimplemento officiorum quae ut christianus habet, hinc et paterfamilias pro christiana institutione filiorum suorum. Haec Ecclesiae potestas ab ea exercetur in fideles, modo familiari, donec res privata remanet; ad modum societatis perfectae, cum fit publica; idest cum auctoritas Ecclesiae sit pastoralis, ideoque paterna et regalis, in singulos invigilat eosque dirigit et corrigit, ad modum patris vel principis prout expedierit et requisierit negotium de quo agitur.

20. Igitur ius est Ecclesiae positivum designandi quaenam sint pueris veritates religiosae tradendae. Iamvero ius et officium patrum est instituendi filios in eis quae ad vitam recte traducendam necessaria sunt in ordine sive spirituali sive temporali; verum huic muneri tum per se, tum per alios, sub propria tamen vigilantia ac responsabilitate, providere possunt. Imo in pluribus expedit, praesertim in litterarum et artium institutione; saepe enim ipsi patres non satis sunt periti, saepius autem curis domesticis distrahuntur. Quidam divites, ad id provident, sibi adiunctis magistris, qui omnino singulariter suos instruunt filios; quam institutionem, si appellare velimus scholam, domesticam tamen dice-

mus, distinctam a privata quae plures in communi curat; verum hic casus est omnino exceptionalis.

21. Ad succurrendum communi necessitati, scholae institutae sunt, seu loca in quibus pueri plures in communi, instituuntur. Quarum scholarum pro diverso scopo, plures gradus sunt. Et I. considerare possumus scholas populares, seu, ut dicimus, elementares et primarias; deinde scholas speciales, pro iis qui instructionem non omnibus communem desiderant, quae rursus in secundarias et superiores dividuntur.

QUAESTIO PRIMA

De scholis primariis.

Iamvero quaeritur I. an in scholis popularibus sint pueri instituendi et in re religiosa aut tantum in reliquis quae ad vitam civilem referuntur.

22. Recenseamus errores qui de hac re habiti sunt.

Etiam paganis sapientibus compertum fuit pueros maxime in bonis moribus esse instituendos, et mentis instructionem non esse separandam a voluntatis educatione, imo huic inservire debere. Cum autem moralitatis pars essentialis et fundamentalis sit religio, hinc in religione pueros quammaxime esse instituendos, quae institutio absque respondenti instructione religiosa haberi nequit. Multo magis theoretice et practice obtinuit apud christianos, pueros in ipsa revelata religione, utpote unice vera et efficaci, esse in scholis instituendos et instruendos.

Etiam protestantismus, quamvis poneret principia quae logice ad rationalismum ducerent, tamen ab initio revelatae doctrinae necessitatem potius exaggeravit quam excluderet.

Sed principium privatae interpretationis sacrarum litterarum logice ad rationalismum ducere debebat et vere duxit. Etenim hominis ratio erat quae 1° iudicare debebat de inspiratione sacrorum librorum; 2° eos interpretari; quid si persuaderi non posset de eorumdem divinitate? Eos reiecisset ut reiecit, et in eis id unice approbasset quod marte suo verum iudicasset. Sed quid ulterius si de existentia ipsius Dei persuaderi non potuisset? Profecto neque eam admisisset.

Ulterius quidam magis logice processerunt et neque de moralitatis necessitate se persuaderi posse affirmaverunt; hinc ex principio semel constituto neminem obligari posse ad ea servanda de quibus ipse persuasus non esset, logice descendisset socialis anarchia et status perpetuae hostilitatis inter homines, ut propugnavit Hobbesius. Sed quoniam necessitas socialitatis nimis sentitur et maxime practica est, hinc generatim reiecerunt has illationes extremas, et moralitatis necessitatem si non logice, tamen utiliter defenderunt. Verum moralitatem a religione praescindere debere dixerunt et proposuerunt principium de educatione quam laicam dicunt; hoc enim nomine indicatur sententia illorum qui contendunt in scholis primariis utique tradendam esse educationem, sed mere moralem, praescindentem a religione. Item instituta impia adsociatio instructionis primum in Belgio, deinde alibi, quae vulgo dicitur « Lega dell'insegnamento, » hoc imbuta anticatholico spiritu.

Quidam magis moderati exigunt educationem etiam religiosam, sed mere naturalem; alii et christianam, sed indeterminatam, adeo ut tradantur tantum dogmata cuilibet, ut aiunt, confessioni christianae communia, et vigilantiam negativam limitant ad excludenda

dogmata contraria naturali religioni et christianae in genere.

Contra hos dicimus 1° puerorum instructionem ab educatione separari non posse, quod nunc adversarios non habet; 2° educationem moralem et religiosam esse oportere; 3° hanc religiosam institutionem, inter catholicos, catholicam esse oportere.

Ex his facile ius Ecclesiae hac in re descendit.

Prob. I^um^ breviter.

23. Scopus scholae primariae non est tantum mentem in civilibus instruere, sed etiam personam educare, seu voluntatem in bono instituere; hoc de facto; ratio autem ob quam haec unio instructionis et educationis in scholis primariis ut necessaria habita est, est 1° experientia, quae ostendit, et prudentum iudicium comprobavit, instructionem traditam separatim ab educatione, parum aut nihil proficere in puerorum recta institutione, idest ipsam rectam educationem impossibilem aut difficiliorem reddere. Educatio autem est praestantior quam instructio; illa enim considerat hominis personam, seu hominem ut moralitatis capacem, hinc necessaria est absolute; haec quatenus a morali instructione distinguitur est per se indifferens.

Hinc traditio instructionis subordinanda est educationi, et proinde si experientia constat hanc minus efficaciter tradi separatim, cum appositae scholae habentur pro illa, profecto haec separatio non est admittenda.

24. 2.° Ratio intrinseca huius inseparabilitatis in casu, consistit in ipsa unitate personae humanae, in qua harmonice evolvi debent facultates; et quoniam pars essentialis, est pars moralis, hinc in prima evolutione quae omnibus necessaria est, primum locum

tenere debet; si autem in schola pueri tantum audiant quae ad mentis in civilibus institutionem referuntur, cum magni ea faciant quae in scholis accipiunt, facile putant hominis nobilitatem in iis consistere et facile cetera spernunt.

Ut ait summus Pontifex Leo XIII. in sua praeclara Epistola qua de hac re dedit ad eminentissimum urbis Vicarium, die 26 Iunii 1878, nequit in pueris renovari iudicium Salomonis ut intelligentia separatim a voluntate excolatur: « Questo esige altresì la natura del « fanciullo..... non si può in nessun patto rinnovare « sopra il fanciullo il giudizio di Salomone e dimez- « zarlo con un taglio irragionevole e crudele tra la « sua intelligenza e la volontà; mentre si prende a « coltivare la prima, fa d'uopo avviare la seconda al « conseguimento degli abiti virtuosi e dell'ultimo fine. « Chi nell'educazione trascura la volontà concentrando « tutti gli sforzi alla coltura della mente, giunge a « fare dell'istruzione un'arma pericolosa in mano dei « malvagi..... »

Igitur scopus scholae est non modo in civilibus instruere, sed et educare.

Probatur 2.um

25. Educatio non modo moralis, sed et religiosa sit oportet; imo moralis sine religione haberi nequit, cum, ut ostenditur in ethica, et nos quoque lib. 1. partis primae indicavimus, Deus sit principium efficax obligationis moralis eiusque vindex.

Probatur III.um

26. Religio vera et plene efficax est tantum catholica, quae in gente catholica, ut talis lege agnoscitur. Hinc catholica educatio, et religiosam catholicam institutionem complectatur necesse est; ideoque in scho-

lis popularibus catholicorum a ceteris institutionibus non est separanda.

Id importat duo: 1° magistrum imbutum esse spiritu catholico eoque suam educationem informare; 2° inter materias addiscendas recenseri et instructionem religiosam, seu, ut dicimus, catechismum.

Hinc necessitas instructionis religiosae prob. 1° ex eius necessitate pro recta educatione quae in scholis acquiri debet, quaeque sine ea impossibilis est. Sed 2° probari potest et ex argumento quo primum assumptum probatum est, idest: pueri indigent et instructione religiosa; magni autem faciunt quae in scholis accipiunt: si igitur non videant haberi ut necessariam pro integro systemate suae institutionis, eam facile spernent. Ergo tradenda est et ut instructio, et ut praerequisitum educationis. Igitur religio est inculcanda ut educatio et ut instructio; sed primum argumentum est maioris momenti.

Ex his apparet summum Pontificem Leonem XIII. in superius laudata epistola, merito reprehendisse eam publicam dispositionem, qua catechismus exhibetur ut materia libera, adeo ut iis tantum tradatur qui illum desiderant. Etenim praeterquam facile quidam genitores possunt ex negligentia hanc petitionem praetermittere, id minuit catechismi efficaciam: « Non si riesce « infatti a capire come gli autori della malaugurata « disposizione non si sieno avveduti della sinistra im- « pressione che deve fare sull'animo del fanciullo il « veder posto l'insegnamento religioso in condizioni « così diverse dagli altri. Il fanciullo che per essere « stimolato ad uno studio diligente ha bisogno di co- « noscere l'importanza e la necessità di ciò che gli « viene insegnato, quale impegno potrà avere per un

« insegnamento, verso del quale l'autorità scolastica « si mostra fredda ed ostile, tollerandolo a malin- « cuore?.... »

27. Quatenus institutio religiosa datur ut educatio, schola saltem cadit sub vigilantia Ecclesiae, ut supra dictum est de negativo eius iure; (vigilantia enim etsi sit quid positivum, tamen cum ad id tendat ne quid minus rectum tradatur, eius ius inter negativa recensemus). Quatenus autem est instructio religiosa, magis positivum fit munus Ecclesiae, nempe praescribit quaenam sint pueris tradenda, et per consequens etiam scholas visitat ut verificet traditam institutionem; hinc legislationes christianae solent parochis, qui repraesentant auctoritatem ecclesiasticam in suo gradu magis immediato cum populo, ius concedere scholas has visitandi et interrogandi pueros de re religiosa; dicimus christianas, quia et apud acatholicos id solet adhuc obtinere, quia principium de schola laica satis recens est.

Huc faciunt responsiones sacrae Congregationis Concilii Archiepiscopo Solonae interroganti:

I. An clericos tam minorum quam maiorum ordinum ad officium ludimagistri a communitatibus conductos cogere possit ut pueros rudesque scholares doctrinam christianam edoceant.

II. An idem cogere possit ludimagistros laicos itidem a communitatibus conductos.

III. An idem cogere possit ludimagistros sive clericos sive laicos a nemine conductos.

IV. Qua poena praefatos ludimagistros cogere possit.

Sacra Congregatio reposuit posse prius hortando et deinde praecipiendo; die 17 Iulii 1688, relata a Benedicto XIV. Instit. IX.

28. Inutile est adnotare nos hic agere de eo quod per se praestandum est in societate catholica; quid autem in statu mixtae religionis, vel quid pro subditis acatholicis status catholici, non inquirimus, cum tunc agatur non de iure per se, sed de iure per accidens, vel de eo quod prudenter potest ad praxim reduci. Sed in statu mixto 1° numquam catholici cogendi ad frequentandas scholas in quibus aliquid tradatur contra ipsorum religionem; 2° catholicis permittendum est scholas suas habere; etenim systema scholarum praescindentium, ut omnibus possint inservire, 1° dat catholicis incompletam institutionem; 2° facile convertitur in impugnatione catholicismi, cum difficile sit magistrum suo spiritu acatholico vel incredulo non informare suam institutionem et educationem.

DIFFICULTATES

29. Prima pars ratiocinationis institutae impugnari posset, dicendo educationem tradendam esse extra scholam, ab instructione mentis separatam: etenim illa ad patris officium spectat.

Verum animadvertimus ad patris officium seu matris, spectare et primam instructionem mentis. Hinc puerorum institutor semper loco patris stat. Hinc tenetur ex ipsa rei natura, ita pueros instruere ut obligationi patris satisfaciat. Iamvero id educationem importat, et quidem ex dictis religiosam et inter catholicos catholicam. Etenim non agitur de eo qui instruit in una determinata speciali materia, ex. gr. in mathesi, qui profecto positive respicere ad educationem non tenetur, sed de eo qui simpliciter mentis evolutionem loco patris procurat, vel melius (ut res se habent apud nos

et universim), de eo qui evolutionem pueri fundamentalem et universam curat. Minister Portalis quando Napoleon I. restauravit in scholis religionis doctrinam dixit: « Tempus est ut theoriae taceant coram factis. « Nequit dari instructio sine educatione, et educatio « sine moralitate ac religione. Magistri docuerunt de- « serto, quia imprudenter dictum est de religione in « scholis sermonem non esse habendum [1]) ».

30. Modo analogo resolvitur obiectio quae contra secundam partem proponi posset, idest educationem moralem in scholis tradi posse, et religiosam extra scholam, quoniam obiective distinguuntur officia erga Deum et cetera erga se et proximum.

Antequam respondeamus praemitto ex allatis argumentis duo esse constituta, idest 1° ipsam educationem spiritu religioso informatam esse oportere;

2° quoniam religiosa educatio supponit religiosam instructionem, eam quoque in programmate, ut aiunt, popularis instructionis, comprehendi oportere.

Iamvero cum educatio religiosa debeat informare educationem moralem, nullo modo est ab ea separabilis, non tantum quia esset incompleta, sed quia esset falsa et inefficax, cum, ut ex ethica adsumimus, non modo religio sit pars moralitatis, sed reliquae moralitatis fundamentum, ut lib. 1° part. 1ae diximus, sine quo non subsistit, et a quo praescindendo, hoc ipso falsa est, cum aliud non verum fundamentum esset adsignandum.

Igitur magister qui numquam loqueretur de Deo et officiis erga eumdem, cum loquitur de honestate, falso spiritu imbueret suos discipulos; hinc haec pars est inseparabilis a reliquis.

---

1) Thiers, Hist. du Consulat, liv. 24. pag. 521.

31. Quoad instructionem vero religiosam, notamus necessarium non esse catechismum tradi in ipsa schola, ab ipso magistro aliarum materiarum; potest enim tradi, et forsitan utilius, in Ecclesia et a viro ecclesiastico specialiter deputato, dummodo sit pars programmatis obligatoria, quae ut praecipua habeatur, adeo ut discipuli eam ut necessariam ad felicem exitum examinum, et maximi momenti considerent.

Igitur haec pars est separabilis quoad locum et personam docentis, quamvis non ab integro systemate instructionis, de quo tantum solliciti sumus.

32. Circa tertiam partem, si quis contenderet sufficere institutionem religiosam in genere, aut ad summum christianam, pariter animadvertimus

1. quoad institutionem in religione mere naturali eam esse I. falsam, quatenus negaret esse attendendam religionem revelatam aut de ea sileret, silentium enim aequivaleret ignorantiae;

2. incompletam, si tantum in genere diceret esse servandam religionem revelatam, sed non indicaret quid ipsa doceret; hinc inefficax esset nisi suppleretur. Instructio autem religiosa suppleri potest extra systema scholasticum quamvis minus efficaciter, sed educatio male suppletur.

II. Quoad institutionem christianam in genere, 1. eadem animadverti possunt, cum et ipsa sit aut falsa aut saltem incompleta; 2. ob dissidia exorta vel exoritura, principia communia omnibus confessionibus christianis ita exilia sunt et multo amplius fieri possunt, ut fere evanescant.

QUAESTIO SECUNDA

De catechista approbando vel designando.

33. Ius positivum Ecclesiae ex dictis complectitur 1° adsignationem materiarum tradendarum seu catechismi.

2.° Visitandi scholas, ut videat an eius praeceptis satisfiat.

3.° Referri potest ad personam, de quo in praesenti quaerimus. Et distinguendum inter scholas elementares privatas seu a privatis institutas, et scholas publicas seu a publica auctoritate sive municipali sive gubernativa constitutas, aut his assimilatas.

Sit primo

Num. 1.

De scholis primariis privatis.

34. Scholae privatae repraesentant auctoritatem patrumfamilias sive ab ipsis constitutae sint, quo casu apud nos, rigorose paternae dici solent, sive non; etenim per accessionem voluntariam veluti eas adoptant, cum magister privatus nullam aliam habeat auctoritatem docendi quam receptam a patribusfamilias. Iamvero patri ius est et officium naturale educandi et instituendi filios suos. Verum potest alios sibi substituere sub sua tamen vigilantia atque responsabilitate. Cum enim sit non modo ius sed et officium generale relate ad moralem educationem et primariam ideoque omnibus necessariam institutionem, nequit eidem renuntiare.

Item potest coadiutores sibi adsumere. Huiusmodi sunt magistri, idest vel substituti vel coadiutores pro casuum diversitate.

35. Substituti sunt cum patris locum tenent, qui nihil praestat pro filiorum instructione et educatione; coadiutores sunt, cum illum adiuvant attendentem filiorum institutioni. Cum filii in collegiis ponuntur, magistri et alii institutores sunt potius substituti patris; etenim eius absentis vices gerunt; e contra cum filii vivunt in domo paterna et tantum frequentant scholas, et multo magis si in ipsa domo paterna magistros audiant; tunc enim neque scholas in sensu quaestionis, frequentare dici possunt; sumimus enim scholam prout distinguitur a domestica institutione, cuius vices gerit et insufficientiam supplet.

36. Tamen pater christianus habet coram Ecclesia officium educandi et instituendi filios conformiter christianae doctrinae; in hoc igitur est sub vigilantia Ecclesiae, quae insuper praescribit quaenam sint docenda; etenim paterfamilias, filios christiane educat et instituit praecise quatenus christianus pater est. Etenim officium eius naturale est ut eos instituat, recta institutione; rectam autem agnoscit christianam institutionem quatenus et ipse christianus est; et hoc eius officium fit iuridicum, idest obligatorium coram aliqua societate, quatenus pater membrum est eiusdem societatis. Igitur officium institutionis christianae in patre est necessaria extensio officii paterni, derivans a qualitate christianitatis quae in ipso est.

Sed homo quatenus christianus, est sub vigilantia non modo sed sub positiva directione Ecclesiae, sicut quatenus civis est sub positiva directione societatis civilis. Ergo pater christiane instituit filios ea ratione quam Ecclesia praescripserit.

37. Ex quo apparet differentia quae intercedit inter relationem patriae potestatis ad Ecclesiam et ad civilem

societatem; ad Ecclesiam enim refertur per se: etenim cum Ecclesia curet sanctificationem fidelium per media externa, immediate attingit omnes ipsorum respectus externos; hinc eos directe considerat in quovis statu sive patris sive filii, mariti et uxoris. E contra patria potestas non refertur directe ad societatem civilem, sed tantum indirecte, ex dictis in parte 1ª de autonomia familiarum, cum scopus societatis civilis non sit curare relationes patris et filii seu internas familiae, sed tantum externas eorumque impotentiae supplere; hinc corrigere excessus, supplere defectus, sed non directe sese negotiis familiaribus immiscere.

38. II. Ecclesia habet per se ius instruendi in christiana doctrina suos fideles, ideoque et filiosfamilias. Hoc ius Ecclesiae non est exclusivum iuris paterni, sed cumulativum, quod sedulo notandum est; etenim Ecclesia ex dictis, habet ex fine suo ut homines sibi subditos sanctificet; est igitur eius obiectum directum et proprium quidquid exterius sanctificandum est; sed non excludit aliena iura, et adscribit sibi minores societates, integra manente ipsarum activitate et competentia, quae tantum ei subordinatur. Igitur et patrum iura intacta manent quamvis fiant Ecclesiae subiecta. Iamvero Ecclesia instituit fideles tamquam per organa sibi propria, per parochos aliosque ministros suos. Imo cum ex dictis patres christiane instituant filios quatenus ipsi membra Ecclesiae sunt, hinc fit ut sint organa naturalia Ecclesiae, quia iuris naturae est ut Ecclesia utatur opera patrum pro christiana institutione filiorum, cumulative cum aliis suis ministris. Hinc Ecclesia quae est societas maior, incorporat sibi familiam, quae est eius respectu societas minor, et sibi subordinat eius organismum eoque pro suo fine utitur.

Igitur Ecclesia et ius habet instruendi per se, filios et invigilandi atque exigendi ut a suis patribus instruantur, praescribendo quaenam docenda sint.

Num. 2.

De magistris substitutis patri.

39. Hoc ergo officium patrum transfertur in magistros si eos sibi substituant; quos primo consideramus, qui proinde magistri habent erga Ecclesiam eam dependentiam quam habebant ipsi patres, imo maiorem. Etenim ius instituendi filios in patribus est naturale, et etiam instituendi eos christiane; fluit enim necessario ex extensione auctoritatis paternae, posita qualitate christianitatis in patre; est igitur naturale hypotheticum quamvis ab Ecclesia negative et positive dependens; ideoque sub eius vigilantia et directione. Potest igitur paterfamilias ab Ecclesia dirigi et corrigi, sed regulariter nequit removeri, nisi in casibus extremis, sicut requiritur et ut expolietur in reliquis, auctoritate paterna; etenim eius ius est naturale et proprium.

40. E contra magister substitutus patri, non habet ius proprium sed delegatum, neque naturale sed adventitium. Ergo non modo dirigi et corrigi, sed etiam removeri potest. Removetur autem a patre qui retractat delegationem; verum quoniam ipse pater est sub Ecclesiae directione et correctione, hinc et eius actus quo magistrum sibi substituit; si igitur male substituat, poterit ab Ecclesia obligari ad revocandam delegationem. Imo attento iure, poterit Ecclesia et directe hunc malum christianum ab hoc officio interdicere, seu eum removere.

Est igitur Ecclesiae ius integrum positivum quoad praescriptionem docendorum, et negativum quoad personarum designationem, quae patrifamilias substituantur.

41. Sed requireturne positiva approbatio huius personae ab Ecclesia?

Haec quaestio duplicem habere potest significationem; 1. an necessaria sit Ecclesiae missio ita ut ipsa designet personam; 2. an Ecclesia possit positivam approbationem praescribere, consensum suum dando designatis catechistis.

Quoad I. negative respondendum est; etenim magister patri substitutus, repraesentat auctoritatem paternam, etsi in materia hypothetice ei competente, quae auctoritas a patre est delegabilis. Retinet ergo magistri institutio naturam privatae et paternae institutionis, quae nullam auctoritatis publicae missionem importat, quamvis sit ei subordinata, eo modo quo exposuimus.

42. Quoad II. an Ecclesia posset exigere hanc positivam approbationem?

Resp. 1° generice; posset si esset moraliter necessaria, pro tuta institutione fidelium.

Etenim ius et officium Ecclesiae est supremum et plenum; si igitur res in eum statum devenirent in quo passim sufficiens cautio non haberetur rectae institutionis in magistris, puta quia plures essent male in fide sentientes, profecto hoc ius esset Ecclesiae; sicut enim eos removere post factum, ita et praevenire posset periculum ante factum; agitur enim, ut praedixi-mus, de officio in eis accidentali et adventitio.

Sed 2° si loquamur iuxta communiter contingentia, respondemus negative, cum dicti magistri repraesentent auctoritatem patris, quae eius propria est et delegabilis.

43. Tamen notandum est scholas has paternas habere posse plures gradus; etsi enim iuridice sint semper paternae, tamen prout numerum vel minorem vel ampliorem instituendorum comprehendant, praesertim si omnibus volentibus privatus institutor operam suam offerat, accedent plus vel minus scholis publicis, non attento iure quo existunt, sed modo quo instituunt; hinc pro maiori sua numerositate, maiorem Ecclesiae vigilantiam merebuntur.

Num. 3.

De magistris coadiutoribus.

44. Consideramus 2° magistros, coadiutores patris. Cum magistri sunt simpliciter patri substituti, oportet curent et religiosam puerorum instructionem, loco patris; sed cum tantum illum praesentem adiuvant, tunc pater quaedam potest per se. Iamvero hi coadiutores rursus vel sunt omnino domestici, idest et privata auctoritate docent et modo privato, ex. gr. in ipsa domo patris vel inter paucos selectos filios, vel docent modo publico, ut fit in scholis quae a privato offeruntur cuilibet volenti, data compensatione.

Si primum, certe pater potest plura praestare per se; ideoque et religiosam instructionem sibi reservare, et aliquando utilius ut rem nobilissimam quam sibi reservando, ostendit a se haberi maximo in pretio. Loquimur semper de instructione religiosa; nam educationem et reliquam instructionem imbui oportere spiritu catholico, semper necessarium esse diximus, neque in hoc separabilitas est possibilis, eam vetante ipsa materia.

Verum hunc casum quo magister modo privato coadiuvat patremfamilias, non consideramus; tunc enim, ut praemonuimus, non habentur scholae proprie dictae, etsi habeantur magistri.

45. Si alterum haberetur, nempe magistros coadiutores docere modo publico, tunc et religiosa instructio est inter materias scholasticas adnumeranda, quia viget ratio quam supra attulimus in probatione generica primi et secundi principii. Igitur tunc instructio religiosa danda est non ex natura principii constituentis scholam (quod est auctoritas paterna), sed ex natura ipsius scholae quae modo publico datur et cum appareat destinata ad pueros universim instituendos in necessariis, si omitteret partem religiosam, deficeret, et si suppleretur extra, non tam efficaciter suppleretur ex dictis; ideoque per se, est danda inter scholasticas materias.

Ceterum ex scholis privatis quaedam esse possunt in quibus dubium erit an sint privatae tantum quoad principium eas constituens vel in ipsa ratione docendi, ideoque locus prudenti aestimationi relinquendus erit et tutior pars adoptanda; agitur enim de efficacia medii pro fine necessario.

46. Ex his apparet obiici non posse, esse in potestate patrumfamilias filios per se educare vel alios subdelegare, ideoque posse vel totum vel partem subdelegare sui muneris; igitur posse et sibi reservare instructionem religiosam suorum, ceteris delegatis.

Resp. enim id verum esse, dummodo ipsa res religiosa detrimentum non patiatur. Iamvero cum filii ad scholas mittuntur quae ratione publica docent, si in eis non tradatur religiosa institutio, ipsa male extra suppletur ex dictis. Ergo tunc ex hypothesi liberum

non est patribusfamilias huiusmodi scholas adoptare per se loquendo, idest si aliter melius filiis possint consulere.

47. Relate vero ad catechistarum coadiutorum patrum vigilantiam et directionem, competunt semper Ecclesiae eadem iura ac super magistros qui patribus substituuntur; de quibus magistris universim observandum est eos vel catechismum docere ut quid accessorium, idest una cum aliis materiis, vel exclusive ad eum tradendum designatos esse. Etsi iura Ecclesiae vigilantiae ac directionis, sint eadem quoad utrosque, tamen quoad postremos qui ex professo chatechistae sunt, facilius erit et convenientius ut in ipsorum designatione approbatio Ecclesiae exquiratur.

Num. 4.

De scholis publicis popularibus.

48. Scholas populares publicas dicimus quae auctoritas societatis civilis, sive sit gubernativa, sive provincialis, aut municipalis erigit pro communi institutione puerorum.

Iamvero hae scholae debent et religiosam institutionem tradere pueris et subiiciuntur vigilantiae Ecclesiae et eius directioni quoad materias tradendas in re religiosa, sicut ceterae, imo ob suam perfectam publicitatem et praestantiam, magis etiam.

Etenim etsi hae locum teneant patrumfamilias, non tamen ex facto eorumdem, sed ex voluntate publicae auctoritatis. Patres tantum quemdam assensum praestant si lex eos liberos relinquat; qui assensus valde minor est ac pro scholis a privatis institutis; etenim

in his electioni locus est, imo cum ut plurimum et stipem aliquam collatam requirant, conatui cuidam patrumfamilias locum relinquunt; e contra scholae publicae gratuitae; et nulli consensui locum relinquerent, si essent ex legis necessitate adeundae, ut pluribus in locis, quamvis ex iniuria exigitur.

49. Est iniuria; quia etsi societas civilis possit invigilare ut quisque paterfamilias muneri suo satisfaciat educandi filios suos, et pro necessitate eos corrigere aut substituere possit, non tamen potest iure coarctare illorum libertatem qui possunt et volunt filiis suis vel per se vel per sibi benevisos consulere.

50. Iamvero de scholis his publicis quaeritur an approbatio catechistae (vel magistri eius quoque fungentis officio) per se spectet ad Ecclesiam, vel auctoritate civili fieri possit, sub Ecclesiae vigilantia.

Ex una parte, pro affirmativa sententia militat designationem huiusmodi magistrorum fieri ab auctoritate publica seu sociali; pro re religiosa auctoritas socialis, est ecclesiastica non civilis.

51. Ex alia vero parte, pro negativa sententia militat, has scholas publica quidem auctoritate institui, sed loco patrum, qui cum sint sub vigilantia Ecclesiae, sed non indigeant eius missione pro religiosa filiorum institutione, ita neque ea indigere videtur publica civilis auctoritas, designando magistros qui locum patrum teneant. Auctoritas enim socialis per se religiosa, est utique ecclesiastica non civilis, si de iure independenti sermo sit; hinc vigilantiae Ecclesiae locus est; item si iure proprio procedat, auctoritas socialis in re religiosa profecto non est auctoritas civilis, sed ecclesiastica; verum iure repraesentativo patrumfamilias procedere potest et auctoritas civilis, dummodo

servet erga Ecclesiam eam dependentiam ad quam tenentur ipsi patresfamilias.

52. Circa hanc quaestionem quaedam adnotamus. 1° Indubium est Ecclesiae competere ius vigilantiae in hos magistros, eosque removendos esse eius iudicio, si christianam doctrinam pervertant.

Iamvero in praxi, ius vigilantiae et ius approbationis, eamdem moraliter loquendo producunt securitatem; approbatio enim est consensus praestitus praesentato, tamquam idoneo; et distinguitur a designatione, quae inter idoneos, magis idoneum eligit.

2° Ut supra adnotavimus, si in concreto, ex specialibus locorum et temporum conditionibus, Ecclesia iudicet necessarium praescribere et positivam approbationem, ei id iuris esse. Huc facit declaratio sacrae Congregationis Concilii in Ferentina 4 Decemb. 1734: « Episcopum posse prohibere ludi magistris exercitium « scholae, quamvis nominati fuerint a communitatibus « laicorum, iisque competat eorum electio, bonorumque « administratio independenter, *nisi prius fuerint ab « Episcopo approbati* ». Imo et designatio personae competere potest Ecclesiae in casu infra notando.

Iamvero cum spiritus informans societatem civilem et praecise classes excultas erat catholicus, poterat praesumi in omnibus magistris, sufficiens cultura et bona fides in docendo; e contra si perversio in hoc habeatur, cessat praesumptio, et praecedens approbatio potest esse utilis vel necessaria.

3° Distinguendum inter magistrum qui cum ceteras tradat materias, et catechismum docet, et eum qui unice ad catechismum tradendum destinatur. Pro illo tantum approbatio poterit esse necessaria, quia principaliter destinatur ad reliquas materias edocendas;

hinc ille designat qui principali providet, in tuto collocato iure accessorii. (Ex supradictis patet quo sensu instructio religiosa dicatur accessoria et secundaria; non ratione sui, sed quatenus est obiectum scholae, quae schola principaliter dirigitur ad complexum cognitionum et educationis). Haec approbatio esse poterit generalis, si ex. gr. inter materias ab ipso exponendas in idoneitatis examine, et religio comprehendatur, a deputatis ecclesiasticis experimento subiicienda.

E contra, catechistae unice docentis catechismum designatio, ad auctoritatem Ecclesiae poterit pertinere, cum ad eam positivus concursus spectat ad eius nominationem.

53. His positis dicimus:

In scholis publicis positivam approbationem Ecclesiae requiri ad catechistae officium, sive sit unicum, sive secundarium officium magistri.

Prob. ex supra allata ratione pro prima sententia, nempe scholae institutionem esse negotium publicum et sociale; ideoque pendere ab ea auctoritate cui competit cura negotii pro quo instituitur. Atqui religio pendet ab auctoritate ecclesiastica; ergo magistri quatenus ordinantur ad religionem tradendam, pendent ab auctoritate ecclesiastica.

54. Ratio obiecta in argumento secundae sententiae negativae est falsa; aiebant enim auctoritatem civilem in scholis instituendis repraesentare auctoritatem paternam; sed non est verum; aliud enim est ipsam supplere insufficientiam patrum, aliud est eorum auctoritatem repraesentare; illud verum est, sed est commune et ceteris attributionibus auctoritatis civilis; ad id enim instituitur civilis societas, ut pluries dictum est, ut suppleat familiarum insufficientiam (qui scopus

ad rem nostram refertur), et ut ipsarum reciprocas relationes ordinet. Verum in supplenda hac familiarum insufficientia, non procedit auctoritate patrum delegata, sed sua, idest publica. Igitur et quatenus providetur instructioni religiosae, proceditur auctoritate publica; sed hanc propriam in re religiosa, societas civilis non habet, sed tantum ministerialem. Ergo positiva directio Ecclesiae et in catechistarum constitutione requiritur; qui positivus concursus erit designatio, si agatur de catechista ex professo; secus erit approbatio.

55. Verum si ex temporum conditionibus inter ordinarios magistros non facile inveniantur qui possint approbari, tunc ius erit Ecclesiae et exigendi constitutionem catechistae appositi.

Etenim ex utroque systemate adest utilitas diverso sub respectu. Cum magister docet ceteras materias et insuper catechismum, tunc si magister optimo est imbutus spiritu, discipuli considerant instructionem religiosam ut ceteris parem; imo ex magistri sollicitudine ut praestantiorem. Sed periculum est magistrum non esse catholico spiritu imbutum ideoque saltem negligenter et pro forma in ea tradenda procedere, et proinde inefficaciter.

E contra si appositus aderit catechista ab auctoritate ecclesiastica designatus, hic et diligentior erit et magis peritus. Etsi enim sufficiens catechismi traditio fieri possit ab omnibus satis in re christiana edoctis, tamen exquisitior puerorum institutio, non communem in docendo peritiam exigit. Sed si ipsi scholares in religioso spiritu deficiant, periculum est ne eius magisterium minoris faciant, utpote de materia supervacanea.

56. Quaeri ulterius potest an status teneatur ad expensas religiosae instructionis sustinendas, posito quod

Ecclesia exigat appositum catechistam. Et respondetur affirmative, cum eius sit expensas pro publica prosperitate sustinere; iamvero ad eam scholae requiruntur, et natura scholae ex dictis importat religiosam institutionem, quae ex hypothesi exigit catechistam appositum.

57. Ceterum nemo non videt nostris temporibus eam esse socialem conditionem ut maxime necessarius sit Ecclesiae positivus interventus, ut scholae fiduciam patrumfamilias et Ecclesiae ipsius mercantur, sub respectu religioso; cuius interventus necessitas fit ad hominem magis evidens, ubi schola est obligatoria; tunc enim cum patribusfamilias non sit facultas aliter consulendi suorum institutioni, oportet, maximam securitatem exhibeant scholae publicae.

Num. 5.

De scholis primariis privatis quae publicis assimilatae sunt.

58. Sunt et scholae a privatis institutae sed ad modum scholarum publicarum, quas cum Taparelli, materialiter publicas vocare possemus, quae a lege, ex parte saltem, scholis formaliter publicis comparatae sunt pro effectibus civilibus. Cum autem pro effectu iuris indifferens sit an aliquid sit primitus a publica auctoritate constitutum, vel postea eius loco recognitum, hinc necesse est satisfaciat iisdem conditionibus coram societate tum civili tum ecclesiastica; et proinde pro religiosa institutione, positive ab Ecclesia pendeant. Quae dependentia est limitanda ad approbationem catechistae, et non ad designationem, cum privatis ius sit concurrendi publicae utilitati, dummodo idonei sint.

59. Hinc pariter notandum est esse posse casus in quibus difficile sit determinare an privatus instituens scholam, eam ut privatam velit haberi, idest ut oblatam in adiutorium patribusfamilias, ab eis unice vim retrahentem, vel ut publicae seu socialis institutionis locum tenentem, ut a lege vim suam ac privilegia accipiat; sed nos de principiis, non de applicationibus solliciti sumus, et in praxi iudicium Ecclesiae erit attendendum.

60. Igitur reassumendo ius Ecclesiae circa personas, I. in scholis vere privatis per se est ius tantum negativum, excludendi repressive inidoneos.

II. In scholis publicis est ius positivum et praeventivum approbandi qui cum aliis materiis docent et catechismum, et designandi catechistas exprofesso eosque aliquando exigendi.

III. In scholis privatis sed aequiparatis ius est saltem approbandi.

QUAESTIO TERTIA

De scholis secundariis et superioribus.

61. Quaeritur deinde quod ius positivum sit Ecclesiae pro religiosa instructione impartienda in scholis non popularibus, sed specialibus, quae proinde ab iis frequentantur qui communem et omnibus necessariam instructionem religiosam iam accepisse praesumuntur. Iamvero notandum est, instructionem religiosam eamdem non esse omnibus sufficientem; oportet enim sit proportionata reliquae instructioni; hinc maior cognitio religiosa necessaria est iis qui studiis exprofesso attendunt.

62. Proinde hic non consideramus scholas omnino professionales, ex. gr. in arte aliqua liberali vel mechanica; etsi enim utile esse possit ut hi discentes, diligentius in religione instituantur, tamen si frequentent instructiones religiosas in Ecclesia traditas, potest eis sufficere, cum ipsorum scholae non sint nisi officinae ampliatae, ideoque proprie non collocent in classe civium magis exculta, etsi faciant in aliqua arte magis excultos; non enim cognitiones communes litterarum et scientiarum augent, quae etiam proximius cum quaestionibus religiosis connectuntur, ut videtur necessarium ut quis collocetur in classe civium magis excultorum. Ceterum si contrarium verificaretur, analogice ad ea quae dicturi sumus, facile argui posset.

63. Est autem principium generale semper prae oculis habendum, Ecclesiam posse quidquid ad salutem animarum necessarium putaverit; hinc non modo praecepta generalia condere potest pro omnibus fidelibus, sed et specialia pro determinata aliqua classe; hinc si viderit fideles alicuius professionis periculo damnationis exponi, potest tum eamdem professionem interdicere si periculum sit inevitabile et absque ratione sufficienti, tum remedia praescribere ut removeatur seu vincatur, inter quae et specialis instructio esse potest; id autem praecipit vel in foro interno vel per legem in externo prout fuerit natura periculi, idest vel personalis vel publici et communis alicui classi. Nobis autem mens non est aut facultas prosequendi omnes possibiles hypotheses quae in rebus humanis possunt verificari, sed praecipuas, et praesertim concretas quae nunc verificantur.

64. Ab iis autem qui specialem suscipiunt litterariam et scientificam instructionem, et diligentior cul-

tura religiosa requiritur, sicut et legis moralis ac civilis, adeo ut non excusentur ignorantia, ubi populares viri ea teguntur. Deinde nisi sint in religione satis versati, facile fiunt irreligiosi, et sophismatibus capiuntur quae adversus religionem audiunt seu legunt. Ii praesertim qui ex professo scientiis attendunt per superiorem instructionem, cum assuescant veritati admittendae non ex auctoritate, sed ex ratiocinio, oportet sufficientem quoque illustrationem habeant et credibilitatis christianae religionis.

65. Ex his apparet ius esse Ecclesiae curandi ut ii qui instructionem supra popularem accipiunt, et relativa superiore religiosa instructione donentur. Quae superior instructio religiosa oportet sit pars obligatoriae scholasticae instructionis, ex rationibus adductis supra, de populari instructione, iisdem iuribus Ecclesiae servatis pro materiarum praescriptione et personarum approbatione aut designatione, prout scholae fuerint privatae aut publicae.

66. Cum autem apud nos obtineat scholas lyceales esse praeparatorias studiis professionum specialium, hinc donec christiano imbuta fuit spiritu legislatio, non modo catechismus diligentius tradebatur in gymnasio, sed et apalogia christianae religionis, una cum philosophiae elementis. Per hanc institutionem completur instructio laica religiosa, ideoque videtur nihil amplius praescribendum pro scholis superioribus seu universitariis, dummodo catholico spiritu imbuti essent doctores earumdem, adeo ut scientiam hostilem religioni non traderent, ideoque et falsam.

67. Si non necessarium, expediret tamen quasdam relationes scientiarum sivé naturalium sive praesertim moralium (ex. gr. oeconomiae publicae seu socialis)

cum religione, item disquisitiones quasdam historico-religiosas, adhuc tradi, cum ob maiora studia et mentis maturitatem, tunc magis hae quaestiones religiosae intelligerentur, imo quaedam tunc tantum.

68. Deinde semper necessarium est scholares superiores frequentare verbum Dei, sicut ceteri, cum eo indigeant si non ad mentis instructionem, tamen ad eius meditationem et pro voluntatis pia motione. Imo cum et verbum Dei utilius suscipiatur si respondeat speciali culturae et conditioni audientium, cumque scholares sint in speciali conditione mentis et morum, hinc valde expedit ut sibi propriam habeant diebus festivis Ecclesiam. Sicut autem Ecclesia ius habet invigilandi ut quisque fidelis suis satisfaciat religionis officiis eaque praescribendi quae opportuna videantur pro meliori eorumdem adimplemento, hinc et pro scholis superioribus speciales possent ab Ecclesia emanari dispositiones; Ecclesia enim non modo ius habet docendi fideles, sed et eos educandi ac providendi ut efficaciter satisfaciant suis obligationibus moralibus et religiosis. Haec quidem non attingunt praesens caput, quod de instructione agit, sed ad disciplinam referuntur; verum ob materiae affinitatem, cum de scholis agamus, hic adnotantur.

69. Hae dispositiones scholastico-religiosae non solent habere vim praecepti ecclesiastici simpliciter, adeo ut ex. gr. si alibi missam audiant, non satisfaciant praecepto sanctificationis diei festi, vel peccent non frequentando quam dicimus congregationem universitatis, sed potius vim habent praecepti disciplinaris scholastici, adeo ut removeantur a scholis publicis qui regulis huiusmodi non steterint, vel aliter poenis disciplinaribus scholasticis multentur.

70. Hinc Ecclesia ius habet exigendi ab auctoritate civili competente ut relativae normae disciplinares scholasticae efficaces constituantur atque observentur.

Idem servata proportione dicendum de scholis privatis analogis, ubi huiusmodi institutiones habentur.

§ 3.

De scholis clericalibus, seu de seminariis.

71. Vidimus de iure Ecclesiae in scholis non suis, seu sive a publica potestate sive a privatis constitutis pro laicorum institutione. Videamus modo de iure Ecclesiae habendi sibi scholas suas, seu a se institutas et gubernatas tum in ordine disciplinari tum instructionis, praescribendo nempe materias in eis tradendas et methodum litterariam aut scientificam in eis servandam.

Et quoniam hae scholae esse possunt aut pro clericorum institutione aut pro laicis, sit in praesenti de primis.

72. Ecclesia opus habet ministris, qui speciali indigent instructione et educatione. Et quoniam utrumque simul procuratur, hinc de scholis clericorum sub utroque respectu loquamur, ne ob diversum respectum, rem in duplici capite consideremus, eam dividendo cum brevitatis et unitatis detrimento.

Consideremus I. specialitatem instructionis clericalis; haec potest spectari in duobus; 1° in instructione propria eorumdem, seu in theologicis disciplinis; 2° in ipsa instructione praeparatoria seu communi, idest, ut dicimus, gymnasiali et lyceali.

73. Usque ad nostra fere tempora, in instructione praeparatoria clericorum et laicorum apud nos nulla

erat quoad materias earumque proportiones, discrepantia. Etenim clerici indigent linguae latinae cognitione et philosophica copiosa institutione; est enim philosophia quae et habitum severum scientiae tradit et veritates praeliminares revelatae theologiae; insuper indigent cognitione artis oratoriae et linguae maternae, ut in ea praedicare idonee valeant, nec non cognitione communi historiae et quadam institutione scientiarum naturalium; id expedit 1° ob relationem sacrae theologiae cum ceteris scientiis; quomodo enim difficultates intelligere et solvere poterunt quae ex his scientiis desumuntur, nisi aliqualem earumdem cognitionem habeant? 2.° Idem requiritur ob status clericalis decorem, ne saltem ignorent quae in conditione culturae nostrae, a nemine civili possunt sine ignominia ignorari.

Etsi enim Apostoli profanis studiis, excepto sancto Paulo, non fuerint imbuti, tamen ipsorum factum non est ad exemplum trahendum, supplente in eis divina virtute; e contra Ecclesia etsi principalius fidere debeat divinae gratiae, tamen ex parte sua diligentiam humanam omittere non debet, sed in hoc sicut in reliquis, omnia media naturaliter idonea adhibere ut ministerium sacrum sit utile et honorabile; igitur oportet sacri ministri in nationibus civilibus praediti sint instructione quae ad civilitatis conditionem habetur necessaria.

74. Hoc per se loquendo; etenim si res in eum statum devenerint, quacumque tandem ex causa, ut sufficienti numero huiusmodi ministri haberi non possint, profecto et scientiarum humanarum imperiti poterunt assumi, dummodo de cetero utiles, cum substantia non sit accidentalibus sacrificanda et magis expediat po-

pulum christianum pios quamvis idiotas ministros habere quam nullos.

75. Iamvero fere usque ad dimidium huius saeculi institutio gymnasialis et lycealis a legibus civilibus praescripta in universa Italia satisfaciebat conditionibus enumeratis pro clericis; hinc laicis et clericis eadem institutio respondebat, et simul poterant in scholis institui. Verum nunc et linguae latinae et quod magis est, philosophiae studium in scholis laicis imminutum est, et e contra auctae aliae institutiones in scientiis naturalibus adeo ut potiusquam simplex praeparatio communis, videatur tradi proxima praeparatio et introductio ad has scientias. Hinc non satis respondet ut dicitur scholasticum programma civile, programmati ecclesiastico.

Igitur supplendum est illius deficientiae vel addendo postea novas scholas, vel lyceales aliter pro clericis ordinando; saltem addendo programmati civili necessarias materias, etsi velint servari omnes ab eodem praescriptae; illud est satis incommodum, cum longius faciat tempus studiorum, quod iam breve dici nequit; hoc magis expedit praesertim respective addendo necessarias pro clericis et auferendo superfluas ob temporis oeconomiam.

Igitur Ecclesia indiget semper et ubique scholis specialibus superioribus seu theologicis pro clericis; et alicubi et scholis secundariis propriis, sub respectu instructionis.

76. Verum II. semper indiget scholis clericalibus propriis etiam secundariis, sub respectu educationis. Si enim necessaria instructio, multo magis educatio clericalis. Iamvero non sufficit educatio christiana quae necessaria est clericis et laicis, sed pro illis specialis

educatio requiritur, ut non modo singulari pietate, sed etiam spiritu ecclesiastico imbuti crescant. Haec educatio, quam clericalem dicemus, est a teneris annis procuranda, ut magis in animis vigescat. Imo speciali hac educatione quae pueris datur in seminariis, evolvitur facilius vocatio ad statum clericalem, quae forsitan non haberetur si communi crescerent educatione, etsi cristiana. Etenim vocatio alia est extraordinaria, alia ordinaria; illa non constituit legem oeconomiae divinae sed exceptionem; igitur legislatio attendit ordinariam; iamvero haec evolvitur si opportuna media adhibeantur; ad quod maxime iuvat ut excolatur prima aetate, antequam animus distrahatur, si non malis, profanis tamen moribus.

Igitur cum Ecclesiae ius sit procurandi sibi necessaria et utilia, ius est I. habendi sibi suas scholas theologicas et seminaria, ut aiunt, maiora, quod passim concedi solet, etsi non defuerint regalistae qui et programma theologicum praescribere ausi fuerint.

II. Ius Ecclesiae est habendi sibi scholas proprias et secundarias sub respectu educationis, seu habendi seminaria, ut aiunt, minora; idem ius est et sub respectu instructionis, non modo cum programma scholasticum civile non respondet exigentiis instructionis clericalis, sed etiamsi concordaret; etenim semper verum est Ecclesiam ius habere instruendi suos clericos, etsi ab aliis aeque instrui possint; instructio enim Ecclesiae et neminem laedit (hinc ratione conflictus alicuius nequit excludi), et ei inservit; quisque autem potest necessaria sibi, opera sua sibi procurare, si de cetero capax.

77. Posito quod Ecclesia habeat sua seminaria minora, quando non concordat programma scholasticum civile cum ecclesiastico, duplici modo procedere potest,

vel addendo sibi necessaria, ceteris conservatis, ex. gr. augendo tantum horas pro tradenda lingua latina et philosophia, vel etiam detrahendo aliquam materiam, ex. gr. historiam naturalem, aut minorem extensionem ei tribuendo.

Primum hanc habet utilitatem ut clerici valeant examina status sustinere (ex. gr. licentiae lycealis), et sic idonei evadunt ad quaedam officia Ecclesiae utilia, a quibus secus excluderentur, non quaerimus an iuste vel iniuria, ex. gr. a consequenda facultate publice docendi, ulteriora examina status postea sustinendo. Habet autem illud incommodum ut materia addiscenda augeatur.

Hoc incommodum vitatur in secunda ratione ordinandi lycea clericalia, sed habetur impossibilitas pro clericis obtinendi diplomata scholastica civilia; insuper si qui clerici interim agnoscant se ad statum clericalem non esse vocatos, et proinde discedant, pares non sunt ad frequentandam eamdem classem in lyceis civilibus. Hinc timor et illud efficit ut difficilius adolescentuli quorum vocatio semper est incerta, in seminariis collocentur; hinc quidam vivendo extra seminarium, clerici non fiunt, qui secus optimi fuissent Ecclesiae ministri. Verum Ecclesiae prudentiae est iudicare in concreto quid sibi expediat, pro diversa temporum et locorum conditione.

78. Secunda ex allatis rationibus effecit ut quidam regalistae contenderent ad damnum societatis vitandum, seminaria cogi posse ad programma civile servandum.

Sed immerito; etenim Ecclesia ius habet constituendi quod sibi utilius, si autem aliquod damnum exinde sequitur, est tantum per accidens; deinde non est damnum irreparabile, cum extra seminarium possint

huiusmodi adolescentes si sufficientis fuerint ingenii, tempore non admodum longo, supplere defectum institutionis habitae; deinde in conflictu inter utilitatem spiritualem et damnum aliquod temporale, illa praevalere debet. Ceterum cum utilissima sit concordia inter res ecclesiasticas et civiles, pertinet ad Ecclesiae prudentiam ut absque necessitate vel evidenti utilitate, discrepantia non habeatur; insuper Ecclesia est valde sollicita ne et indirecte absque necessitate, fideles detrimento exponantur.

79. Quaedam pariter gubernia voluerunt etiam constituere aetatem, citra quam non deberent pueri in seminariis recipi, utpote incapaces iudicandi de propria vocatione.

Verum id iniuria; est enim Ecclesiae iudicare qua aetate utiliter possit tentari vocatio puerorum ad statum ecclesiasticum.

80. Item quoddam gubernium cum vidisset Concilium Tridentinum statuisse aetatem annorum duodecim pro pueris in seminariis recipiendis, hoc decretum urgere coepit contra episcopos, veluti si recipiendo iuniores offenderent Concilii Tridentini legem. Nisi impius esset, risu esset dignus hic zelus gubernii increduli, praesertim si contra ipsum summum Pontificem leges tridentinae urgerentur.

Ceterum non advertunt leges Ecclesiae posse modificari iudicio ipsius Ecclesiae, contrariis legibus scriptis vel consuetudinibus, eamdemque esse Ecclesiae hodiernae auctoritatem ac Tridentini Concilii.

81. Quaedam gubernia saltem voluerunt laicis prohibere frequentare scholas clericales, exigendo ut omnes scholares essent tonsurati. Verum si animadvertamus vocationem evolvi ex idonea educatione, evidens est

ut plurimum prima aetate eam incertam esse, ideoque tempus aliquod probationis requiri antequam statum clericalem amplectantur, quae probatio nullibi convenientius quam in institutis clericalis instructionis et educationis haberi potest. Igitur laici nequeunt excludi a frequentatione scholarum clericalium absque nocumento ipsius Ecclesiae; ad summum haec ratio non militaret pro iis qui positive quamcumque spem excluderent ecclesiasticae vocationis, quod in iuvenibus vix fieri potest. Sed an et laici huiusmodi, seu laici quatenus laici, valeant excludi a scholis Ecclesiae propriis infra videbimus.

82. Tandem quaedam gubernia exegerunt studia lycealia clericorum complecti debere omnes materias programmatis civilis, permittendo Ecclesiae addere sua studia, sed non detrahere, requisito insuper examine gubernii pro declaranda utili frequentia huiusmodi studiorum. Rationem quam adducunt est sequens: interest reipublicae clericos esse honorabiles et idoneos; atqui id exigit culturam omnibus civilibus personis communem; secus a personis civilibus parvi haberentur; cultura autem civilis traditur programmate civili et eius iudex est status. Ergo clericis quoque absolvendum est civile studiorum programma.

Huic sophismati respondemus: interest reipublicae clericos esse honorabiles et idoneos veluti si directe attenderent bono civili procurando, nego; ob indirectas relationes concedo. Quoad minorem distinguo: in statu normali concedo, semper nego. Et transmissa altera propositione, nempe culturam civilem procurari programmate civili (potest enim status aliquando errare et in hoc), negatur consequens quoad clericos, idest quoad eos qui tantum indirecte ministrant bono civili,

concessa gubernii competentia pro iis qui directe reipublicae ministrant.

Et sane: clerici ministerium certe valde iuvat societatem civilem, quia religionem promovet quae est fundamentum moralitatis et proinde socialitatis; verum directe et immediate religio refertur ad vitam aeternam, et non ad praesentem felicitatem. Hinc clericorum ministerium refertur ad obiectum competentiae civilis tantum indirecte, et e contra directe respicit obiectum competentiae ecclesiasticae. Igitur iudicium de requisitis pro utili clericorum ministerio, ideoque ut sint honorabiles et idonei, spectat ad Ecclesiam, non autem ad statum.

Quoniam autem Ecclesia utitur mediis humanis quantum fieri potest, hinc oportet in suis clericis requirat conditiones honorabilitatis civilis in quantum fieri potest. Verum efficacia ministerii ecclesiastici praesertim pendet a gratia Dei et mediis supernaturalibus, et Dei adiutorium fit efficacius cum absque culpa Ecclesiae desunt media humana, supplet enim tunc Deus. Hinc si nequit ministros sibi procurare qui gaudeant omnibus mediis humanis, non ideo debet carere ministris, qui adiuvent populum christianum in divinis. Ceterum si sint pietate et sana doctrina imbuti, a populo honorabuntur etsi careant scientiis humanis, dummodo curent singulari pietate supplere defectum mediorum naturalium.

Verum haec quaestio est interna Ecclesiae, et spectat ad iudicium legittimorum Pastorum, qui nempe gradus instructionis humanae requiratur in suis ministris in statu normali societatis civilis et religiosae, et quando possint et sine ea ordinari ob statum anormalem, curando substantiam in defectu accidentium.

83. Status tantum potest conditionate quaedam exigere in ministris Ecclesiae, cum nempe eis tribuat privilegia non debita; tunc potest praescribere aliquas conditiones et proinde et scholasticas, ut iisdem gaudeant, data eis optione. Verum oportet sint privilegia non debita; ex. gr. cum parochos constituit officiales status civilis; sed oportet liberam relinquat actionem ecclesiasticam, ut in citato casu, praescindendo a concordatis, si Ecclesia nominaret parochum qui non satisfaceret conditionibus a lege civili requisitis, utique non esset officialis status civilis, sed tamen deberet gubernium eum adhuc agnoscere ut verum parochum.

Item quoad hygienem et publicam moralitatem (puta si delicta committantur), subiiciuntur et seminaria legi civili, salva immunitate locali et personali, ut infra notatur.

§ 4.

De scholis Ecclesiae propriis pro laicis.

84. Vidimus ius esse Ecclesiae instituendi et habendi sibi scholas proprias, pro clericorum instructione et educatione. Videamus modo an Ecclesiae sit quoque ius instituendi scholas pro laicis. Et ut quaestionis sensus determinetur, notandum est scholas instituere sumi posse significatione propria vel lata; proprio sensu est determinare materias tradendas, et disciplinam servandam, nec non personas docentium et regentium designare et removere, eosque dirigere et gubernare in sui officii adimplemento.

85. Hoc tamen non excludit interventum distinctae potestatis sive eiusdem sive diversi ordinis, pro negotiis alterius generis; diversi ordinis esset interventus

civilis potestatis si scholae instituantur ab Ecclesia; eiusdem si instituantur a privatis civibus. Negotia autem diversi generis essent hygienes et publica moralitas; id non offendit scholasticam libertatem et proprietatem, sicut non imminuitur ex eadem causa autonomia familiae et auctoritas paterna.

Etenim semel pro semper adnotamus, curam huiusmodi negotiorum spectare ad civilem potestatem, eiusque leges et ab ecclesiasticis viris servandas esse, salvo privilegio fori, iuxta theoriam generalem quam hoc volumine, lib. I. num. 107 exposuimus, nempe et clericos subiici vi directivae legum civilium, causa boni publici constitutarum, in iis quae dignitati et officiis sui status non adversantur, prout sunt recensitae materiae.

86. E contra lato sensu scholae propriae habentur, cum propriis impensis instituuntur, sed servatis dispositionibus legum civilium tum quoad materias scholasticas, tum quoad scholasticam disciplinam et qualitates personarum docentium et regentium, ut sunt apud nos scholae privatae sed legibus uniformatae.

87. Iamvero ubi lex civilis concedit civibus huiusmodi scholas instituere, manifesta iniustitia esset, par ius Ecclesiae, seu eius praelatis et adsociationibus, non concedere; esset enim eam in deteriori conditione ac privatos constituere, et proinde lex odiosa adversus Ecclesiam absque sufficienti motivo.

Item si clerici et ut personae privatae a munere docendi excluderentur.

An autem status debeat privatis tale ius concedere et quomodo videbimus infra; hic tantum ex hypothesi agimus, idest huiusmodi ius et Ecclesiae agnoscendum esse, si privatis concedatur; rationes autem quas pro

privatis afferemus, multo magis militant pro Ecclesia, ut infra videbimus.

88. Igitur quaerimus an Ecclesiae sit ius instituendi scholas proprias primo sensu explicato, pro laicis.

Rursus haec quaestio potest multiplicem habere intellectum; 1° an hoc ius sit exclusive Ecclesiae proprium, sicut ius instituendi in christiana religione; 2° et quatenus negative, an Ecclesiae competat cumulative cum aliis; et quoniam considerari potest titulus communis vel specialis et societatis status normalis vel anormalis, hinc quaestio subdividi potest ulterius et quaeri 3° an in statu societatis normali ius constituendi scholas Ecclesiae competat eodem titulo ac ceteris; vel 4° an habeat titulum specialem, adeo ut hoc sit ius eius proprium, quamvis non exclusivum et etiam minus proprium ac societatis civilis, et 5° an hoc ius competat ex specialiori titulo in statu societatis anormali, et proinde per accidens; quod rursus esse potest vel ex deordinatione societatis civilis, vel ex non ordinatione eiusdem, seu in hoc postremo 6° casu devolutive; deinde 7° hae quaestiones vel in genere de qualibet schola possunt institui, vel 8° speciatim, praesertim de scholis popularibus, et 9° tandem quaeri potest de effectibus iuridicis huiusmodi scholarum.

QUAESTIO PRIMA

An Ecclesiae sit ius exclusivum instituendi scholas pro laicis.

89. Hanc quaestionem breviter absolvimus respondendo negative. Etenim Ecclesiae ius est exclusivum in iis quae per se primario et directe referuntur ad vitam aeternam, constituunt enim ordinem supernatu-

ralem et ad supernaturalem finem sunt natura sua ordinata; huiusmodi est revelata doctrina, sacramenta etc. Atqui scholae non sunt huiusmodi. Etsi enim, ut supra vidimus, in scholis instructio non sit ab educatione disiungenda, et educationem oporteat esse religiosam et non tantum civilem ac moralem, tamen scholae scopus non est exclusive aut saltem praecipue religiosus, adeo ut Ecclesiae sit subiicienda saltem ex praecipuitate finis. Est enim finis scholae aut tantum instruere mentem in scientiis et humanis disciplinis, ut in scholis mediis et superioribus, vel educare curando integram personam, idest et cognitiones communes omnibus necessarias in ordine civili, ethico et religioso tradere, et simul voluntatem ad bonum civile morale et religiosum flectere. Igitur institutio religiosa vel nullo modo vel minus principali (non quidem per se, sed ut obiectum scholae) attingitur, idest ut pars alicuius totalitatis.

Hinc et patribusfamilias facultatem suos docendi et statui civili scholas instituendi nemo umquam denegavit.

Igitur transeamus ad aliam quaestionem, an nempe Ecclesiae sit saltem ius scholas instituendi pro laicis, etsi non exclusivum, ideoque cumulativum cum aliis, primo ex titulo communi, considerantes primo societatem in statu normali, deinde in anormali, et praescindendo ab effectibus civilibus de quibus postea.

90. Iamvero ut propositam quaestionem resolvamus quae considerat titulum communem instituendi scholes, est evolvenda alia quaestio generalis, cui nempe sit ius scholas instituendi, seu attingenda est quaestio quam dicunt « *libertatis instructionis* », quae differt a libertate *professionum*, de qua aliquid infra agentes de *effectibus civilibus* scholarum privatarum.

QUAESTIO SECUNDA

De libertate instructionis.

91. Recenseamus in primis opiniones hac de re et statum quaestionis rite determinemus. Quaeritur an cuilibet qui putat sibi vires sufficientes esse, ius sit scholas instituendi, quin speciali indigeat auctorizatione civilis potestatis, vel an ea necessaria sit. Et quoniam quaestio adhuc multiplicem potest habere sensum, animadvertimus 1° quaestionem non posse institui de iure repressivo (salva, ut supra, immunitate ecclesiastica si ei locus sit), cum schola crimini, aut fraudi cuicumque locum dat, idest quaestionem institui non posse de iure puniendi eorumdem criminum auctores et in poenam interdicendi quoque ulterius magisterium, cum ex abusu praecedenti, merito suspicionem legalem contra se causaverint et suum magisterium periculosum societati reddiderint. Etenim crimina compescere, eorumque auctores inhabiles reddere ad quaedam quae ceteris licent, proprium est auctoritatis civilis ex criteriis generalibus de eiusdem natura et competentia.

92. Item 2° et ius praeventivum speciale nequit ei denegari, ex iis quae generatim de eodem iure publicae potestati competenti, disputavimus, cum omnino indicia specialia abusus et periculi habentur, ex. gr. si de viro ageretur qui dementiae argumenta dedit, ut indicia probabilia proximi delicti.

93. Sed quaeritur de praecedenti auctorizatione, quae rursus duplici modo concipi potest, vel ut mera recognitio idoneitatis, seu ut mera praeventio, vel ut vera auctorizatio, tamquam muneris publici collatio, loco publicae potestatis exercendi. In 1° casu, potestas

civilis, tantummodo determinat iuxta communiter contingentia, quae sint necessaria ut quis laudabiliter doceat, et eis verificatis declarat Caium docere posse; in 2° non omnibus idoneis sed tantum aliquibus pro necessitate sociali ius docendi tribuit, sicut non omnes idoneos praetores fecit, sed tantum aliquos. Etiam in primo casu limites possunt esse ampliores vel non. Igitur quaeritur 3° an ex periculo generali aliquem vel dolo decepturum, vel ex ignorantia non bene susceptis muneribus satisfacturum, possit per modum regulae exigi ut quisquis scholas velit instituere, praecedens subeat examen requisitorum sive moralium sive scholasticorum, quam praeventionem generalem dicemus politiae pro moribus, scholasticam pro doctrina; vel etiam an aliquibus tantum ex idoneis sit concedenda docendi facultas vel potius tantum repressioni locus sit et praeventioni speciali de qua diximus in numero praecedenti. Iamvero pro temporum diversitate habitae sunt et inter cordatos viros, diversae de hac re opiniones. Antiquis enim temporibus, cum gubernia obtinebant quae legittima dicebantur, seu ut dicitur antiquo iuri innixa, quaeque in publica legislatione professionem faciebant principiorum christianorum, auctores orthodoxi plures contendebant hanc saltem generalem praeventionem esse necessariam, ne in re tanti momenti, malitia aut ignorantia societas deciperetur, loquendo de scholis quae a privatis instituuntur analogice ad scholas publicas, idest quoslibet volentes et solventes admittendo, et praescindendo a scholis vere paternis ac domesticis, quae omnino sunt sub patrisfamilias responsabilitate.

94. Praeter hanc primam rationem periculi praecavendi in re gravissima, addebant nonnulli et aliam,

idest munus docendi quod quis suscipit, respicere ad ipsam societatem; exhibet enim operam suam cuilibet volenti et ea curat quibus indiget ipsa societas. Iamvero societas ius habet non permittendi cuilibet indiscriminatim exercitium professionis quae plurimum influit in statum publicum socialem, sed exigendi cautiones quasdam.

95. Hanc rationem magis inculcantes sectatores rigidioris sententiae, aiebant societatem imbuere doctrina, esse munus publicae potestatis; etenim societatem educat et informat his vel illis principiis. Iamvéro societatem curare spectat ad publicam potestatem. Ergo concludebant

4° neque omnibus idoneis esse facultatem docendi concedendam, sed tantum iis quos voluerit publica potestas, quae iure suo utitur vel scholas tantum publicas instituendi, quas omnes frequentent qui indigent instructione, vel in levamen praesertim publici aerarii, sibi benevisis concedendo ex idoneis magisterium.

96. In hanc sententiam socialistae convenire solent, qui more spartano et pagano, individuum eiusque libertatem immolant deo statui, et filios non parentum, et multo minus Ecclesiae, sed status proprios esse docent; idest exaggerant publica iura et bona in detrimentum privatorum, et quoddam bonum publicum sibi fingunt quod non redundat in privatorum bonum neque ad illud ordinatur.

Hos omnes, excessivos fautores vocabimus publicae auctoritatis, seu legis.

97. E contra sunt alii fautores libertatis, quorum I. quidam negant statui quodlibet ius circa scholas privatorum, excepto iure repressivo et praeventivo speciali, quae proprie non sunt iura scholastica, sed

criminalia, cum respiciant crimen vel proximum eius periculum. Aiunt enim: sicut status neque in reliquis privatorum actibus sese ingerit, sed permittit unumquemque libere uti suis viribus donec alios non offendat, ita et in docendo; et sicut permittit ex propria imperitia aliquos decipi et in aliis negotiis quin eos praeventivae subiiciat auctorizationi, ita et in hac re; videant igitur patresfamilias quibus suos filios instituendos committant. Imo et libertatis in genere hic panegyricum cantant. Aiunt enim in hac hypothesi patresfamilias cum sciant sibi consulendum esse, diligentiores futuros in magistris deligendis atque invigilandis; hos pariter magis sollicitos in fiducia sociali sibi promerenda; ab initio quidem concessae libertatis, omnes omnia sibi usurpare et ineptos vel perversos nobilissimam docendi artem suscipere; sed paullatim hos detegi et derelinqui, ita ut tantum idonei maneant, ideoque sponte obtineri et uberius eam magistrorum selectam classem quam leges exosae et libertatis limitativae peius curassent, diplomatibus accademicis semel obtentis, inertiam fovendo.

98. II. Alii e contra libertatis fautores, concedunt generalem quamdam praeventionem posse, si in concreto expediens fuerit, a statu praescribi, et tantum extremam sententiam excludunt, nempe per modum regulae et idoneis posse facultatem docendi denegari.

Dicimus per modum regulae. Etenim III. quidam et ex fautoribus libertatis non denegant, posse societatem in eum statum perversitatis, aut periculi devenire, ut salus publica exigat extraordinaria remedia, inter quae et interdictionem docendi quasdam materias privatis, etsi specialis praeventio contra eos haberi non possit, sed tantum quia gubernio positive non constat

eos ordini sociali beneaffectos esse, vel quia non satis scholares eorumdem posset invigilare, ideoque in discipulis esse posset periculum quod deest in magistris.

Et quoniam in concreto applicationes harum exceptionum pendent ab aestimatione eorum qui praesunt, pro temporum diversitate, hinc aliquando fautores huius tertiae sententiae inter libertatis defensores, videri possunt concordantes cum fautoribus extremae sententiae ex defensoribus legis.

99. Iamvero cum superioribus temporibus obtinerent gubernia quae dicebantur legittima et conservantia (etsi facta non semper nominibus responderent), cumque novitatum amatores impedimentum in publicis legibus ac in magistratuum vigilantia invenirent, mirum non est si cordati viri favebant auctoritati seu vi legis, etsi quidam aliquando visi sint plus aequo eidem favere; et e contra si eam acerrime impugnabant alii; qui quidem non mentem suam proponebant seu finem ad quem pervenire cupiebant, sed sub specie iuris communis vindicandi, libertatis singulis debitae ac scientiarum profectus, mutationem regiminis publici promovebant. Mutatis autem temporibus, cum publica potestas in eorum manibus devenisset qui iuri, ut dicunt, moderno innituntur, et principia proponunt non christiana sive circa titulos principatus adipiscendi, sive circa modum societatem regendi, tunc 1° visi sunt plures ex his denegasse sua antiqua principia inviolabilis libertatis docendi, patrumfamilias, et prosperitatis scientiarum, ut contraria auctoritativa principia adoptarent. Cum autem de contradictione accusarentur, plures ut se defenderent, aiebant aliud esse ius in statu societatis normali, aliud in anormali, concedentes in tertiam sententiam fautorum libertatis,

et asserentes in statu normali ius esse cuilibet docendi, in anormali necessariam esse specialem praeventionem aut etiam proprie dictam auctorizationem. Iamvero societatem nunc esse in statu anormali, ac proinde donec nova principia non fuerint universim adoptata adeo ut societatem possideant, specialibus exceptionibus opus esse. Qua tamen responsione, falsitatem ostendebant principii ab initio invocati absolutae libertatis, cum ex eodem principio status anormalis, potuisset defendi et antiqua limitativa legislatio guberniorum legittimorum.

100. Sed cum hic status anormalis et provisorius nimis perduraret, hinc quidam coriphaeus celebre sibi applicavit effatum, idest aliud esse theoricam et aliud praxim, non advertendo id importare aut falsitatem theorices aut delictum in praxi. Falsa est enim theorica socialis, quae societati nequit applicari absque eius destructione; ostendit enim saltem inniti conceptui incompleto humanae naturae ideoque falso si ut ei respondens consideretur. Vel si theorica est recta et completa, praxis ei repugnans in materia iuridica, est delictum.

101. Sed 2° et quidam ex orthodoxis visi sunt mutasse doctrinam, cumque antiquitus legi faverent, postea inter libertatis fautores acerrimos militaverunt, adeo ut catholicis obiectum sit eos libertatem impugnare cum imperant, defendere cum serviunt. Verum immerito si de catholicis in genere sermo sit, non autem de uno vel altero aut paucis; neque enim et inter optimae intentionis auctores aliquando desunt qui zelo abrepti, exaggeratam aliquam doctrinam propugnent; in quibus potius mens laudanda est et terminus ad quem aspirant, quam arma quibus militant. Nobis autem curandum ne peccemus sive in fine sive in mediis.

102. Ut autem ostendamus catholicos sibi non contradicere, duo notanda sunt:

1.° Etsi ius semper sibi constet, tamen pro diversa materia, applicationes seu verificationes iuris variare possunt.

2.° Aliud esse loqui de iure in se, iuxta obiectivam rei veritatem et aliud ex hypothesi, seu ad hominem arguendo, quae duo si attendantur patebit diversam agendi catholicorum rationem, non veram sed mere apparentem contradictionem praeseferre.

Et sane quoad 1^{um}, ius sociale tandem refertur ad ipsius societatis salutem, iuxta veram praesentis felicitatis ideam quae ex recto hominis conceptu derivat, ideoque terminus ultimus semper idem est et constans. Verum conditio socialis alia est normalis, alia anormalis; etsi autem quaedam semper sint constantia ob identitatem humanae naturae, ideoque semper iure sint praestanda, quaedam tamen mutabilia sunt ex variabilitate conditionum in quibus societas versatur. Videndum est igitur an qui diversas leges utpote iuri conformes invocant, innitantur verae diversitati conditionis socialis vel non. Iamvero cum auctoritas socialis profitetur vera seu christiana principia circa naturam societatis ideoque eius actio imbuitur spiritu christiano, legis protectio et ingerentia est per se tutoria et salutaris; ideoque mirum non est si abunde invocetur; utilitas enim quae ex ea derivat est securitas socialis; damnum autem quod ex ea provenire potest est tantum retardatio activitatis privatae eiusque limitatio, quae legittima esse potest ad praecavendum periculum publicae perturbationis.

E contra cum auctoritas socialis in sua agendi ratione non informatur veris seu christianis principiis,

eius interventus est aut noxius aut saltem inutiliter onerosus, cum limitet privatam activitatem absque respondenti compensatione. Igitur mirum non est si catholici, prout qui solliciti sunt veri ordinis et boni socialis, considerent interventum publicum utpote noxium et illegittimum, non quidem quia publicus est, sed quia spiritu imbuitur non christiano. Respiciunt igitur semper ad bonum publicum, eiusque sollicitudine ducuntur, sed ex diversa conditione societatis, diversa petunt atque defendunt.

103. Id tantum indicat, catholicos quaedam agnoscere principia absoluti valoris, cui sese accommodare tenentur homines in negotiis privatis et publicis, adeo ut non sit iustum quidquid hominibus placuerit et formis socialibus constituerint, sed quod constituitur conformiter his principiis.

Ex catholicis autem attendentibus in concreto verae utilitati, non semper omnes ut rationem reddant eorum quae nunc utilia vident, assurgunt ad recta principia, cum hoc difficilioris investigationis opus sit, sed aliqui exaggerata principia praesentibus indigentiis statim accommodant. Qui defectus reflexionis in fautoribus et auctoritatis et libertatis aeque habetur, ut ad inconveniens momentaneum vitandum, recurratur ad contrarium principium universale falsum. Sed id imperitiam in advocatis non falsitatem causae ostendit. Ceterum catholici suum locum dant et auctoritati et libertati, ut ex infra dicendis. E contra exaggerati libertatis fautores, eam invocant ut ius absolutum, ideoque numquam possent sibi cohaerenter eius limitationem proponere, vel per hoc iam ostenderent falsitatem sui principii absolutae libertatis.

104. 2.° Diximus aliquando catholicos arguere ad

hominem, idest ex principiis adversariorum. Posito enim in iure publico alicuius nationis quaedam sint admissa principia libertati etiam plus aequo faventia, ita ut societas de facto iisdem innitatur, profecto licet eadem et in sui favorem invocare si ad rectum finem invocentur. Etenim non agitur de re per se mala et inhonesta, sed de institutione quae per se est deficiens; ideoque non de malo positive extante, sed de defectu boni alicuius agitur. Si igitur libertas haec, quamvis per se et in abstracto defectiva, in concreto utilior sit ac tutoria potestas publica, legittime invocatur, nec huius iuribus contradicitur, utpote quae ex pacto expresso, ulteriori iure caret. Sicut enim si homines determinati territorii concorditer extra societatem viverent, male utique agerent utpote contra naturae intentionem, tamen a nemine privato cogi possent ad publicam societatem ineundam, ita et posita societatis institutione sed cum expressis limitibus datis publicae auctoritati, quamvis nimis coarctatae, non posset haec contra pactum plus iuris sibi arrogare. Etsi enim instituta societate et publica constituta auctoritate, praesumatur eidem collata in concreto universa potestas quam natura confert ipsi societati, tamen si expresse contrarium fuerit constitutum, praesumptio cedit veritati. Etenim societas actuatur facto humano, ideoque ut ius in concreto exurgat publicae potestatis, respondentia facta requiruntur, quae si deficiant, deficit ius ipsum.

105. Sed iam videamus quid iuxta obiectivam rei veritatem dicendum sit de iure privatorum constituendi scholas, et de respectivo iure gubernii super easdem.

Recolamus ex principiis lib. I. partis primae generalis, c. 2. a. 2. expositis, originem et scopum societatis

civilis, ex quibus eius ius dimetiendum est. Vidimus eam a natura dirigi ad supplendam insufficientiam familiarum pro bono totius hominis temporali obtinendo, conformiter bono aeterno eiusdem, et ad relationes reciprocas familiarum iuridice ordinandas. Prima pars significat eam supplere insufficientiam sive singularum familiarum seu hominum sui iuris, sive plurium amicali tantum societate coniunctorum, vel iuridica sed imperfecta (idest sine iure independenti iudicandi pacta eaque urgendi); secunda pars indicat determinationem eius quod iustitia inter homines importat, respondens iudicium et executionem.

106. Ex his deducitur competentia societatis civilis. Ei exclusive competit iuridica moderatio relationum reciprocarum inter familias, aut inter homines quatenus homines sunt (seu quatenus praescindunt a subiectione familiari). Igitur iudices constituere, sententias proferre, milites armare et alia huiusmodi quae ad iuridicas relationes reciprocas determinandas, servandas, coactive restituendas spectant, exclusive pertinent ad publicam potestatem. Sed habet et alium scopum, qui est supplere privatorum insufficientiae in eis procurandis quae evolutioni perfectae humanae naturae necessaria sunt. Igitur scopus societatis non est ipsam praestare debere per se quidquid refertur ad mutuum adiutorium hominum, sed supplere ei quod singuli nequeunt aut nolunt, et ex secunda parte eius finis, ordinare voluntarias ipsorum actiones, ne loco sese adiuvandi, perturbent; invigilet igitur, corrigat, adiuvet, reprimat.

107. Iamvero scholarum institutio non pertinet ad primum caput, idest ad relationes iuridicas ordinandas sociorum, sed ad alterum, idest ad evolutionem per-

fectionis humanae. Ergo licet privatis ea omnia praestare ad quae vires sufficiant, sive singulatim, sive spontanea adsociatione; tantummodo remanet publicae potestati ius, 1° invigilandi ne adiuvare volentes evolutionem humanae perfectionis, perturbent relationes iuridicas; 2° puniendi et reprimendi posita perturbatione aut proximo eius periculo; et 3° ius et officium, si privati nolint aut non possint, instituendi pro facultate concreta societatis, ea omnia quae ad eius perfectionem gradualem opportuna sunt.

Ergo scholas instituit status cum deficiunt vel ex toto vel ex parte, scholae privatorum; (et ex parte semper deficient, cum pro pauperibus vix possibile sit adsint universim charitate privatorum constitutae); deinde invigilabit ne in scholis privatorum perturbentur relationes iuridicae, et si id fiat, reprimet.

108. Ex quo iam patet falsitas sententiae extremae fautorum legis, nempe ius docendi, esse munus publicum sicut illud iudicum, quos status constituit quot et quos voluerit.

Est igitur ius privatorum quod a statu nequit violari, sed tantum moderari aut extraordinario, salute publica exigente, limitari vel suspendi.

Item apparet in hac re quantitas actionis status, sicut et in ceteris quae ad primum eius scopum referuntur; in societate imperfecta imperfectione facti, actio gubernii in iis quae ad evolutionem publicae prosperitatis pertinent, est maxima, cum privati parum aut nihil extra muros domesticos praestent; e contra cum civilitas valde evoluta est, multa praestant privati, et tunc gubernium retrahit actionem suam directam, et tantum invigilat, aut etiam ex publico aerario iuvat ipsos privatos, quod solet magis oeconomicum

esse quam directa provisio eorum quae promovent publicam utilitatem.

109. Posito igitur privatis de cetero idoneis competere ius docendi, sive singulatim, sive adsociati sint, et gubernio competere ius repressivum et etiam praeventivum speciale, quaeritur an statui sit concedendum et ius praeventionis generalis, ut defendunt fautores moderatae sententiae tum defensorum legis tum libertatis. Et respondendum est posse statum normas quasdam praeventivas quibus idoneitas docentium verificetur constituere pro iis qui modo publico docent. Dicimus quidem posse, non autem dicimus illum semper debere. Illud posse probamus ex iure status normas quasdam generales praeventivas constituendi in iis quae sunt maioris momenti, cum id valde expediat bono publico et aliunde non multum gravet privatos, si res intra limites a nobis constitutos retineatur, idest simpliciter idoneitatem verificari non autem extraordinariam et saepe inutilem peritiam. Hinc videmus et in aliis pluribus has normas praeventivas constitutas esse et facto universali comprobatas, ut circa emptiones et venditiones et alia negotia privata (ex. gr. de iustis mensuris, ponderibus etc.). In re autem nostra praeventio quaedam publica ac directio poterit bonum societatis procurare non modo avertendo damna quae ab imperitis afferri possunt, sed etiam efficacius in societate fovendo studia, et sic bonum commune magis promovendo. Igitur falsum est assertum fautorum effrenae libertatis, in negotiis privatorum nullam umquam cautelam praeventivam generalem adoptari posse.

110. Igitur ex prima ratione adducta a fautoribus mediae huius sententiae, dicimus statum id posse, sed non semper debere; si enim attenta conditione sociali,

haec pericula sint remotissima aut rarissima, non erunt subditi gravandi inutilibus praecautionibus.

Poterit autem expedire duplici ex capite:

1.° Ut magis solliciti sint docentes in idoneitate sibi procuranda.

2.° Ut magis sint tuti ipsi privati, qui non semper in deligendis magistris, praesertim in pagis, solliciti sunt ut debent neque aliquando possunt; (quod et in pagorum municipiis verificatur ut potius oeconomiae quam idoneitatis sint solliciti). Hinc panegyricum libertatis quod eius fautores recitant non semper in concreto verum est.

111. Relate autem ad aliam rationem, nempe magistri privati officium referri ad bonum publicum, id non probat magistros privatos sese substituere actioni gubernii, ideoque indigere positiva eiusdem approbatione, ut volebat extrema sententia; etenim sese non substituunt, sed ex dictis, praeveniunt iure suo actionem gubernii; tamen influunt in bonum publicum, et a statu invigilari possunt ne perturbent relationes iuridicas, idest ne malitia aut ignorantia noceant; id est ob negativam relationem quam habent ad publicum bonum, non autem ob positivam, quatenus illud promoveant; tamen cum ignorantia noceant, et idoneitate promoveant, fines inter utrumque respectum non sunt in concreto valde remoti.

112. Relate autem ad sententiam eorum qui et specialem auctorizationem aliquando praescribi posse putant, ita ut et de cetero idonei, possint reiici si societati eos docere non expediat, id quidem in abstracto videtur concedendum cum salus publica sit suprema lex in iis iuribus quae alienabilia sunt; sed an in concreto verificari possit non videmus; etenim ex iure

praeventivo praescribi possunt omnes conditiones quae in concreto necessariae sunt, ne respublica detrimentum capiat; et cum verificantur omnes conditiones idoneitatis moralis et scholasticae, impossibile est reipublicae imminere aliquod periculum.

Ceterum casus esset omnino exceptionalis.

113. Igitur mediam sententiam secuti sumus, quae ex directis principiis de natura societatis descendit, et salvat libertatem, simulque publicam tranquillitatem, cum et gubernio sua sint tecta iura, ideoque veris conditionibus socialibus satisfacit. Etenim quidam considerantes limitationem quam leges apponunt libertati et aliquando legislatorum aut regentium imperitiam, plus aequo libertati privatorum favent, simpliciter eam asserentes et ab omni praeventiva norma solventes. Alii e contra considerantes effrenae libertatis pericula, quibus sero medicina paratur, nimis libertatem ligant; ideoque ex eodem publici boni amore habentur *conservatores* et *progressistae*. Sed utrumque systema falsum est si absolute sumatur.

Primi enim supponunt societatem iam adeptam esse perfectionem ultra quam nihil supersit, vel saltem periculum peioris status ex mutatione esse tale ut excludat rationabilitatem tentaminum.

Secundi e contra facile volunt omnia immutare, supponentes nihil boni existere.

Veritas autem media est, utrumque concilians, idest et bona praesentia plura esse eaque conservanda; et mala quaedam esse seu imperfectiones, quae sunt auferendae, ita tamen ut ad melius adspirando, periculo non exponamus bona certa quibus gaudemus. Igitur cum criterio procedendum est ad nova, vetera bona servando.

114. Ex dictis apparet per se loquendo scholarum institutionem non esse exclusive attributionem status civilis, sed eam cuilibet facultatem habenti licere, etsi sub vigilantia status eiusdem ut reprimat abusus et eos proxime probabiles praeveniat, vel etiam normas quasdam generalis praeventionis constituat, ex quibus idoneitas docentium resultet.

Ex his prona est responsio ad propositam quaestionem, idest titulo omnibus communi, posse Ecclesiam scholas instituere, si id suo fini respondere iudicaverit, de quo inferius agemus.

115. Quo posito illud subiungimus scholas ab Ecclesia pro laicis institutas maiorem fiduciam non modo populi sed etiam civilis auctoritatis mereri; etenim sanctitas ipsa Ecclesiae pignus dat absentiae periculi quod noceant sive ignorantia sive praesertim ex malitia; et si quod sit inconveniens in inferioribus ministris, certe corrigetur a superioribus.

Cum autem ius competens auctoritati civili praeventionis generalis, innitatur in periculi alicuius morali possibilitate, cum haec possibilitas moralis nulla sit vel minima in scholis ab Ecclesia institutis, hinc et minus rationabilis fit ipsa praeventio. Et proinde usque ad nostra tempora vidimus apud gallos, litteras superioris religiosi, quas obedientiae vocant, pro monialibus et religiosis, aequiparari diplomati idoneitatis civilis.

Et huiusmodi exceptio in ipsorum favorem non est odiosa, etsi eadem regula non sit pro privatis civibus; etenim hi etsi optimi, proprium tantum testimonium habent. E contra personae destinatae a legittimis Ecclesiae praelatis, habent pro se praesumptionem idoneitatis, quae inutiles et proinde irrationabiles reddit praeventionis generalis normas. In mentem enim revo-

cetur hic a nobis non agi de effectibus civilibus scholarum privatarum, sed tantum de praeventiva norma publicae honestatis, quae praeventio nequit adhiberi nisi extante antecedente aliqua morali possibilitate damni socialis; secus nimis opprimeretur humana activitas et libertas.

116. Item hic praescindimus a perfecta immunitate a lege civili, quae institutionibus ecclesiasticis competere possit ex lege positiva Ecclesiae, sed rem tantum iure naturae inspicimus.

Cum autem schola pro laicis per se dirigatur ad bonum praesens, hinc attenta natura et fine, respicit materiam quae est competentiae civilis, quoad vigilantiam, ideoque eius correctioni vel praeventioni locus est, prout necesse fuerit. Diximus autem regulariter loquendo in scholis ab Ecclesia institutis praeventionem generalem non esse necessariam.

117. Verum ut Ecclesia uti possit iure communi, necesse est obiectum de quo agitur aliquo modo referatur ad eius finem. Non enim agimus de viris ecclesiasticis, qui agere possunt et ut ecclesiastici et ut cives sicut ceteri privati, ideoque nisi lex ecclesiastica specialis obstet (vel civilis concordata, ideoque etiam ecclesiastica), possunt uti iure communi sicut ceteri, et societates atque industrias cuiusvis generis instituere ac negotia quaelibet pertractare; sed agimus de ipsa Ecclesia vel eius subdivisionibus, seu de praelatis Ecclesiae ut tales sunt, aut de ordinibus vel congregationibus aut aliis canonicis adsociationibus religiosis. Iamvero ut Ecclesia quatenus talis, aliquid instituat vel pertractet, oportet aliquo modo referatur ad eius finem, secus ab ipso deflecteret neque ceteri neque societas civilis tenerentur eius institutionem agnoscere

ut factam ab Ecclesia quatenus talis, etsi teneri possent ad eam agnoscendam ut derivantem a iure individuorum qui Ecclesiam componunt.

118. Iamvero in concreto nulla est institutio quae ad Ecclesiam aliquo modo non referatur; vel enim refertur ad bonum spirituale, vel ad temporale; si 1um, patet ad Ecclesiam spectare; si 2um, vel est bonum temporale aliorum et est charitas et proinde aeque refertur ad finem Ecclesiae, vel est bonum temporale Ecclesiae ipsius et est utilitas temporalis eiusdem, ad quam ius habet, cum ius habeat ad bona temporalia sibi procuranda. Etsi autem non omnia media ad hoc ei expediant, ex. gr. negotiatio, tamen ipsa de hoc videbit, sed si velit, ius eius agnoscendum est.

Iamvero scholae et promovent saltem secundario bonum spirituale, et primario bonum temporale, et proinde ad Ecclesiae finem referuntur, ideoque recte pro eis utitur iure communi. Quod melius patebit ex sequenti quaestione ad quam transeundum est, inquirendo nempe an scholarum institutio, titulo speciali, Ecclesiae liceat, quod idem est ac inquirere an relatio quam scholae habent ad Ecclesiae finem sit non modo aliqualis, adeo ut ei liceat eisdem attendere, sed valde proxima, adeo ut ei expediat, et ei plusquam ceteris ius sit, cum promoveant illa bona ad quae Ecclesia specialem habet destinationem. Igitur sit

QUAESTIO TERTIA

De titulo speciali Ecclesiae competente, etiam in statu societatis normali, scholas pro laicis instituendi.

119. Diximus scholas et promovere secundario bonum spirituale, et primario bonum temporale discen-

tium et societatis christianae, ideoque obiectum esse Ecclesiae conveniens saltem sub respectu communi charitatis. Maxime autem Ecclesiae conveniens est et promovere quae ad charitatem proximi in ordine temporali referuntur. Sed influxus scholarum in bonum spirituale, mediocris non est; ideoque in eis Ecclesia non qualemcumque habet utilitatem spiritualem, sed magnam; ideoque non solum scholae constituunt medium quo Ecclesia uti potest, sed quod specialem eius meretur sollicitudinem.

120. Quod ut melius appareat discurramus per praecipuas scholarum classes, considerantes ut supra 1. scholas populares seu elementares; 2. medias; 3. superiores.

Et I. quoad scholas populares, ipsarum scopus est praecipue educativus, et ipsae cognitiones quibus mens imbuitur, ad scopum educativum diriguntur. Ex hoc supra deduximus non modo necessitatem instructionis religiosae, sed etiam quod omnia tradenda sint spiritu positive christiano, idest non modo vitando contraria, sed suggerendo opportuna, et eis animum informando, ex quo deduximus Ecclesiae competere ius vigilantiae in scholas omnes. Iamvero id satis proximam et positivam relationem habet ad bonum spirituale, quod abundantius et tutius curabitur in scholis ab ipsa Ecclesia directis, quam in scholis tantum ab ea invigilatis.

II. Quoad scholas medias seu secundarias, etsi in his potiorem partem habeat mentis instructio, tamen et educatio suam sibi vindicat; alia est enim educatio necessaria viris popularibus et alia viris civilibus; oportet enim crescente instructione et exquisitior sit instructio et educatio moralis et religiosa; et sicut post completas scholas elementares, puer artificis vel

agicolae adhuc educatur in sua familia pro opportunitate, ita et qui in ulterioribus scholis prosequitur instructionem, indiget concomitante proportionata educatione morali et religiosa.

Hinc est positivam ordinationem instructionis et educationis ad scopum religiosum adhuc utilissimam esse. Igitur rursus tutius et abundantius curabitur in scholis ab Ecclesia institutis et directis, quam in scholis simpliciter ab ea invigilatis.

III. Quoad scholas superiores, etsi in his specialis instructionis scholastico-religiosae rigorosa necessitas non adsit, adeoque vigilantia negativa sufficere posset, tamen 1° nemo est qui non agnoscat quanta sit in superioribus studiis deploranda depravatio; ex eis enim non harmoniam fidei et rationis, sed repugnantiam passim deducunt, et in statu sociali actuali mera Ecclesiae vigilantia, etsi haberet auctoritatis civilis adiutorium, non semper efficacissima esset, cum plures docentes non essent satis imbuti christiano spiritu ut eo informarent suam doctrinam. Et 2° etiam praescindendo ab hac contingenti conditione, tamen certum est eos qui theologicorum studiorum ieiuni sunt, non semper satis idoneos esse ad harmoniam scientiarum et fidei plene agnoscendam.

Iamvero in scholis ab Ecclesia directis, utrique inconvenienti occurreretur, adeo ut et personae haberentur imbutae spiritu christiano tamquam aromate ne scientiae corrumpantur, et satis in re theologica pro eius relationibus cum ceteris scientiis versatae.

Igitur Ecclesia titulo speciali sui finis, speciale ius habet condendi scholas etiam pro laicis easque sibi habendi, et positive dirigendi, etiam in statu societatis normali.

APPENDIX

DE CONVICTIBUS EDUCATIONIS

121. Ad educationem curandam maxime ducunt convictus, sive coniuncti scholis sive separati; cumque scholares superiores (universitatum) maxima indigeant custodia, hinc utiliter et pro iisdem instituuntur. Cum autem valde intersit Ecclesiae haec educatio vel custodia, hinc multo magis ac pro instructione, habet ius huiusmodi convictus vel collegia instituendi et dirigendi, cum haec referantur immediate ad moralem et religiosam educationem. Cumque Ecclesiae institutio sit immunis a quavis probabili suspicione, hinc nullum ius est auctoritati civili praeventionis generalis, sed tantum inspectionis hygienicae et praeventionis specialis aut repressionis, salva immunitate ecclesiastica, si ei locus sit. In quo iure, cum de re evidentissima agatur, non insistimus.

QUAESTIO QUARTA

De iure per accidens competenti Ecclesiae instituendi scholas in statu societatis anormali moraliter.

122. Sed quid de iure Ecclesiae quoad scholas instituendas in statu societatis anormali? Haec anormalitas duplex esse potest; vel quatenus auctoritas civilis aut non vult in scholis publicis ea praestare quae Ecclesiae competunt tum quoad vigilantiam, tum quoad impartiendam religiosam instructionem, hinc neque cogit praestari in scholis privatis, sed tantum a volentibus ponuntur; aut etiam ex impedimento morali, ut in statu mixtae religionis, vel falsae praevalentis,

nequit haec praestare. Vel 2° quia auctoritas civilis impotens est ex defectu physico, ut apud barbaros, vel in dissolutione sociali, puta in dissolutione romani imperii. In primo casu status socialis est anormalis ex hominum culpa; in secundo per se est sine culpa; in primo casu videamus iura quae Ecclesiae competere possent cumulative cum statu civili, ideoque per accidens ex huius defectu; in secundo consideremus ius Ecclesiae supplendi impotentiae physicae status civilis, ideoque quod potest ex iure devolutivo.

123. Ius quod Ecclesia habet instituendi scholas proprias pro instructione fidelium, innititur titulo magis rigoroso in facta hypothesi. Etenim tunc scholae status non satisfaciunt requisitis pro scholis catholicis vel negative quatenus numquam de re religiosa et de eius connexione cum aliis materiis, praesertim moralibus, verbum faciunt, vel etiam privative quia spiritu acatholico vel etiam antichristiano sunt imbutae. Iamvero in secundo casu regulariter, nequeunt frequentari a catholicis, et nullo modo a pueris; ad summum aliquando frequentari valent cum magna cautela scholae superiores, etsi lugenda experientia doceat cautelas generatim esse inefficaces. Gutta enim cavat lapidem, cumque scholares suspiciant scientiam suorum magistrorum in re profana, facile eis auctoritatem concedunt et in religiosa. Deinde scholares etsi optimi ingenii, non solent talem apparatum doctrinae habere quo valeant provectis doctoribus resistere. Et tandem societas aliorum discipulorum qui in sua maioritate vel etiam totalitate aliter sentiunt, plurimum influit in eis depravandis, praesertim quia res non modo est cum intelligentia scholarium catholicorum, sed etiam imo maxime cum voluntate; plurimum enim potest respectus homi-

num, etsi praescindamus a morum corruptione quae incredulitati viam aperire solet.

124. Sunt pariter noxiae et scholae mere negativae, saltem si de popularibus et mediis sermo sit; assuescunt enim pueri et adolescentes ad parvipendendam religionem veluti eam sine qua optimus homo et civis haberi potest. Insuper illud addendum, difficile esse magistros incredulos aut acatholicos, suo malo spiritu non imbuere scholam, cum abstinere a quavis religiosa allusione, utpote contrarium rerum relationibus, difficillimum sit quia non naturale. Tamen facilius licere poterit ex gravi causa frequentare has scholas, si aliunde maiori diligentia suppleatur earumdem defectibus. Verum semper apparet eas minus esse opportunas et iuribus catholicorum non respondere.

125. His positis cum catholici ius habeant et suscipiendi instructionem in quavis scientia, et id sine periculo suae religionis obtinendi, cumque id verificari nequeat ex hypothesi in scholis publicis, apparet ius eis esse illud obtinendi in scholis privatis. Cum autem ad Ecclesiam maxime spectet necessitati spirituali consulere, et efficere ut eius filii sic transeant per bona temporalia ut non amittant aeterna, sequetur non modo catholicos tamquam privatos, sed ipsam Ecclesiam, vel laicos catholicos quatenus tales, idest nomine Ecclesiae et sub eius directione, posse scholas instituere. Igitur in hac hypothesi, est Ecclesiae ius multo magis ac in statu normali societatis. In hoc enim ea iure polleret 1° ex libertate communi; 2° ut abundantius et tutius obtineatur catholica iuventutis institutio; e contra in statu anormali, ut simpliciter curetur catholica institutio, quae secus nullo modo haberetur.

126. Igitur huiusmodi ius catholicis sive privatis, sive praelatis aut religiosis, poterit tantum denegari ab eis qui cum Iuliano apostata sentiant. Notum enim est hunc perfidum christiani nominis inimicum, christianis interdixisse publice litteras docere, eo quia auctores interpretandi, essent pagani et indecens esset christianos de diis disserere; sic addebat irrisionem damno. Etenim factum esset vel christianos iuvenes frequentare paganorum scholas in quibus perverterentur, vel a scholis omnino abstinere; et tunc brevi tempore defecissent inter christianos viri pollentes profana litteratura; hinc et viri idonei publicis muneribus; et quoniam in societate praedominant non tantum opes, sed etiam, imo temporis tractu maxime, praevalet doctrina, brevi factum esset ut christiani inepti fierent ad influxum in re publica exercendum. Iamvero utrumque est contra rectam rationem; et 1° catholicos exponi seductioni. Ex disputatis enim in lib. primo partis 1ae de relationibus status acatholici cum subditis catholicis, apparet neminem posse etiam humano modo loquendo, seu in foro sociali, cum aliqua verisimilitudine negare catholicis ius profitendi religionem suam. Ergo qui eos ponunt in necessitate periculum perversionis subeundi, iniuria agunt, cum eos non ex persuasione, sed contra propriam conscientiam agere compellant.

2.° Neque ius est acatholicis excludendi catholicos a publicis bonis et muneribus, ratione catholicitatis, cum ex eadem ratione, nequeant hanc professionem in eis considerare ut culpae imputabilem; etenim acatholici saltem considerare debent omnes confessiones christianas ut aeque probabiles. Ergo iniuria catholici a publicis bonis excluderentur.

127. Illud autem addimus; si scholae publicae habeantur publico aerario alitae (possunt enim esse publicae auctoritate sed expensis scholarium vel redditibus haereditariis), tunc verificari potest casus in quo status civilis ex iustitia distributiva teneatur ex eodem publico aerario scholis catholicis subvenire.

Id est si catholici sint in aliquo statu agnoscendi tamquam pars status prout catholici sunt. Id esse potest I. pactis conventis; ex. gr. si regio catholica adnexa sit statui acatholico, data fide publica de integritate iurium religiosorum et civilium catholicis servanda. Iamvero ad id scholae catholicae necessariae sunt. Si autem status provideret ex publico aerario scholis acatholicis, laederet aequalitatem iuratam non providendo scholis catholicorum; etenim eos cogeret et ad contribuendum scholis acatholicis, cum solvant tributa sicut ceteri, et ad sustinendas speciales impensas, si proprias scholas vellent, quod est catholicos in deteriori conditione ponere ac ceteros.

128. Sed II., etiam sine expressis pactis id iustum esse potest; si nempe catholici sint in aliquo statu tali quantitate, ut publicam mereantur considerationem et veluti subdivisionem in statu constituant; tunc si status providet ex publico aerario scholis formaliter acatholicis, et scholis catholicorum providere tenetur; secus hos subditos et cives non eadem mensura tractaret ac reliquos absque culpa, quod est contra iustitiam distributivam. Dicimus si status subveniret scholas formaliter acatholicas; si enim pro multitudine sectarum, scholas institueret quae a religione quavis saltem determinata praescinderent, idque publica necessitate faceret, posset ab eo onere excusari. Etenim etsi numquam liceat nisi per accidens ex erronea

conscientia, malum facere, ut esset constituere scholam acatholico spiritu imbutam, tamen licet aliquando a bono alias obligatorio abstinere, cum nempe id sive physice sive moraliter impossibile est, seu praestari nequit absque gravioribus malis. Schola autem negative se habens quoad religionem, est per se tantum omissio boni, et non mali positio.

QUAESTIO QUINTA

De iure Ecclesiae devolutivo instituendi scholas, auctoritate civili deficiente.

129. Cum status civilis est in dissolutione et incapax sibi providendi, ita ut non tantum scholas catholico spiritu imbutas non instituit sed nullas aut fere, tunc non modo Ecclesia potest scholas instituere titulis supradictis, sed etiam devolutive; consulit enim societati christianae eo deficiente ad quem primario spectaret, sicut praestat et in aliis multis. Etenim in plebe christiana, numquam deficit ius sibi consulendi, sed sibi consulit ea forma quam actu habet, quae in hypothesi, saltem efficax est tantum ecclesiastica.

QUAESTIO SEXTA

De effectibus civilibus scholarum a privatis et ab Ecclesia institutarum.

130. Primo determinandum est quid sint effectus civiles scholarum. Fieri potest ut ad quaedam iura civilia exercenda, puta electoris, vel ad quaedam munia gerenda aut professiones exercendas, requiratur specialis instructio, quae in omnibus non verificatur. Quaeritur an statui ius sit antecedenter eamdem cognoscendi.

Iamvero si de iuribus quibusdam civilibus seu positivis exercendis sermo sit, item de publicis muneribus,

ex. gr. iudicis, notarii, etc. nemini dubium esse potest auctoritati civili non modo ius sed et officium esse, certiorandi se de competenti idoneitate, ideoque et de competenti scientia eorum qui ad haec assumenda aspirant. Cum enim ex hypothesi, seu ex ipsa rerum natura, ea instructio requiratur pro talibus muneribus rite sustinendis, quae communis non est, patet eadem credenda eis non esse de quibus sufficienter non constet debita peritia.

131. Sed quid de professionibus quibusdam privatis, ex. gr. medici, chirurgi, pharmacopolae, advocati et similium?

Quidam exaggerati libertatis defensores, contenderunt haec negotia privatorum discretioni esse relinquenda et tantum damna quae dolo vel ignorantia fuerint illata, esse sententia iudicis compensanda. Rationes ipsorum analogae sunt eis quae supra pro omnimoda libertate instructionis concedenda, allatae sunt. Idest 1° haec negotia privatorum esse; 2° magis expedire libertatem quam legem, quia cito idonei cognoscentur, dum e contra saepe minus idonei proteguntur diplomate malis modis acquisito, in detrimentum aliorum qui diplomate carent sed praestant scientia.

Ad quas respondemus: ad 1um, et in negotiis privatorum cum gravioris momenti sunt et periculi plena, posse praeventive intervenire ad cautelam, publicam potestatem. Iamvero citatae professiones negotia respiciunt gravissima et periculosa, plusquam sit ipsum magisterium litterarum aut scientiarum.

132. Hoc quoad ius. Quoad eius exercitium, dicimus ad IIum, saepe privatos praesertim in pagis non satis posse sibi consulere, ideoque expedire interventum praeventivum publicae potestatis.

133. His positis quaeritur an status debeat competentem idoneitatem agnoscere tantum in iis qui suas scholas frequentaverint vel etiam in iis qui privatas aut ecclesiasticas, praescindendo nunc a casu postremae quintae quaestionis. Iamvero insistentes ipsi rei naturae rursus distinguimus: aliud est quaerere an status ipse sit qui iudicet auctoritative de sufficienti idoneitate candidatorum citatis officiis vel professionibus, et aliud est quaerere an pro eadem declaratione idoneitatis obtinenda, unice sint frequentandae scholae publicae. Quoad primum, cum agatur de idoneitate pro officio vel professione civili, ius se de eadem certiorandi profecto ad statum spectat. Sed bene adnotetur statum tantum ius habere agnoscendi de existenti idoneitate, non autem potest idoneos repellere. Etiam idoneos pro officio iudicis, ut tales agnoscere debet, etsi inter idoneos adspirantes ad illud consequendum, iure eligat, criteriis oeconomiae publicae.

134. Ex quo apparet iniustam fore exigentiam frequentandi scholas publicas; etenim supponeret debitam idoneitatem in eis tantum acquiri, quod est absurdum. Sed sufficit factum frequentationis seu diplomatis scholarum privatarum vel ecclesiasticarum de studiis a lege civili praescriptis expletis, ut quis idoneus a lege habeatur, vel status ius habet verificandi per se hanc idoneitatem in scholis privatis vel ecclesiasticis acquisitam? Cum sermo est de munere publico exercendo, ex. gr. iudicis, cum hoc, nomine status exerceatur, profecto status potest semper per se examinare, cum ipse conferat officium, et illud recipiens publicam vestem induat. E contra cum sermo est de exercitio professionis privatae, et tantum agitur de periculo vitando.

Cum officium status sit certitudinem assequi de idoneitate, contentus esse debet medio sufficienti; igitur non tenetur simpliciter credere privatorum attestationibus, sed tunc tantum cum contraria praesumptio haberi nequit; secus inutiliter subditos gravaret; hinc attendenda esset celebritas scholarum et institutorum, et tunc status verificaret idoneitatem scholarium mediate, idest mediante fama iuste sibi comparata et conservata scholarum quas frequentassent. Cum autem scholae ecclesiasticae maiorem mereantur fiduciam quam ceterae, hinc patet eis plus rationabiliter concedi, praesertim si agatur de instructione satis parva, puta de elementari instructione requisita pro qualitate electoris, cum haec soleat in omnibus mediocribus scholis acquiri.

Ceterum cum non multum gravet examen si debite et non hostiliter instituatur, et aliunde ponderatio valoris scholarum privatarum multis difficultatibus locum dare posset, non est incongruum, statum constituta norma generali, per se verificare, vel per examinatores mixtos, vel aliqua cautela requisita in docentibus privatis et ecclesiasticis si velint privilegio paritatis civilis gaudere.

135. Multo autem magis concedendum est ad idoneitatem recognoscendam in catholicis, sufficere scholarum catholicarum frequentationem, cum scholae publicae non sunt catholico spiritu informatae, ut vidimus in quaestione tertia. Tunc enim contrarium agere esset pessima iniuria.

136. In postremo autem casu, idest quando Ecclesia devolutive scholas instituit, cum scholae Ecclesiae unicae sint, tunc eis plenam efficaciam civilem tenetur status concedere donec res in eadem conditione perse-

veraverint. Tunc enim repraesentant ipsam societatem civilem et religiosam simul, et in concreto constituunt meliorem cautelam possibilem.

Et haec de scholis sufficiant.

CAPUT II.

DE POTESTATE ECCLESIAE QUOAD MORES, IDEST PRO SANCTIFICATIONE FIDELIUM.

ARTICULUS I.

Divisio capitis.

137. Ad salutem consequendam adultis praeter fidem necessariae sunt operae; et quaedam immediate a Deo praescribuntur, idest lege divina sive naturali sive positiva; quaedam e contra mediate, seu lege Ecclesiae, cui Deus hanc tradidit potestatem. Ecclesia enim et rectam fidem ac legem Dei edocet et insuper leges condit quibus facilius fides custodiri et lex Dei observari possit. Etenim nostrae sanctificationis causa formalis est gratia; efficiens principalis Deus; secundaria et cooperans, nos ipsi per bona opera; ministerialis Ecclesia, instrumentalis media quibus Ecclesia donata est ad hunc finem. Iamvero in iure publico de his duabus causis sermo est quatenus in eis ius Ecclesiae consideratur; de reliquis enim agit theologia tum dogmatica tum moralis, sicut de legibus ab Ecclesia latis pro foro externo, agit ius canonicum, dum ius publicum divinum considerat ipsum ius Ecclesiae tales leges ferendi.

138. Hinc *disciplina ecclesiastica*, quae solet definiri: « Praxis factorum fidei consona ». Nobis igitur videnda est comprehensio huius disciplinae ut competentiam directam Ecclesiae agnoscamus.

Disciplina ecclesiastica dividi solet in *dogmaticam*, *liturgicam*, *externam*. *Dogmatica* est praxis factorum necessaria ne contradicatur fidei. *Liturgica* est praxis factorum pro cultu Dei; *externa* est praxis factorum ut singuli fideles et integra societas ecclesiastica, in externa conversatione, seu agendi ratione, finem societatis ecclesiasticae consequantur. Hinc liturgica praescribit ordinem cultus divini, praescindendo ab obligatione eiusque extensione, afficiente fideles eumdem praestandi; ex. gr. ordo missae est disciplinae liturgicae; praeceptum audiendi missam est disciplinae externae; afficit enim individuum ut ipse sanctificetur et ut bonum exemplum det ceteris; igitur respicit actum externum tum individualem tum socialem, cum sub nomine conversationis externae utrumque veniat.

139. Verum haec divisio etsi recta quoad obiecta, haec enim tria complectitur ecclesiastica disciplina, non est recta logice, quia iuxta regulas divisionis, eius membra oportet mutuo sese excludant, ideoque sint opposita; sed tria enumerata non sese excludunt, sed ex parte sese includunt. Etenim tum in re liturgica, tum in externa conversatione quaedam sunt dogmatica et quaedam non. Ita dogmatica est disciplina substantialis in sacramentorum confectione et administratione, ideoque et in missae celebratione, quae est actus eminenter liturgicus. Ita in externa conversatione etiam reciproca, obedientia pastoribus legittimis est disciplinae dogmaticae, quia lege divina necessaria.

Igitur ut divisio sit logice perfecta, dicendum est di-

sciplinam attento obiecto, aliam esse liturgicam, aliam externam, prout directe praescribit ordinem servandum in cultu Dei seu legittimum ritum eum excolendi, vel prout directe praescribit quae ad sanctificationem individui et ordinem socialem servandum spectant.

Attenta autem origine, seu fonte, est vel dogmatica, vel non, cui aliquando reservatur nomen merae disciplinae, contraponendo legis ecclesiasticae necessitatem, necessitati legis divinae seu dogmaticae. Igitur tripartita divisio, dogmaticae, liturgicae et externae poterit tantum retineri pro practico uso, sed non ut logica divisio.

140. Igitur exponendo extensionem disciplinae loquendum est de liturgica et de externa politia ecclesiastica. Nomen autem *liturgiae* significat litteraliter *opus sacrum*, ideoque primario significat ordinem cultus divini, et antonomastice ordinem missae. Sed extenditur quoque ad ritum quo omnia sacramenta et sacramentalia conficiuntur et administrantur. Etenim cum haec proxime tendant ad nos Deo coniungendos, per internam sanctificationem, merito sub nomine cultus divini comprehenduntur.

141. Exterior autem disciplina comprehendit tum ea quae Ecclesia praecipit a singulis directe praestanda pro sua sanctificatione, tum pro mutua christianorum conversatione, tum pro ministrorum Ecclesiae constitutione muneribusque, et officiis ac iuribus respondentibus in populo christiano, tum ea quae ad consiliorum evangelicorum professionem aut opera supererogatoria facilius et magis ordinate praestanda, tum administrationem rerum temporalium quibus Ecclesia eiusque partes pro suo scopo indigent, tum denique pro incolumitate totius societatis Ecclesiae, quae indirecte

refertur ad singulorum sanctificationem, ideoque hic a nobis omittitur, cum de directa Ecclesiae competentia agamus. Haec enim omnia in societate christiana necessaria sunt, idest 1° ut quis private sanctificetur; 2° cum aliis iuste, sancte et pacifice vivat; 3° Ecclesia indiget ministris qui ceteris provideant et quibus ceteri pareant; 4° promovet evangelicam perfectionem vel professionem consiliorum evangelicorum, vel saltem 5° opera supererogatoria charitatis in Deum, proximum et nosmetipsos; et 6° indiget tum ipsa tum eius partes bonorum temporalium acquisitione, administratione et usu.

Pro 1,° 2° et 3° scopo, hoc sub respectu, indiget praesertim sacramentis et sacramentalibus quae sacramentalia et ad 4. 5. et 6. extenduntur; etenim non modo personae Deo consecrantur sed et res, ut Ecclesiae, vestes etc. Sacramenta autem et sacramentalia etiam sacram liturgiam absolvunt.

Pro 1° autem et 2° scopo, reliqua media praeceptiva vocare possemus praecepta ethico-ecclesiastica. E contra praecepta pro servanda organizatione ab Ecclesia constituta, et pro eiusdem organizationis salutari actione, dici possunt ecclesiastico-socialia.

142. Quae ut melius appareant notandum est ad salutem aeternam necessariam esse sanctitatem. Sanctitas autem quid est supernaturalis; sed subaudit fidem et naturalem honestatem. Iamvero Ecclesiae 1° concreditae sunt veritates credendae et iure divino sive naturali sive supernaturali executioni mandandae; ideoque eas auctoritative proponit, ut vidimus cap. antecedenti.

2.° Ei concredita quoque sunt media sanctificationis ex opere operato seu sacramenta, quae sunt media quaedam obiectiva, seu instrumentalia, externa et so-

cialia, necessaria, ideoque substantialia sanctificationis; dici igitur possunt media substantive et immediate supernaturalia; dum autem gratiam sanctificantem infundunt vel augent, etiam roborant gratia actuali, ad praecepta omnia servanda, difficultatesque quascumque internas vel externas superandas.

3.° Eidem Ecclesiae collata est potestas instituendi et administrandi media quaedam sanctificationis *analoga* sacramentis, quae dicuntur *sacramentalia;* quae dici poterunt media sanctificationis supernaturalia mediate et participative.

4.° Praeter auctoritativam propositionem legis moralis naturalis et praeceptorum positivorum Dei, habet Ecclesia ius legem ferendi circa ea quae legis tum naturalis tum positivae observantiam determinant et adiuvant. Etenim quaedam praecepta legis naturae sunt indeterminata; ex. gr. necessarius est cultus Dei externus et publicus, sed quo tempore et ritu, ab ipsa lege naturae non determinatur, sed ab Ecclesia; praeceptum de mortificatione est naturale, sed indeterminatum; item ex praecepto divino positivo, necessaria est Eucharistiae perceptio, sed tempus ab Ecclesia determinatur. Quae pariter iubet quae adiuvant, vel removendo a periculosis, vel quae facilitant praecipiendo, ut ita tutius et ordinatius in societate christiana serventur officia tum theoretica fidei, tum practica, erga Deum, nosmetipsos et proximum, et ipsa media sanctificationis sive a Deo sive ab Ecclesia constituta, ordinate et utilius adhibeantur; haec praestat disciplina tum liturgica tum externa, pro diversa obiectorum natura. Haec quoque media ad sanctificationem referuntur; sed vel sunt per se naturalia (attendendo quod fit exterius), sed directa ad ordinem supernaturalem ex inten-

tione Ecclesiae, ut ieiunia, orationes etc., vel naturalem meliorem rationem considerant utendi ipsis supernaturalibus immediatis aut mediatis, ideoque ea communi classificatione dicemus media *sanctificationis communis* naturalia elevata.

5.° Ecclesia curat quoque ordinare et faciliorem reddere professionem consiliorum evangelicorum pro iis qui ad christianam perfectionem specialius aspirant. Professio religiosa sive solemnis sive non, est *sacramentale*, quatenus ritu aliquo Ecclesiae sanctificatur; ideoque hoc sub respectu ad liturgicam disciplinam refertur; in reliquis eiusdem Ecclesiae dispositionibus ad *externam*. Haec dicimus media *perfectionis* naturalia elevata (etenim per se adsociatio est medium naturale).

6.° Ecclesia saltem pietatem, charitatem et sanctitatem promovet operibus supererogatoriis, institutionibus et adsociationibus multiplicibus; haec dicemus media naturalia elevata sanctificationis *specialis*.

Haec omnia sunt media sanctificationis directa supernaturalia vel naturalia.

7.° Ecclesia organizat seipsam, ministros distribuendo et constituendo, ipsorumque iura et officia determinando et respondentia plebis aut ordinum inferiorum iura et officia; hoc est de se medium *naturale* organizationis hierarchiae supernaturalis; quoad sanctificationem est medium *indirectum*, sed *positivum* et *proximum*. Et poenae sunt media *indirecta* et *proxima* sed *negativa*, dum organizatio Ecclesiae est medium indirectum proximum, sed *primario positivum* et tantum secundario negativum, ne confusio fiat.

8.° Ecclesia res temporales acquirit (vel imponit *taxas*, *decimas* etc.) easque administrat et dispensat pro se suisque partibus. Est medium naturale *remotum*.

9.° Tandem integram societatem conservat, eiusque partes integrantes, quod *indirecte* ut *praerequisitum*, necessarium est ad salutem singulorum. Sed de hoc in potestate indirecta actum est libro antecedenti.

143. Si relatio horum mediorum ad sanctificationem velit classificari, reassumendo dicemus:

I. Sacramenta sunt media supernaturalia *immediata*, directa, positiva, *proxima*.

II. Sacramentalia sunt media supernaturalia *mediata*, directa, positiva, *proxima*.

III. Organizatio Ecclesiae et praecepta ecclesiastico-socialia sunt media de se naturalia, *indirecta*, proxima positiva.

IV. Poenae sunt medium de se *naturale*, indirectum, proximum *negativum*.

V. Bona temporalia sunt media naturalia *remota*.

VI. Reliqua spectantia ad disciplinam exteriorem sunt media naturalia, *directa proxima* positiva aut negativa, ab Ecclesia aliquo modo *elevata* (ut fit per sacramentalia) seu ordinata ad supernaturalem finem.

144. Iamvero cum de tertia parte quatenus organizationem Ecclesiae respicit et consequentia iura ac officia sive ministrorum sive plebis, sermo sit in tertio capite, et reliqua ad sacramentum ordinis revocare possint, hinc agemus totidem articulis de iure Ecclesiae, primo seu

Art. II. Quoad sacramenta.

Art. III. Quoad sacramentalia, praesertim circa cultum divinum publicum.

Art. IV. Quoad reliqua capita praeceptorum ecclesiasticorum moralium.

Art. V. Quoad consilia evangelica et praesertim pro

ordinibus et congregationibus religiosis instituendis et regendis.

Art. vi. Quoad reliquas pias adsociationes et pias operas.

Art. vii. Quoad bona temporalia.

Art. viii. Quoad iurisdictiones.

Art. ix. Agendum esset de eis quae pro incolumitate societatis christianae in temporalibus, ab Ecclesia praecipiuntur. Sed cum de his actum sit praesertim libro antecedenti cap. 6,° ubi de potestate indirecta Ecclesiae in res et personas civiles, pauca in praesenti supersunt indicanda, quae competentiam Ecclesiae in temporalibus ratione specialis relationis ad spiritualia, quoad privatos respiciunt.

ARTICULUS II.

De iure Ecclesiae quoad sacramenta.

§ 1.

De iure Ecclesiae quoad sacramenta generatim.

145. Cum sacramenta sint media substantive supernaturalia, Ecclesia tantum est competens circa ipsorum administrationem; hinc ipsa statuit conditiones rectae administrationis et susceptionis eorumdem, et proinde et quando debeant denegari.

Iamvero hac in re obtinuit enormis abusus apud plures gentes, nempe legem civilem punire Ecclesiae ministros duplici ex capite; 1° *ob indebitam sacramentorum denegationem*; 2° *ob abusum ministerii* in eorumdem administratione, ex. gr. quia exigerent conditiones indebitas. Sed id duplici modo intelligi potest;

1° de denegatione indebita et de abusu ministerii, iuxta ipsas leges ecclesiasticas; 2° iuxta leges civiles discrepantes a legibus Ecclesiae; quocumque modo intelligatur, enormitas huius abusus evidens est. Etenim in primo casu iudex competens transgressionis legis ecclesiasticae est ipsa Ecclesia; ille enim iudicat qui legem fert. Si autem opus sit brachio saeculari pro executione legis ecclesiasticae, tunc potestas civilis interveniet ministerialiter, non iudicando marte proprio.

146. Sed dici posset, interveniendi ius esse et auctoritati civili, quia praeter damnum spirituale, haberi potest et damnum temporale, ex. gr. *ignominia* ex publica sacramentorum denegatione. Verum respondemus: auctoritas civilis iure proprio per se iudicat de damno temporali proveniente ex *causa temporali* concedo, ex causa spirituali nego; et contradistincta *causali*, negatur consequens.

Et sane, ut quis iudicet de iustitia vel iniustitia damni illati, necesse est iudicet de iustitia vel iniustitia causae; atqui causae spiritualis iudex competens est tantum Ecclesia. Ergo sola Ecclesia iudicat de iustitia vel iniustitia damni illati per sacramentorum denegationem. E contra causae temporalis iudex competens per se est auctoritas civilis; dicimus per se, seu ratione materiae, quia ratione personae ob privilegium fori, potest esse, per accidens, et Ecclesia; sed nunc ab immunitate clericorum personali praescindimus.

147. Si autem secundo modo res intelligatur, tunc patet interventum civilis auctoritatis esse hostilem ipsi Ecclesiae; punit enim ministrum qui leges Ecclesiae observat, quique exigit quod ipsa requirit et id tantum quod ipsa sufficiens iudicat. Et proinde tunc auctoritas civilis laedit independentiam Ecclesiae.

148. Sed dici posset, praeter materias exclusive spirituales extare et mixtas, puta matrimonium; ideoque legibus Ecclesiae consuli sanctitati sacramenti seu finis spiritualis; legibus autem civilibus consuli ordini temporali; et quoniam actus semel positus, operatur in utroque ordine, hinc ministrum Ecclesiae tunc tantum legittime agere, cum leges utriusque ordinis servat; hinc subiici iudicio utriusque potestatis.

Resp. 1° animadvertendo hanc difficultatem considerare tantum casum in quo leges civiles aliquid superaddunt legibus Ecclesiae, non autem quando eis contradicunt, id prohibendo quod Ecclesia exigit, aut exigendo quod ipsa prohibet; hinc limitatus esset interventus auctoritatis civilis, contra ac fiat; etenim Ecclesiae adversarii considerant simpliciter leges quascumque civiles.

2.° Resp. Ecclesiam quidem permittere pro effectibus civilibus quibusdam, legem civilem superaddere speciales dispositiones, de quibus pertractavimus parte prima lib. 1° cum de materiis mixtis egimus, sed Ecclesia pro suis ministris simpliciter agnoscit ut obligatoriam in sacramentorum administratione legum suarum observantiam, ut fini spirituali consulatur, eumque liberum vult a quacumque sanctione civili; ex. gr. in matrimonio etsi consensus parentum pro minoribus, requiratur regulariter pro liceitate actus, tamen illud ut validum semper habet, ideoque non agnoscit ut obligatoriam observantiam legis civilis quae illum pro validitate praescribat; quatenus autem minister contradicat et legi Ecclesiae quae illud ipsum requirit quod lex civilis, ex. gr. consensum parentum pro liceitate matrimonii, aut legem civilem suam faciat et observandam expresse velit, tunc minister aliter

agendo, offendit ipsam legem Ecclesiae et incidimus in casum primum.

149. Iamvero si aliquid aliud praeter Ecclesiae praescriptum necessarium erit pro ordine temporali, tunc vel est conciliabile cum eis quae requirit ordo spiritualis vel non; si hoc sumus in casu conflictus; hinc cedere debet ordo temporalis et proinde iniusta lex civilis quae aliter exigit; si alterum, tunc poterit quidem a lege civili denegari efficacia actus pro quibusdam effectibus civilibus, sed non puniri ipse actus ministri, conformis legibus Ecclesiae; etenim eo quod Ecclesia legem civilem non adoptat, iam indicat ipsam iudicare non expedire pro fine spirituali eius obligatorietatem; ideoque a lege civili poterit quidem praescribi negando ut supra efficaciam quamdam civilem, non autem simpliciter puniendo ipsum actum; quia tunc lex civilis iam puniret actum qui ponitur pro fine spirituali servatis legibus de hoc ab Ecclesia latis et habitis ab ea ut sufficientibus.

Quod si qui effectus civiles adhuc sequuntur, ii ut sequela necessaria actus spiritualis non cadunt sub potestate civili, ut diximus de materiis mixtis. Igitur ius est civili potestati consulendi ordini civili, sed sine impedimento pro ordine spirituali; igitur qui voluerit consulere suo bono spirituali, sufficit observet leges Ecclesiae; poterit tamen privari quibusdam separabilibus effectibus civilibus si legibus civilibus non satisfaciat, sed non exinde positive puniri, quia puniretur ille qui consulit bono spirituali, renuntiando bono cuidam temporali, seu quibusdam effectibus civilibus. Ut patet non loquimur de omissione *actus separabilis* a susceptione sacramenti, seu ab actu spirituali; tunc enim, ut diximus agentes de mate-

riis mixtis, non ipse minister Ecclesiae, sed qui utuntur eius opera poterunt pro effectibus temporalibus legi civili subiici.

150. Haec quae de sacramentis diximus, generatim dicenda sunt de ministerio ecclesiastico, cum eadem vigeant principia; idest nequit minister Ecclesiae puniri a civili potestate, eo quod *indebite* negaverit suum ministerium, aut illud male seu *per abusum* adhibuerit; etenim iudicium spectat semper ad Ecclesiam, cum causa sit *spiritualis*.

151. Quid si *praetextu* vel *occasione* ministerii spiritualis, damnum inferat temporale, ex. gr. furetur? Si vere *evidens* sit, ministerium spirituale fuisse merum praetextum seu occasionem, profecto materia per se est civilis; aderit tamen immunitas personalis; sed si quod dubium fuerit de connexione legittima inter ministerium spirituale et damnum temporale, tunc iudicium adhuc spectat ad auctoritatem ecclesiasticam; multo magis si quod lex civilis prohibet, esset ab Ecclesia ut laudabile declaratum. Ex. gr. quaedam legislationes prohibent ministro Ecclesiae quacumque ratione sese ingerere in testamentorum confectione ne in favorem Ecclesiae gravent infirmos. Iamvero haec lex per se est iniusta; etenim ratione periculi alicuius abusus ex parte ministri, excludunt et honestum eius interventum, cum liberalitas in Ecclesiam non sit removenda a dispositionibus ultimae voluntatis.

152. Per haec quae generatim diximus de sacramentis in genere, iam praeoccupatae sunt quaestiones quae de pluribus in specie fieri possent, cum nihil specialis dicendum occurrat circa confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem; etenim omnes quaestiones de hac re cum foro civili ad

indebitam *denegationem*, aut ad *indebitas exigentias* reducuntur, praesertim pro absolutione sacramentali et eucharistica participatione; nimis enim ridiculum est auctoritatem civilem circa reliqua velle sese immiscere, puta aetatem, ieiunium, ritum etc. ut fecit Iustinianus, qui et modum celebrandi missam praescripsit, quod nempe elata voce consecratio fieret; sed auditus non fuit. Igitur remanet dicendum in specie de sacramento *baptismi*, *ordinis* et *matrimonii*.

§ 2.

De sacramento baptismi.

153. Vidimus supra cap. I. baptizari posse et debere omnes rationis usum habentes qui id desiderent, dummodo dispositi, cum cuique ius strictissimum sit consequendi suam salutem aeternam. Sed quid de carente usu rationis, potestne invitis aut insciis vel *praesumptive* repugnantibus parentibus baptizari? Doctrina Ecclesiae est, utroque invito non posse. Etenim cum hic careat rationis usu (puta quia infans) non habet ius et officium tendendi facto suo ad vitam aeternam, sed per alios; igitur videndum cui providentia commiserit eius curam; commisit autem parentibus; ergo ipsis repugnantibus nequit ei succurri nisi sit qui ius habeat corrigendi hanc ipsorum malitiam, et culpam (seu negligentiam) supplendi.

154. Iamvero id verificatur si pro usu paternae potestatis sint alicuius subditi. Id est I. si sint subditi Ecclesiae; tunc enim tenentur obtemperare legibus Ecclesiae et in usu potestatis paternae; et proinde de rigore iuris, non modo filii catholicorum, sed et aca-

tholicorum possent ab Ecclesia baptizari et catholice institui; id aliquando medio aevo iure praestitum est cum parentes essent haeretici, ut filii traderentur aliis propinquis catholice educandis. Id in societate catholica possibile erat, nec inhumanum videbatur; e contra esset nostris temporibus.

155. Quid si unus ex parentibus dissentiret et alter consentiret?

Posset et deberet baptizari, etsi dissentiens esset pater; in hoc enim seu pro salute aeterna, aeque cura pueri tradita est utrique parenti, nec pater praevalet matri, sed ei adsistendum qui bene utitur sua potestate; multo magis praevalet mater, tutoribus dissentientibus; sed si mater renuat, et tutores consentiant, hi praevalent utpote patrem repraesentantes; favendum est enim ei qui potestate sua bene utitur. Hinc si defuncto patre, mater et tutores renuant, sed avus paternus vel avia paterna offerat nepotes ut baptizentur, suscipiendi sunt; mortuo enim patre veluti ad eos devolvitur *naturalis* tutela. Ex hac ratione, conformiter iuri romano plures affirmant et repugnantibus genitoribus, praeferendum esse avum paternum.

156. II. Ex eodem iure romano statutum est et dominum posse invitis parentibus servis, eorum filios baptizare; cum enim iure gentium inducta esset dominica potestas quae moderabatur patriam potestatem, imo iuxta ideam iuris romani, eius locum tenebat, cumque ex hoc iure gentium, dominium in servos factum esset moraliter honestum in iis quae officiis naturae non adversarentur, cumque pater servus nolens filios baptizare irrationabiliter ageret, poterat corrigi a domino qui iure gentium habebat superiorita-

tem quoad ipsa iura individualia et domestica servi sui, ideoque eius abusus corrigere et defectus supplere poterat [1]).

157. Tamen rex christianus nequiret filios subditorum infidelium, invitis parentibus baptizare, quia etsi sint eius subditi, non sunt subditi quoad rem religiosam supernaturalem, ut sunt fideles respectu Ecclesiae; neque eius subditi sunt quoad exercitium potestatis paternae, ut mere talis est, seu ut refertur tantum ad curam individualem filiorum, sed subditi sunt tantum pro re civili. Etsi enim rex possit corrigere et punire excessus patrum relate ad vitam physicam, ex. gr. si filios vulnerarent, quia tunc eos ut homines

---

1) Si autem quaeratur quomodo iure *gentium* potuerit *servitus* fieri iusta, notandum est vel servitutem sumi sensu iuris romani, idest pro facultate utendi et abutendi servo, et hoc sensu, numquam honesta esse potest; vel sumi pro perpetua locatione operum servi favore domini, et perfecta eius subiectione, salva dignitate humana et officiis naturalibus, et hoc sensu honesta esse potest. Et sic servi fieri possunt 1. in poenam; si enim delinquentes in poenam et vita iuste expoliari possunt, multo magis in servitutem redigi; hinc

2. aliquando iure belli, saltem quando bellum ex una parte erat evidenter iniustum et singulis belligerantibus imputabile; ex. gr. si more praedonum ad nos in servitutem redigendos adventarent; profecto eos victos, servos nostros facere possemus;

3. voluntaria venditione; aequivalet enim locationi perpetuae;

4. nativitate; 1. iure privato; saltem aliquo tempore iustum est ut filii servorum adulti serviant domino patris sui ad compensanda alimenta recepta in pueritia, et etiam ad compensandum periculum quod morerentur ante alimenta compensata; 2. iure publico, si servitus iam de facto in societate existat et nequeat aboleri absque magna publica subversione. Curare tamen debet societas ut paullatim haec publica necessitas imminuatur donec plene cesset; et numquam poterit servis negari adimplementum officiorum naturalium, quia sunt iura inalienabilia; ideoque sicut voluntarie nequeunt amitti, ita neque in poenam aut ob bonum publicum auferri. Sed negatio baptismi filiis, non est parentum officium, sed iniuria. Ergo corrigi potest si ipsorum paterna potestas ut talis, agnoscat superiorem, ut fit in servitute.

offenderent, ideoque ut cives et non simpliciter ut filios, tamen nequit quoad baptisma, quia in hoc eos offendunt non ut cives, sed mere ut filios, ideoque simpliciter male utuntur potestate paterna in qua prout mere talis est, independentes sunt.

158. III. Infantes possunt baptizari insciis aut invitis parentibus, si sint ab iisdem proiecti, seu derelicti aut expositi; per hoc enim renuntiant patriae potestati, et filii fiunt primi occupantis, salva reverentia debita humanae naturae.

159. IV. In extremo vitae periculo, dummodo sit personale infantis et non commune tantum, ut in epidemia, (ex instructione sacrae Congregationis de Propaganda Fide apud Gury sub littera F. in notis Cretoni ad vol. 2^{um}, quae instructio pertractat hanc omnem materiam de baptismo concedendo vel non). In extrema enim necessitate, omnibus aequum ius est succurrendi proximo.

Item dicendum si sint adulti amentes vel dementes a nativitate, absque spe obtinendi usum rationis; sed si sequerentur perturbationes, abstinendum esset per accidens.

§ 3.

De sacramento ordinis.

160. Ecclesia indiget ministris, cum distribuatur in clericos et laicos; hinc sequitur I. ipsi ius esse adlegendi eosdem quos et quot iudicaverit; ipsa enim competens est tum circa numerum ministrorum qui eidem utiles esse possint, tum circa qualitates quas praeseferre debent ut ei utiles sint; hinc et de aetate ipsa iudicat qua possint non modo utiliter ministrare, sed

etiam ponderate suscipere onera ordinum maiorum. Haec enim quaestio moralis est, quando nempe quis valeat prudenter sese coram Deo et Ecclesia obligare.

161. Cum autem Ecclesiae ministri indigeant non modo speciali instructione, sed praesertim idonea educatione, tum ut experimentum sumatur de ipsorum vocatione et respondentia eidem, tum ut habitus virtutum quae maxime status clericalis propriae sunt formentur, ius est Ecclesiae clericos seu candidatos clericatus, opportune educandi, quod fit in seminariis. Et quoniam ministrorum adlectio, educatio et ordinatio directe refertur ad finem spiritualem, hinc Ecclesia est in his omnibus independens.

Hinc esset abusus potestatis civilis vel numerum restringere ministrorum sacrorum, vel aetatem praefinire, vel conditiones idoneitatis praescribere, aut modum educationis, de quibus duobus capitibus supra diximus, agentes de scholis pro clericis. Hinc sequitur et immunitas seminariorum a potestate civili, excepta parte hygienica et publica moralitate, quae per se sunt obiecta civilia, salva tamen immunitate quae aliunde ab Ecclesia potuerit constitui, cum ei sit et ius privilegia sibi vindicandi, ut diximus in capite de immunitate ecclesiastica, lib. antecedenti.

162. Difficultates quae circa qualitates et educationem ministrorum proponi possunt, supra praeoccupavimus, idest societatis civilis interesse ministros esse idoneos; hoc enim interest indirecte ob connexionem boni spiritualis cum temporali, non autem directe, veluti si bono temporali procurando directe attendant; hinc iudicium de his spectat ad Ecclesiam.

163. Pari ratione argui posset circa numerum; idest excessum ministrorum nocere societati civili.

Sed respondetur: vel excessum dici relate ad Ecclesiam, vel ad statum civilem; si primum, significat ministros plus esse quam Ecclesiae expediat; verum de hac re iudicium ad ipsam spectat Ecclesiam; si secundum, tunc status civilis gravaretur iusto ministrorum numero; esset igitur casus conflictus, et proinde damnum temporale esset sustinendum pro spirituali utilitate.

Verum haec dicimus ut morem geramus adversariis; etenim iustum ministrorum numerum gravare statum civilem (nisi in exceptionalibus aliquibus circumstantiis in quibus et Ecclesia temperat suas leges), fieri non potest; sed numerus ministrorum Ecclesiae semper excessivus videtur viris irreligiosis.

Circa clericos specialem merentur considerationem, duo, immunitas a *militia* et *caelibatus;* 3° obiter de clericis regularibus.

A. *De immunitate clericorum a militia.*

164. Ex dictis sequitur quoque aliam immunitatem ab Ecclesia iuste vindicari posse pro clericis, idest *a militia*. Haec enim competit 1° clericis maioribus, cum in perpetuum addicti sint servitio divino, praesertim presbyteri, et sit inconciliabilis cum ipsorum ministerio militia armata; et semper perturbetur actio ecclesiastica etsi in exercitu aliis deputentur officiis, ex. gr. infirmis curandis aut etiam ministerio religioso exhibendo; etsi enim huic indigentiae exercitus providendum sit, hoc tamen ab auctoritate ecclesiastica faciendum est, tum ut legittima missio habeatur a capellanis, tum ne perturbentur dioeceses ex revocatione presbyterorum a suis parochiis et aliis officiis.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Verum de hoc in citato capite de immunitate ecclesiastica ex professo sermo est; sed nunc dicimus 2° et clericos qui in seminariis sunt ad educationem suscipiendam hoc privilegio gaudere debere.

Ius enim est Ecclesiae educandi sibi clericos; sed per militiam distrahuntur a vocatione ecclesiastica; ex quo duo incommoda sequuntur; 1° plures, ut experientia ostendit, vocationem amittere, et sic tum ipsi periculo amittendae salutis exponuntur, tum Ecclesiae deficiunt ministri; 2° semper retardantur ipsorum studia, quae minus utiliter reassumuntur posteriori aetate.

165. Quae in contrarium proferuntur, nec responsionem merentur, cum ab iis proponantur qui carent recto sensu religioso, ideoque rerum spiritualium iusti aestimatores esse nequeunt.

Aiunt enim I., sic apparere solidas vocationes et superficiales evanescere. Sed respondetur aliud esse providentiae vias extraordinarias et aliud ordinarias. Iamvero humanae legislationis oeconomia oportet rationem habeat tantum eorum quae communiter contingunt, ideoque cursus ordinarii providentiae; sed iuxta hunc, vocationes non bene custoditae et excultae evanescunt, ideoque non modo quaedam apparentes, sed et plures verae vocationes, quas adversarii male insinuant ut superficiales.

166. Multo minus attendi debet quod, serio an per iocum nescimus, prolatum est, seu educationem militiae (della caserma) optimam esse. Etsi enim lamentanda non essent inconvenientia quae ut plurimum in tanta societatis corruptione in ea verificantur, diversus est omnino spiritus militaris et ecclesiasticus, ideoque militaris educatio non conducit idoneis Ecclesiae ministris efformandis.

167. Obiiciunt clericorum exemptionem esse cum ceterorum detrimento.

Responsio patet ex applicatione theoriae generalis de privilegiis expositae lib. antecedenti cap. de immunitate ecclesiastica, a. 4., nempe:

Exemptio clericorum a militia est cum detrimento aliorum distinguo, idest societatis nego; quorumdam privatorum, subdistinguo, in detrimentum iniustum nego, iustum concedo.

168. Quaeri posset an ius exemptionis ab Ecclesia vindicari possit tantum pro clericis vel etiam pro ceteris qui in seminariis animo clericandi, studiis attendunt.

Etenim de facto quaedam gubernia neminem eximunt; hinc iniuste agunt; quaedam clericos tantum maiores; et haec iniuste, licet minus, procedunt; alia concedunt numerum determinatum; iamvero et haec iniuste agunt, cum iudicium de numero ad Ecclesiam spectet; alia omnes theologiae studentes eximunt, non reliquos; et haec, praescindendo a concordatis, agunt iniuste, cum plures esse possint qui non adhuc studiis theologicis maturi sunt. Ergo omnes clerici sunt eximendi qui conditionibus ab Ecclesia praescriptis satisfaciunt.

Sed quid de reliquis seminaristis? Quaestio in praxi non multi est momenti; etenim hi si animum habent clericandi et bonam spem exhibent, possunt donari clericali tonsura adveniente tempore militiae; etenim ad hoc sufficit probabilis vocatio, cum non sit definitiva consecratio divino servitio. Verum de rigore iuris Ecclesia posset exigere exemptionem et sine tonsurae collatione, si non adhuc eliquatam putaret ipsorum vocationem aut aliis de causis differre vellet collationem

tonsurae. Etenim eo ipso quod studiis attendunt in seminariis et iudicio superiorum bonam dant spem clericandi, candidati sacerdotii dici possunt, ideoque de eis valent rationes expositae.

B. *De caelibatu ecclesiastico.*

169. Inter conditiones quas Ecclesia requirit pro ordinum collatione, est etiam caelibatus, qui quidem in Ecclesia latina requiritur et in ipsis tonsuratis, tantummodo permittendo vestes clericales eis qui post tonsuram aut minores ordines uni et virgini nupserint; in Ecclesia autem graeca post matrimonium non admittuntur ad ordines maiores.

Iamvero quaestio de caelibatu inspici potest 1° sub respectu theologico et oeconomico, an nempe licite et utiliter ab Ecclesia praescribatur; 2° iuridice, an Ecclesia valeat sine laesione iuris socialis illum iubere.

Primo sub respectu, quaestio a nobis resoluta supponitur, et eius rationes sunt evidentes, cum et statum sanctiorem, iuxta evangelica et apostolica principia (I. ad Cor.) constituat, et ministros magis liberos et a curis saecularibus expeditos faciat, ideoque divino et proximorum servitio magis paratos. Cum autem quisque ad ordines maiores accedat matura aetate, libere accedit, ideoque non ipse gravatur ab aliis sed semet-ipsum gravat. Aliunde Ecclesia cum praecedentem probationem exigat, prudenter procedit eos tantum ad sacros ordines admittendo de quibus moralis est certitudo eos perseveraturos si media sanctificationis quae ipsorum status suppeditat, adhibere voluerint.

170. Secundo sub respectu patet societatis ius non violari, cum exigere nequeat ut omnes matrimonio

operam dent. Hoc enim negotium si sociale est, est etiam maxime et primario individuale, ideoque nemo ad illud cogi potest. Deinde si societati expedit multiplicatio populi, hoc tamen non semper verum est; deinde plura alia sunt societati utilia, inter quae non modo religio, quae esset motivum sufficiens in re nostra abstinendi a prole, sed etiam societati necessaria sunt exempla honestae vitae, ad quam valde conducit honestus clericorum caelibatus; etenim in societatibus populi numero refertis, semper plures sunt qui ex necessitate abstinere coguntur a statu matrimoniali; quibus proinde non voluntaria sed necessaria servanda est continentia, ideoque difficilior.

C. *De clericis regularibus.*

171. Cum maxime conducat tum zelo singulorum servando, tum efficaciae ministerii ecclesiastici, unio clericorum in Ordines aut Congregationes, vis enim unita fortior, hinc profecto ius est Ecclesiae, et clericos regulares instituendi aut clericorum Congregationes, et statuendi omnia quae ad ipsos referuntur, eorumque personalitas iuridica est a statu agnoscenda, analoge ad ea quae infra generatim dicemus de publica professione consiliorum evangelicorum.

§ 4.

De sacramento matrimonii.

172. Matrimonium est naturaliter in officium naturae, ideoque in Dei ministerium, tamquam medium ab ipso praeordinatum ad rectam humani generis propagationem atque conservationem, coniuges enim corpus filiorum efformant, et Deus animam immortalem, ad se

directe ordinatam, infundit, ideoque parentes naturae et Deum ministrant. Est pariter matrimonium in officium individui, quia bonum non est homini esse solum, quod regulariter et singulis individuis applicandum est. Est insuper in officium societatis ideo quia ipso mediante familiae procreantur et societas perpetuatur; ideoque directe et naturaliter refertur ad Deum, ad individuum et ad societatem, quamvis ad Deum et ad individuum primario, ad societatem secundario; etenim matrimonium aeque habetur in statu extrasociali, et societatis formatio est eius sequela, quae ipsum iam constitutum subaudit.

Hinc lege divina naturali, voluntate libera contrahentium, et lege sociali, idest civili, regitur, respective pro finibus Dei, individui et societatis.

173. Quoniam autem difficile erat naturalem honestatem in matrimonio servare, ideoque recte Deo inservire, ipse Deus voluit matrimonium specialiter sanctificare et munire, ut supernaturaliter homini daretur ea vis qua naturaliter caret, leges matrimoniales recte servandi.

Hinc illud constituit repraesentativum supernaturalis unionis Christi Domini cum Ecclesia, et ad dignitatem sacramenti novae legis elevavit.

174. Iamvero aliquando disputatum est inter theologos et iuristas, an ipse contractus matrimonialis esset sacramentum, vel tantum materia sacramenti; in prima sententia, realiter separari nequeunt sacramentum et contractus matrimonialis, sed simul habentur; hinc ministri seu personae conficientes sacramentum matrimonii sunt ipsi contrahentes, et forma sacramenti sunt signa sensibilia quibus ipsi mutuum consensum manifestant. In altera sententia sacramentum contractui

supervenit, et minister est sacerdos vel alius clericus ab Ecclesia iurisdictionem habens, et forma sunt verba ab eodem ministro prolata.

175. In contractibus autem distinguitur validitas et liceitas; hinc aliae conditiones pro validitate et aliae pro liceitate; id obtinet et in matrimonio.

Quaesitum autem est primo an conditiones pro celebratione, et praesertim pro validitate matrimonii non elevati ad dignitatem sacramenti, prouti et nunc est apud infideles, possent praescribi tantum lege divina, vel etiam civili; secundo quid iuris quoad matrimonium christianorum. Prima quaestio respicit non modo loca missionum, sed etiam civitates nostras in quibus, praeter hebraeos, aliqui sunt non baptizati, ideoque infideles.

QUAESTIO PRIMA

De iure auctoritatis civilis in matrimonium infidelium.

176. Quoad primam quaestionem sententia communis est affirmativa et pro lege civili, ut tenent Sanchez, Suarez, Schmalzgrueber, s. Alphonsus etc. Non defuerunt tamen quidam, qui id negaverint, ut Feller, Muzzarelli, Barruel, Perrone in suo opere *De Matrimonio christiano*; etiam nostra aetate viri ceteroquin optimi et de religione benemeriti in hanc concesserunt sententiam.

Facilius enim putabant hac ratione excludi posse quemcumque interventum auctoritatis civilis circa impedimenta eiusdem matrimonii, praesertim dirimentia, post eius elevationem. Si enim circa validitatem, seu, ut dicimus, circa vinculum matrimonii nullum ius erat principi ante eius elevationem, multo minus postea.

Hoc, zelo ceteroquin laudabili assertum est, hac nostra aetate in qua potestates civiles sunt ut plurimum Ecclesiae hostiles.

Verum non ratio utilitatis, ut plurimum fallax, attendenda est, sed veritatis; et Apostoli, etiamsi ipsorum aetate magis hostiles essent (quamvis minus culpabiles ob statum infidelitatis) auctoritates civiles, tamen ipsis obediendum esse, aperte inculcabant in iis quae ipsorum sunt, iuxta evangelicum praeceptum, danda esse Deo quae Dei sunt, et Caesari quae Caesaris.

177. Hinc apparenti utilitate non obstante, contraria sententia communis est quia vera ex infra dicendis; imo pro se habet et decisionem sacrae Congregationis de Propaganda Fide, statuentis matrimonia inter infideles (quae dignitatem sacramenti non habent), contra legem civilem irritantem contracta esse invalida.

Perrocheau in sua theologia dogmatica et morali ad usum missionariorum provinciae Sutchuen in sinensi imperio ait, praxim esse a s. Sede approbatam, haec matrimonia dissolvi. Huius s. Sedis approbationis argumentum est explicita et formalis decisio data die 26 Iunii 1820 sac. Cong. de Propaganda Fide, super casu matrimonii proposito a presbytero Eyot in Tunkini occidentalis regni missionario. Casus erat viri infidelis qui contraxit cum infideli, absque caeremonia, cuius omissio de iure civili habebatur ut impedimentum dirimens. Post aliquod tempus vir contraxit cum christiana; postea et ipse conversus est; tunc quaesitum est an deberet interpellare primam uxorem, vel stare cum secunda. Responsum est negative ad utrumque; ad primum, quia obstabat, ut asserebatur, impedimentum ex lege civili dirimens; ad secundum, quia non fuerat petita dispensatio impedimenti disparitatis

cultus [1]). Deinde eadem sacra Congregatio sequenti anno 1821 edidit generalem de hac re instructionem, quae transmissa est ad D. Car. Langlois Directorem Seminarii Missionum exterarum, Lutetiae Parisiorum. In ea instructione adsignatur ut ratio decidendi principium generale, posse principem vel consuetudinem apponere matrimonio infidelium impedimenta dirimentia. « Licet inter infideles verum sit matrimonium, « illud tamen ad naturae et communitatis officium re- « ferri tantummodo potest, ac proinde a iure naturali « et civili plane est moderandum. Sequitur hinc princi- « pes saeculares sive fideles sive infideles plenissimam « potestatem retinere in matrimonia subditorum infi- « delium, ut scilicet appositis impedimentis, quae iuri « naturali ac divino adversa non sint, eadem non so- « lum quoad civiles effectus, sed etiam quoad coniugale « vinculum penitus rescindant.... Et quod de lege prin- « cipis saecularis in hoc casu dicitur, intellige etiam « de legittima consuetudine ».

Analoga resolutio casus particularis edita est a suprema Congregatione s. Officii die 24 Septembris 1854, communicata sac. Congregationi de Propaganda Fide, et refertur ab eodem Resemans op. cit.

178. Ratio autem intrinseca est, res humanas subiici ordinationi legis divinae et insuper auctoritatis civilis, in iis quae eius intersunt nisi alia sit a Deo apposita constituta auctoritas. Iamvero ex dictis matrimonium maxime interest societatis civilis, et ad eam directe, quamvis secundario, refertur. Ergo primario regitur

1) Vide eruditum et accuratum opusculum cl. Adriani Resemans, *De competentia civili in vinculum coniugale infidelium*, in quo affert integrum textum huius decisionis, sicut et instructionis sequentis et responsionis S. Officii. Romae, typ. Societatis editricis romanae 1887.

lege divina, sed secundario et lege humana. Auctoritas enim civilis, et ipsa a Deo constituta est ut negotia humana ordinet ad bonum commune.

179. Fautores autem contrariae sententiae, in eo innituntur quod matrimonium ex dictis sit primario in ministerium naturae et Dei, ideoque a lege divina unice pendens. Sed haec ratio probat quidem legem divinam ante omnia esse servandam, atque illegittimam esse quamcumque humanam praescriptionem eidem contrariam, sed non probat legem humanam superaddi non posse legi divinae. Cum autem societatis intersit negotium matrimoniale, eius auctoritati concedenda est facultas illud ordinandi, quia cuiuslibet societatis auctoritas dimetienda est a fine eius, salvis aliis finibus et finium subordinatione.

180. Sed instant adversarii, aientes matrimonium naturaliter inspectum, quia est in ministerium Dei, aliquid religiosi esse, et attingere relationes immediatas Dei et individui, ideoque excludere interventum cuiuslibet personae quae Dei vices non sustineat. Id confirmant et ex eo quod apud omnes gentes matrimonium sanctificatum sit ritibus religiosis, quod profecto naturalem sensum religiositatis eius ostendit.

Respondemus 1° quoad minorem; etsi lato sensu matrimonium naturaliter inspectum dici posset aliquid religiosi quia in eo ministratur Deo, et quidquid ad immediatum Dei servitium refertur, religiosi actus nomen mereri potest, tamen nequit dici actus religiosus proprie loquendo. Actus enim religiosus stricte sumptus est quo homo Deum directe agnoscit ut Deum, (idest ut suum Creatorem, Conservatorem, Finem etc.) eique utpote tali cultum tribuit (seu adorationem, amorem, gratitudinem etc.) Est enim religio « complexus

relationum moralium inter Deum et hominum, » seu relationum quae in mentis cognitione et voluntatis affectu consistunt.

Iamvero si consideremus matrimonium per se, initur a contrahentibus directe ut habeant adiutorium simile sibi et ut prolem sibi acquirant quae aliquomodo ipsorum personam perpetuet in hoc visibili mundo et sit baculum senectutis. Ad hoc immediate tendit matrimonium prout allicit ex sui natura contrahentes; ergo natura seu Deus contrahentibus hunc finem immediate et directe obiicit, etsi Deus per hoc aliquid ultra intendat. Cum enim prolis educatio magnam secumferat difficultatem, hinc validis stimulis physicis et moralibus (seu affectus) Deus ad statum matrimonialem allicit, ut affectuum impulsione homines facile ducat ad eum terminum ad quem difficile tenderent considerationibus mere rationalibus. Quamvis autem homo iustus in contrahendo et id intendat, nempe ut prolem procreet ut sic multiplicet veri Dei cultores in hac et in futura vita, tamen immediatus finis est ut procuret sibi adiutorium simile sibi et ut in hac vita prole sua laetetur. Imo hic finis habendi prolem non est essentialis; secus coniuges tenerentur matrimonium consummare, quod est falsum iuxta omnes theologos. Ergo finis essentialis est adiutorium mutuum. Hinc falsum est matrimonium directe respicere relationes immediatas individui cum suo Creatore, cum potius respiciat relationes immediatas cum semetipso ut habeatur illud adiutorium simile sibi et prolis laetitia.

Quod autem matrimonium apud omnes gentes sanctificatum sit ritibus religiosis, rigorose loquendo verum non est, cum in ipsa Ecclesia, etiam ubi Tridentinum publicatum est, nullus requiratur ritus religiosus pro

eius validitate, sed tantum regulariter pro liceitate. Deinde ipse ritus religiosus est utique res religiosa, sed non semper religiosa est res quae per eum celebratur. Solet enim accedere rebus quoque profanis, magni praesertim momenti, ut sanctificentur vel divinum adiutorium in eis peragendis imploretur. Ita dux ad bellum profecturus, benedictionem armis suis procurat; imo quotidie cibum ipsum benedicimus. Non est ergo mirum si homines matrimonium, quod tanti momenti est, ritu religioso in statu quoque naturae sanctificare curaverint, quamvis in se proprie religiosam naturam non praeseferret.

181. Quoad maiorem, idest quoad principium generale subintellectum in proposita difficultate, hoc erat, nempe auctoritati civili in naturali statu nullum esse posse ius in re religiosa socialiter considerata.

Agentes generatim de iure civilis potestatis in re religiosa in statu merae naturae, vidimus lib. I. part. I. cap. 3. art. 3. q. 2., hoc principium esse simpliciter falsum, cum et ius sit ei negativum excludendi abusus, et etiam positivum saltem devolutive si nulla alia sit constituta auctoritas religiosa iure gentium vel positivo cuiusque societatis.

182. Verum nos non vindicamus potestati civili ius ordinandi matrimonium in statu naturae, ex eo quod est actus religiosus socialis, sed quia refertur directe etiam ad bonum sociale.

183. Sed gravior difficultas adversariorum est haec: « Matrimonium, utpote quod originem dat familiis, antecedit formationem societatis, ideoque absurdum est subiiciatur legi ipsius societatis ».

Verum vel consideramus matrimonium eorum qui contrahunt non adhuc extante societate, vel eorum qui

in ea iam constituta; si primum, certe physice impossibile est lege sociali ordinetur; sed non de his loquimur; si secundum, tunc potest et lege civili dirigi si sermo sit de potentia physica; neque absurdum est possit et iure. Etenim difficultas subaudit hoc aliud principium, nempe societatem utpote historice derivatam a praeexistente persona physica et morali seu familia, nihil posse in iis quae ei causam dederunt. Sed hoc est falsum, quia natura non modo intendit societatem civilem ad mutuas ordinandas relationes familiarum, sed ad integrum bonum temporale praesens totius hominis; seu eius ius perficit integrum hominem, ideoque sibi subordinat integrum hominem; hinc reagit et in eos qui ei causam dederunt, ideoque familiae, ea constituta, amittunt suam independentiam, et quamvis conservent aliqualem autonomiam, tamen oportet modificent suam iuridicam positionem et suas internas relationes, prout exegerit ratio boni communis, cuius iudex est ipsa socialis auctoritas. Ideoque primae familiae constituuntur iure absque societate civili; sed ea efformata, melius constituuntur iure civili.

Hoc valet non modo quoad matrimonium, sed et quoad reliqua, ex. gr relationes patrisfamilias cum filiis, quae utique sunt naturales, sed non modo ponuntur sub vigilantia societatis ut suppleat et corrigat, verum etiam modificantur prout exegerit ratio boni communis. In societate enim oportet socios coëxistere, ideoque non quidem amittere suum statum sed illum modificare.

QUAESTIO SECUNDA

De iure civilis auctoritatis in matrimonium christianorum.

184. Resoluta hac quaestione, superest secunda: quid iuris auctoritati civili circa matrimonium christianorum, quod ad dignitatem sacramenti elevatum est? Et quidem si vera esset sententia quae contractum distinguit re et separat a sacramento, nisi positiva obstaret Dei dispositio, quae probanda esset, admitti adhuc deberet ius potestatis civilis circa validitatem matrimonii seu circa vinculum. Etenim ipsa rei natura immutata non fuisset, ideoque sacramentum superveniret contractui iam legittime existenti, et esset legittimus cum satisfaceret legi tum divinae tum civili.

185. Hinc regalistae omnes solebant mordicus hanc defendere sententiam. Verum haec sententia in praesenti nullo modo defendi potest. Etenim summus Pontifex Pius IX. fel. me. in litteris die 19 Septemb. 1852 ad Regem Sardiniae datis declaravit, inter christianos nullum subsistere matrimonium ut validum contractum, quod sacramentum non fuerit, ideoque inter christianos rationem sacramenti et contractus esse inseparabilem seu, quod idem est, sacramentum et contractum in facto non distingui.

« Fidei enim dogma est (ait ibi Pontifex), matri-
« monium a Domino nostro Iesu Christo ad sacrament
« dignitatem erectum esse; atque ex Ecclesiae doctrina
« sacramenti ratio non qualitatem aliquam accidenta-
« lem refert contractui superadditam, sed ad ipsius
« matrimonii essentiam pertinet ita ut unio coniugali
« inter christianos non sit legittima nisi in matrimo

« nio quod sit sacramentum, extra quod non habetur « nisi concubinatus ».

186. Theologice autem haec sententia probatur ex ea Concilii Tridentini definitione, sess. 24. cap. I. *de ref. matrim.* qua edixit matrimonia clandestina post ipsius Concilii decretum specialissime promulgatum, non amplius fore legittima et rata. Igitur ante Concilium Tridentinum matrimonia clandestina, seu absque legittimi ministri Ecclesiae praesentia celebrata, erant legittima et rata; item legittima et rata sunt et nunc ubi citatum decretum Concilii Tridentini non fuit promulgatum.

Iamvero matrimonium dicitur ratum, quod est christianorum proprium, rationem habens sacramenti [1]). Ergo benedictio ministri Ecclesiae non est de essentia huius sacramenti; hinc minister huius sacramenti non est minister Ecclesiae, sed sunt ipsi contrahentes, et contractus a sacramento non distinguitur. Quod patet et ubi Concilium Tridentinum est promulgatum; etenim requiritur quidem ad validitatem praesentia parochi aut ordinarii, vel delegatorum ab eis, sed pro validitate sufficit mera ipsorum praesentia, quin benedictionem impertiantur aut aliquid aliud agant, imo etsi sint contradicentes. Ergo parochus ex mente Concilii non est minister sacramenti, sed testis qualificatus seu auctoritativus, cuius praesentia est necessaria ut contrahentes sint habiles ad contrahendum.

187. Posita igitur identitate sacramenti cum contractu, sequitur potestati civili, omne ius ademptum esse circa vinculum matrimoniale, ideoque omnes causas illud respicientes, ad forum ecclesiasticum natura

1) Cap. 7. *de Divortiis.*

sua spectare. Id autem theologi, Ecclesiae definitionibus ostendunt; hinc secundae quaestioni propositae, negative respondendum est.

Quidquid attingit vinculum, attingit ipsum sacramentum; hinc quidquid refertur ad eius validitatem aut ad liceitatem actus per se inspectam, refertur ad sacramentum; hinc matrimonium attingit quatenus est elevatum, seu supernaturale effectum. Iamvero quidquid supernaturale est, est competentiae ecclesiasticae, et absurdum est esse competentiae civilis, seu potestatis ordinis naturalis. Ergo et matrimonium.

188. Et quoniam et sponsalia relate ad suam validitatem, referuntur directe ad vinculum contrahendum vel non, hinc ipsorum quoque iudicium est competentiae ecclesiasticae [1]).

Diximus: quidquid refertur non modo ad validitatem, sed etiam ad liceitatem vinculi per se inspectam; etenim aliae sunt dispositiones quae requiruntur pro ordinata et honesta susceptione alicuius sacramenti, et in genere pro cuiuscumque negotii expeditione, attenta tantum rei natura, et aliae quae per accidens supervenire possunt ex extrinsecis adiunctis; iudicium de illis vel ordinatio positiva in re religiosa ad Ecclesiam spectat; quoad secundas locum habere potest et iustum praeceptum alterius auctoritatis, puta patris familias, aut principis, de cuius tamen iustitia iudicare semper spectat ad Ecclesiam, tamquam ad supremum moralitatis tribunal. Ex. gr. statuere quaenam requirantur pro recta missae auditione, ratione ipsius actus, ad Ecclesiam spectat, sed quando Ecclesiae praeceptum non urget, poterit pater familias iusta de causa

1) Vide proposit. 58. damnatam a Pio VI. in Bulla *Auctorem fidei.*

id interdicere filio, puta quia indiget eius ministerio. Tunc actus fit illicitus, non ratione sui, sed per accidens, ob extrinsecam circumstantiam, et praeceptum patris non est religiosum, ideoque non attingit auditionem missae quatenus actus est religiosus, sed est ob necessitatem familiarem, ideoque eius transgressio offendit quidem pietatem, seu obedientiam erga parentes, sed non religionem. Hinc male quis deduceret ex hoc accidentali et extrinseco iure, ius esse patrifamilias ordinandi rem religiosam, cum eam non attingat quatenus religio est, sed ratione circumstantiarum.

Id et in re matrimoniali evenire potest. Hinc proprie dicta impedimenta matrimonii etiam impedientia, ab Ecclesia declarantur vel constituuntur, quamvis ratione alterius virtutis possit aliquid induci et ab alia auctoritate. Sed semper spectat ad Ecclesiae iudicium decernere an haec iure vel iniuria interveniat. Hinc Ecclesia inter sua vetita, et deficientiam rationabilem consensus parentum pro minoribus recensuit.

189. Igitur cum matrimonium referatur ad Deum, cui ministrat, ad officium individuale et ad officium sociale, Deus illud ordinavit positiva lege, excludendo auctoritatem civilem, et omnem potestatem Ecclesiae sui loco concedendo. Iamvero id Deus praestitit non modo iure supremo quo pollet in ipsam societatem, sed et quia cum matrimonium primario referatur ad ipsum cui ministrat, Deus est praecipuus interesse habens in matrimonio, etiam naturaliter loquendo, ideoque exclusit societatem civilem ab eo ordinando, cum ad eam directe quidem, sed minus principaliter referatur. Ordinatio autem Dei, sapientissimi, semper optima est et relate ad individuum atque societatem.

190. Hinc iniuste et insipienter quererentur princi-

pes de suo imminuto iure, tum quia Deus est supremus Dominus societatis ipsius, tum quia ille est cui matrimonium principalius inservit, tum tandem quia Deus consulendo sanctitati matrimonii optime providit et bono sociali.

191. Sed argui posset, leges civiles nequire excludere leges Dei et Ecclesiae, sed cumulative cum eis concurrere posse pro ipsa validitate et liceitate obiectiva matrimonii, ita ut nequeant illud prohibere aut omittere quod illae praecipiunt, vel praecipere quod prohibent, sed posse superaddere, ut supra diximus et de ordinis sacramento, adeo ut pro valida et obiectiva licita celebratione matrimonii necesse sit servare universas has leges; hinc et ministrum Ecclesiae non posset ministerium suum praestare nisi servatis quae iuste antecedenter lex civilis praeciperet.

192. Sed applicando matrimonio theoriam de materiis mixtis lib. I. part. 1ae expositam, solvitur difficultas; idest in re supernaturali vel supernaturalizata, quoad rei substantiam et effectus inseparabiles, competens est tantum Ecclesia, cum repugnet auctoritatem ordinis naturalis, prout est civilis, attingere res supernaturales.

193. Sed remanet videndum an auctoritas civilis excludatur quoad omnes effectus matrimonii etiam temporales. Et distinguendum est inter effectus inseparabiles ab ipsa substantia, et effectus separabiles, qui licet sint naturales seu sponte sua fluentes iuxta normalem cursum rerum humanarum, tamen non sunt rigorose essentiales.

Quoad primos, logice sequitur eos agnoscendos esse et in ordine temporali; qui enim agnoscere tenetur causam ut legittimam, tenetur agnoscere ut legittimos

et effectus ab ea inseparabiles; hinc qui tenetur agnoscere aliquod matrimonium ut validum et substantialiter licitum, tenetur agnoscere ut legittimos et eius effectus vere necessarios; secus esset contradictio. Hinc coniuges qui valide coram Ecclesia contraxerint, a lege civili vere ut coniuges habendi sunt et eis agnoscenda iura coniugum substantialia; item proles habenda est ut legittima, et agnoscendae sunt obligationes parentum substantiales erga eamdem, et eius iura substantialia.

Quaeri potest an lex civilis valeat constituere matrimonium quod vocant civile, eique iura veri matrimonii tribuere, saltem ad praecavenda mala minora. Et respondetur negative.

Cum enim non sint facienda mala ut eveniant bona, cumque inter christianos quaelibet unio maritalis extra sacramentum matrimonii sit intrinsece mala, nequit praecipi neque ei valent agnosci iura matrimonialia, cum lex civilis nequeat supplere defectum veri matrimonii, a quo tantum valent derivare.

Ex eadem ratione, quod nequeant fieri mala ut eveniant bona, sequitur neque divortium perfectum posse a lege civili concedi, praetextu vitandi mala maiora.

Item patet matrimonium civile haberi non posse iuridice ut verum matrimonium, ob civilem aequalitatem debitam aliquando dissidentibus. Ut enim lib. I. part. I^ae cap. 5. a. 3. § 1. q. 5. expositum est, nequeunt agnosci effectus iuridici actus in se invalidi, quoties auctoritas civilis nequit causam invaliditatis supplere, quod in re nostra verificatur.

194. Praeter hos effectus inseparabiles, sunt et alii qui rigorose separari possunt. Ex. gr. quantitas dotis debitae; iura successionis coniugum erga parentes, sive

quoad nobilitatem sive quoad bona; item successionis coniugum reciproce, vel filiorum ipsorum quoad bona aut nobilitatem, praesertim si concurrant duo successiva matrimonia, unum contractum iuxta leges ecclesiasticas tantum, et aliud etiam iuxta leges civiles. Hos omnes appellabimus effectus mere civiles; etenim rigorose sunt ab essentia matrimonii separabiles; etsi enim coniuges debeant sibi adiutorium, tamen quantitas bonorum materialium ab uxore tradenda viro, seu dos, non est iure naturae determinata neque rigorose necessaria; item a patribus danda sunt filiis alimenta et educatio, regulariter proportionata statui ipsorum, sed haereditas in nobilitate pendet a iure civili; item haereditas quoad bona, a iure civili potest saltem modificari iuxta exigentias societatis.

Iamvero cum hi effectus sint de se temporales, spectant per se ad auctoritatem civilem; cumque sint separabiles a substantia, hinc non adscribuntur ut accessorium principali, auctoritati Ecclesiae, sed de eis disponit lex civilis. Hinc potestas civilis iure leges fert de conditionibus sive antecedentibus, sive concomitantibus, sive subsequentibus matrimonium, ut his effectibus gaudeant contrahentes, dummodo in his legibus servetur subordinatio Ecclesiae, quatenus nihil praecipiatur quod ipsa prohibet, aut prohibeatur vel spernatur quod ipsa imperat.

195. Sed ulterius quaeri potest an matrimonium valide contractum sed contra leges civiles, non modo effectibus civilibus possit destitui, sed etiam ulterius puniri in contrahentibus aut in ministro Ecclesiae.

Et distinguendum est: fieri potest matrimonium in facie Ecclesiae fuerit tantummodo validum et non licitum, vel etiam fuerit licitum. (In primo casu lo-

quimur de liceitate, quam supra diximus obiectivam, non attendendo subiectivam quam ipsa lex civilis attingere potest).

Si primum, puniri utique potest ab auctoritate ecclesiastica; hinc civilis auctoritas posset intervenire praecedente iudicio Ecclesiae; etenim actus est illicitus ob violatas leges Ecclesiae, de quarum violatione iudicium ferre spectat ad Ecclesiam.

Hoc posito, civilis auctoritas potest intervenire 1° nomine Ecclesiae, eius sententiam executioni mandando; 2° nomine suo quoad laicos, quoniam has leges Ecclesiae servari plurimum interest et pro bono temporali; sed tunc servandum est quod diximus lib. I. generice de protectione religioni debita a statu, idest non plus punire quam patiatur ipsa Ecclesia; hinc punitio nequit consistere in privatione iurium substantialium matrimonii. Hoc enim esset ipsam validitatem actus inanem reddere, et sic etiam eluderetur lex ecclesiastica.

196. Si autem secundum, idest si actus esset coram Ecclesia et validus et licitus, ab auctoritate civili non posset puniri, sed tantum privari effectibus mere civilibus. Nequit enim puniri quod honestum est.

197. Sed obiici posset ad plenam actus honestatem requiri et observantiam legum civilium, quae de cetero iuste superadditae sint ecclesiasticis; hinc quoniam bonum ex integra causa et malum ex quocumque defectu, posset huiusmodi actus puniri ob inobedientiam legi civili.

Verum animadvertendum est 1° Ecclesiam aliquando ob exceptionales circumstantias habere ut omnino iusta et honesta matrimonia (et item dicatur de reliquis), quae non satisfaciunt legibus civilibus, ex. gr. matri-

monia conscientiae (quorum postea existentia detegi potest); hinc nullo modo possunt a lege civili puniri, quia contradiceretur Ecclesiae, iudicando illicitum quod ipsa iudicat undequaque honestum. Hinc tantum possunt destitui effectibus mere civilibus.

198. 2° Sunt alia matrimonia quae Ecclesia declarat honesta per se inspecta, cum nullo impedimento ab Ecclesia recognito afficiantur; sed tamen non satisfaciunt legibus civilibus quas Ecclesia iudicat posse servari, etsi eas nomine suo non praecipiat; haec matrimonia sunt obiective iusta, sed subiective illicita, per accidens, non quatenus actus religiosus, sed ob extrinsecam circumstantiam. Quaeritur an ratione huius circumstantiae possint a lege civili puniri vel non.

199. Vel sermo est de ministro Ecclesiae, vel de ipsis contrahentibus. Minister Ecclesiae nequit puniri, quia esset ei legem praescribere in sui ecclesiastici ministerii exercitio. Iamvero hoc est contra Ecclesiae libertatem et independentiam.

Insuper exigere a ministro observantiam legum civilium, esset exigere concursum utriusque legis pro substantia actus, quae cadit unice sub lege ecclesiastica; sed hoc est iniustum. Ergo minister puniri nequit ob non servatas leges civiles.

200. Ex hac ratione apparet ipsam celebrationem matrimonii in forma Ecclesiae, omissis praescriptionibus civilibus, neque puniri posse in ipsis contrahentibus, sed tantum puniri posse omissionem praescriptionum civilium, quae poterant absque iniuria erga Ecclesiam observari independenter ab ipsa substantia.

Haec quoad secundam quaestionem.

201. Sed obiici posset: quid si status non sit catholicus, ideoque putet se adhuc esse in iusta possessione

iuris naturae circa impedimenta matrimonio apponenda, ideoque exigeret observari et a catholicis eam formam quam pro validitate praescribit?

Resp. aliam esse quaestionem iuris, aliam prudentiae. Quoad ius, huius status persuasio est falsa, ideoque destituta iure vero; ad summum habet quoddam ius putativum, seu opinionem inculpabilem de suo iure. Sed cum ex dictis lib. I. part. I. cap. 3. a. 6. § 2., argumenta quae veritatem christianae religionis ostendunt, saltem probabilia ei apparere debeant, ideoque admittere debeat ex civibus plures esse posse qui eisdem moveantur, cumque aliunde christiana religio satis consulat bono sociali in suis praescriptionibus, imo locum relinquat legi civili pro effectibus mere civilibus ordinandis, oportet permittat contrahere in forma Ecclesiae, contentus suis praescriptionibus pro effectibus mere civilibus; secus laederet libertatem conscientiae suorum subditorum.

Quoad Ecclesiam autem, pertinet ad eius prudentiam decernere quas leges civiles debeat adoptare, et sic facere religiosas, et quas permittere pro effectibus civilibus, sicut ad ipsam spectat iudicare quas respuere debeat quia dogmati contrarias. Quod si status insisteret in suis iniustis legibus, tunc a fidelibus attendendae non sunt, et sumus in casu in quo per accidens necesse est detrimentum temporale sustinere ob libertatem spiritualem.

ARTICULUS III.

De iure Ecclesiae quoad sacramentalia, praesertim circa cultum divinum.

§ 1.

De iure Ecclesiae quoad sacramentalia generatim.

202. Quid sint sacramentalia scimus ex institutionibus iuris canonici, idest analoge ad sacramenta, Ecclesia instituit, potestate accepta a divino Fundatore, signa quaedam sensibilia quae gratiam significant et impetrant ex precibus Ecclesiae; ideoque etsi operentur non ex opere operato ut sacramenta, sed ex opere operantis, tamen ex adnexis Ecclesiae precibus eiusque institutione, multum iuvant pie utentes, ideoque plus iuvant quam opera pietatis, privata singulorum actione praestita.

203. Ecclesiam hanc pollere potestate theologi ostendunt, nec non perpetua eius praxis; imo confirmat omnium religionum factum, quae ritus quosdam plus vel minus solemnes aliaque sensibilia signa ab auctoritate religiosa instituta habuerunt et habent quibus proselyti adiuventur in cultu divinitati praestando et se ipsos eidem acceptos reddendo. Et sane, ipsa rei natura ostendit hanc potestatem ad auctoritatem religiosam referri, ideoque verae Ecclesiae deesse non posse. Cum enim proprium sit auctoritatis religiosae, omnem cultum divinitatis determinare et ordinare, nec non fideles adiuvare ut Deo accepti fiant, cumque Ecclesia positive habuerit ad hoc plenissimam auctoritatem, et preces Ecclesiae utpote sponsae sine macula et sine ruga, semper acceptae sint Deo, ideoque sin-

gularem praeseferant efficaciam, patet ei competere potestatem sacramentalia instituendi.

204. Sed insuper haec potestas est eius exclusive. Etenim directe refertur ad finem spiritualem; imo per se refertur unice ad finem spiritualem, imo supernaturalem, cum tendant ad gratiam impetrandam atque sanctificationem procurandam, augendam et conservandam ex sui natura. Quae autem directe ad vitam aeternam ordinantur, exclusive pertinent ad Ecclesiae potestatem.

205. Quod si per accidens conflictus aliquis exurgat cum fine temporali, tunc regulae generales sunt applicandae; idest 1° si conflictus vitari poterit, alia ratione aeque providendo fini spirituali, faciendum est; verum iudicio et auctoritate potestatis ecclesiasticae, cum potestati civili sit tantum facultas reclamandi; 2° si conflictus vitari non potest, praevalet ordo spiritualis.

206. *Divisio* autem sacramentalium clare innuitur per notum versiculum: *orans*, *tinctus* (aspersiones), *edens*, *confessus*, *dans* (eleemosynas), *benedicens*, in quo indicantur omnes species; sed nobis alia divisio, nostro scopo magis accommodata est proponenda; idest sacramentalia vel diriguntur ad privatam cuiusque sanctificationem vel ad publicum sanctificationis ministerium; rursus quaedam ad vivos iuvandos, quaedam ad mortuorum cultum referuntur; quae quidem alia ad primum praecedentis divisionis membrum referuntur, utpote suffragia specialia, quaedam ad secundum, utpote ad publicam communionem et charitatem erga defunctos exercendam ordinata.

207. Rursus quaedam privatam respiciunt sanctificationem, singulorum distributive, et quaedam plurium collective seu per adsociationes; quae quidem aliquando

et referuntur ad publicum ministerium sanctificationis aut charitatis; id enim praestant ordines et aliae adsociationes religiosae iuxta divisiones infra tradendas.

Iamvero de his agemus articulo praesertim V. et etiam VI. Omittimus autem pertractare de sacramentalibus quae ad privatam referuntur sanctificationem vivorum, ut benedictiones innumerae, vel ad speciale aliquorum suffragium mortuorum etsi fiant publice, ut anniversaria et alia huiusmodi; de his enim nihil pro re nostra dicendum occurrit; sufficit enim vindicasse Ecclesiae generalem potestatem haec instituendi et ordinandi. Hinc ad eam exclusive pertinet invigilare ne superstitiones in his inolescant; quatenus autem ad publicum cultum referuntur, ut dicta anniversaria et alia solemnia suffragia, comprehenduntur in secundo primae divisionis capite.

208. Tamen non defuerunt aliquando et in hac re usurpationes quaedam civilis potestatis, ut sibi vindicaret interventum, praetextu superstitionis; verum refutatio huius abusus pendet omnino a principiis generalibus hactenus enunciatis, id est quidquid directe refertur ad finem spiritualem competit Ecclesiae.

Igitur specialiter de iis sacramentalibus agendum in praesens est quae referuntur ad publicam sanctificationem vivorum quae in publico cultu divino consistit, et de iis quae ad publicam communionem cum defunctis; et quoniam pro utroque scopo, societas religiosa indiget locis specialibus, hinc 1° agendum de loco cultus divini; 2° de tempore; 3° de modo, seu de ipso cultu divino, idest de actibus et ritibus in quibus consistit; deinde speciatim de communione cum mortuis; hinc 4° de loco sepulturae, seu de coemeteriis; 5° de ritu sepeliendi; 6° de sepultura ecclesiastica concedenda vel non.

§ 2.

De cultu divino.

N. 1.

De loco.

Et 1° de templis; 2° de processionibus; 3° de exponendis sacris imaginibus.

A. *De templis.*

209. Ut cultus publicus rite exerceatur, necessaria sunt loca determinata, seu templa, in quibus plebs christiana conveniat, et verbum Dei audiat, sacrificio adsistat et aliis ecclesiasticis functionibus participet. Hinc quoniam Ecclesiae ius est acquirendi sibi necessaria, ius est sibi haec loca procurandi ac respondentia aedificia elevandi, ipsorumque numerum et formam exclusive determinandi, cum de obiecto agatur quod directe fini spirituali inservit. Hinc abusus est si civilis potestas velit numerum templorum limitare sub praetextu excessivae quantitatis; iudicium enim de hac re ad ecclesiasticam spectat auctoritatem, quia cui spectat iudicium de fine, spectat et iudicium de mediis proportionatis.

Item abusus est exigere praecedentem gubernii permissionem. Etenim ius Ecclesiae est liberum et exclusivum in hac materia, utpote per se spiritualis.

210. Et quoniam templis plures conceduntur et concedendae sunt, ut infra videbimus, immunitates, hinc quidam regalistae ius guberniorum limitandi numerum templorum aut concedendi praeventivam facultatem eadem erigendi, deducebant ex eo quod gravent so-

cietatem, ex. gr. quia non solvunt publica vectigalia (tassa fabbricati ecc.). Verum quoniam Ecclesia ius habet exigendi has immunitates, pro tot exigit templis, quot necessaria iudicaverit. Si autem essent concessiones ex mero favore status procedentes, ad summum sequeretur eas a statu limitari posse templis sibi benevisis, non autem simpliciter impediri posse erectionem templorum quae Ecclesia vellet, etsi carentia privilegiis. Gravamen autem quod exinde societati consequitur, est iustum et abunde compensatum ex beneficiis quae religio in societatem infert, ut dicitur generaliter de privilegiis Ecclesiae.

211. Sicut Ecclesiae ius est liberum templa erigendi, ita et collabentia restituendi, imo quodam sub respectu maius, cum plus offendatur ex impedimento conservandi quae habet, quam ex prohibitione nova erigendi; hoc ius proinde tantum per summam iniuriam ei denegari potest.

212. Item notandum est quoad formam, apud omnes gentes, templa specialem sibi vindicasse structuram qua et accommodata essent usui sacro et multae plebis unioni, et exterius repraesentarent suam destinationem. Igitur ius est Ecclesiae suis templis dandi eam formam quam expedire putaverit, servatis tantum iustis aedilitatis legibus; dicimus iustis; si enim ex odio in Ecclesiam leges laesivae de hac re conderentur, profecto ab Ecclesia possent iure sperni et cassari.

213. Neque obiici potest specialem formam aliquando prohiberi sectis acatholicis aut non christianis; item nova templa aedificare vel etiam collabentia reparare. Haec enim fiunt erga sectas tantum toleratas, nos autem agimus de vera Ecclesia quae habet ius existendi, quod a societate unice agnoscitur vel saltem agno-

scendum est ut par ceteris, iuxta dicta de relationibus Ecclesiae cum statu falsae aut mixtae religionis, lib. I. partis primae.

Tandem quammaxime decet templa esse immunia ab auctoritate laica, et Ecclesia ius habet hanc immunitatem sibi vindicandi iuxta regulas generales de immunitate quas exponimus.

214. Templa I. eximuntur a profanis usibus; etenim non concordant usus profani et sacri; iuxta indolem humanae naturae, necesse est ut in actibus externis maxima reverentia circumdentur obiecta sacra, seu personae, loca et res quae divino cultui destinantur; est enim lex fundamentalis adsociationis idearum, obiecta nobis in mentem revocare ea ad quae eadem servire animadvertimus; hinc quae profanis usibus profanos sensus excitant, esto honestos, sed positive non sacros; hinc necesse est ut templa sacris tantum inserviant, si utiliter ad sacra nos excitare debent; et proinde immunia sint ab usibus profanis, si qui legi imponantur ceteris aedificiis; et multo magis iniusta esset lex quae specialiter templa gravaret. Hinc Ecclesia sua templa consecrat vel benedicit pluribus ac solemnibus sacramentalibus.

215. Verae autem necessitatis causa et ad profanos usus poterunt occupari, quod regulariter fit transitorie, puta tempore belli, pestilentiae, inundationis, ut habet cap. 2. *De custodia Eucharistiae;* necessitas enim non habet legem; et tunc ratione charitatis, usus adhuc pius dici potest. Sed id semper cum beneplacito Ecclesiae, quae consensum suum ex officio dat quoties viderit veram esse necessitatem, cum ad eam de eadem iudicare spectet, utpote superiorem societatem.

216. Multo autem magis apparet iniustitia legum

quae exigunt in eodem templo exerceri cultus diversos, ita ut diversis horis diversae religionis exercitium habeatur, puta catholicae, schismaticae etc. Etenim etsi Ecclesia ex supradicta lege necessitatis possit et id permittere, tamen iniquum est ad id eam cogere. Potest quidem permittere, cum non agatur de re intrinsece mala; sunt enim res valoris relativi, cum totum negotium, ut patet ex allato argumento, pendeat ab influxu quem exercent in affectibus humanis excitandis iuxta communiter contingentia. Iamvero etsi optimum modum eosdem excitandi eligere debeamus cum datur facultas, tamen et modos minus idoneos amplecti possumus, cum nihil melius valemus. Hinc ubi Ecclesia careret alio templo, posset et promiscue uti.

Sed iniustitia est 1. quando catholicis impeditur proprii templi aedificatio; 2. quando catholici expoliantur proprio templo et dissidentibus permittitur usus partialis eiusdem. Etenim praescindendo a laesione dominii in secundo casu, semper adest laesio iuris religiosi, cum locus in quo exercetur cultus acatholicus, sit nobis positive profanus, imo sensu vulgari execratus, ergo ex lege illa adsociationis idearum, minime idoneus ad cultum Deo tribuendum; imo potius afflictionis existit. Si autem tempore procedente, res minus offendit, est quia ab assuetis non fit passio; sed res semper in se minus recta et catholicis iniuriosa remanet.

217. Deinde cum communio externa de se exprimat communionem animorum, communio exterior in loco religioso, de se exprimit communionem religionis; ideoque si absque necessitate fiat, producit indifferentismum; et indifferentismus est et desiderium illum propagandi quod tales leges suggerit.

Hinc etsi sit unica communio civilis inter omnes

cives, tamen nequeunt cogi ad unicam communionem religiosam, quia ad religionem falsam nemo cogi potest, et falsa est quae indifferentismo innititur.

218. II. Templa immunia sunt a civili auctoritate. Hoc non indicat numquam eam posse ibi intervenire per se, ex. gr. ad reos capiendos, praescindendo a positiva lege ecclesiastica, sed quod per se haec loca subsunt iurisdictioni ecclesiasticae.

Et sane cum sint destinata exclusive cultui, et cultus cura exclusive sit competentiae ecclesiasticae, hinc et loca haec exclusive pendent ab Ecclesia. Etsi enim religio sit officium sociale, tamen, saltem facta institutione Ecclesiae, quidquid ad eam refertur, ab Ecclesia exclusive dependet, sive personae sint, sive res, sive loca, saltem prout ad religionem referuntur. Cum autem templa nullum alium usum habeant praeter sacrum, exclusive et semper per se ab Ecclesia pendent. Tantum per accidens evenire potest ut auctoritas civilis indigeat exercitio alicuius actus suae iurisdictionis in eisdem. Tunc autem ipsa rei natura suggerit ut iudicium, si tempus concesserit, huius iustae causae interventus extraordinarii, ad Ecclesiam spectet, utpote societati superiori. Quae ratio saltem ostendit fundamentum naturale cui innituntur leges positivae ecclesiasticae de immunitate templorum conditae.

219. III. Templorum immunitas speciatim importat exemptionem a vectigalibus publicis; etenim vectigalia publica utique solvuntur ut cives concurrant expensis necessariis publico bono promovendo; verum quidem est et templorum securitatem defendi a civili potestate, ideoque hoc sub respectu et templa solvere deberent vectigalia; sed ex alia parte onus Deum colendi est societatis integrae; hinc templum est aedificium in quo

societas satisfacit officio suo; sed aedificia publica, natura sua sunt immunia a vectigalibus; etenim cum ipsi societati inserviant, iustum est ea a societate defendi, ideoque expensae ad hoc necessariae, derivandae sunt ab aliis bonis civium quae non integrae societati inserviunt sed singulis privatis.

Si autem societas sit mixtae religionis, ad summum sequetur eamdem immunitatem concedendam esse templis omnium religionum quas status agnoscit, non quidem intuitu falsae religionis, sed civium eis utentium, non autem catholicae seu verae religioni esse denegandam; semper enim societas agnoscere debet officium Deo cultum praestandi, ideoque aedificia sacra habere debet ut destinata publico huic muneri satisfaciendo.

220. Cum inspectio hygienica sit per se competentiae civilis, praescriptiones relativae, de cetero iustae, erunt et in Ecclesiis observandae. Hinc tempore epidemiarum poterunt plura praescribi tum circa tempus, tum circa alia opportuna; et idem dic de processionibus de quibus infra, quae praescriptiones pro Ecclesia habent tantum vim directivam et non coactivam, si de cetero iustae sint.

Dicimus si de cetero iustae; etenim dispar est conditio societatis subditae et societatis independentis, imo et maioris, in iis in quibus per accidens competit alteri societati perfectae aliquod ius; societas enim imperfecta simpliciter tenetur leges societatis suae perfectae observare, (nisi inhonestae sint aut nimis onerosae simul et iniustae), quin iudicium praeventivum possit emittere. E contra societas independens praecedenter inspicit leges alterius, et si iniustas inveniat, de eis conqueritur easque spernit; ex. gr. si aliqua natio possideat in territorio alterius, ratione huius possessionis

pendet ab eadem; ideoque eius leges servare tenetur in negotiis relativis; sed si sibi specialiter iniuste onerosae fuerint, tunc utitur sua independentia ad res suas defendendas. Hinc videmus nationes exigere ad invicem damnorum reparationem quae suis subditis in alieno territorio illata fuerint eosque adsistere. In qua re etsi quoad singula negotia multum possint conventiones et consuetudines iuris gentium, tamen principium generale stat, idest: societates perfectas et iure pares, et in iis in quibus per accidens pendent ab alia, uti sua independentia in ponderandis legibus sibi ab ea datis; etenim subiectum obligationis est independens etsi ratione materiae sit dependens; hinc prout subiectum est, procedit servata dignitate suae independentiae, quod importat ipsum iudicare de valore obligationis quae ei imponitur. Hinc multo magis hoc iure utitur societas independens et iure superior, prout est Ecclesia.

B. *De processionibus.*

221. Egimus de locis specialiter destinatis cultui publico exercendis.

Verum quaeri potest an extra septa Ecclesiae in locis ipsis publicis, puta in plateis et viis, ius sit actus quosdam cultus divini exercendi. Etenim inter ritus cultus catholici sunt et processiones, quarum quaedam dici possunt necessitatis et aliae utilitatis. Necessitatis voco quae Viaticum comitantur, et mortuorum cadavera, de quibus numero sequenti; utilitatis, reliquas, puta peregrinationum, imaginum, reliquiarum, litaniarum etc.

222. Quaestio autem generalis haec est: an ius sit Ecclesiae exercendi actus cultus publici in ipsis publicis

locis, specialiter non destinatis cultui divino, neque aliis specialibus usibus profanis. Loquimur de locis publicis, quia profecto nequit ingredi loca privatorum dominis ipsis dissentientibus; in his enim tantum ingreditur ut ipsis volentibus sacramenta vel sacramentalia administret: quod si irrationabiliter haec reiicerent, profecto in eos animadverti posset; sed invitis sacramenta saltem non administrarentur. 2° Loquimur de locis publicis non habentibus aliam specialem destinationem, ex. gr. commercio tantum destinatis, in quibus non omnibus indiscriminatim patet accessus. 3° Loquimur de iure per se inspecto, idest in statu societatis normali, non autem de eo quod per accidens fieri potest, quando vel catholici pauci sunt in societate et ipsorum religio non recognita, vel ob sectarum numerum periculum aliquod est seditionis.

223. Iamvero si de iure in se inspecto sermo sit, profecto potest Ecclesia ritus suos exercere et in publicis locis. Etenim Deo debitus est cultus publicus, et debetur ab ipsa societate humana. Quamvis autem regulariter cultus publicus exerceatur in locis specialiter designatis, tamen maior est publicitas et recognitio a societate Deo tributa, cum per plateas ipsas et vias publicas datur; in Ecclesiis conveniunt tantum volentes; e contra in processionibus cultus divinus manifestatur omnibus, tepidis quoque et negligentibus.

Deinde Deus agnoscitur et adoratur coram terra et coelo, et optime exprimitur eius dominium universale, quia cultus eo melior quo evidentius exprimit in modo quo praestatur, hominis obsequium et Dei dominationem; hinc videmus et in cultu civili, profano aut etiam sacrilego *heroum*, hunc quoque ritum Ecclesiae imitari sicut et alios multos cum in rerum natura fundamentum

habeant suae efficaciae. Modus autem Deum adorandi per processionem, videtur insuper repraesentare cursum humanae vitae, et homines in hac terra peregrinantes et Deum laudantes, aut ab eo misericordiam impetrantes.

Igitur cum expediat haec ratio cultus publici, et aliunde Deo a societate sit debitus cultus publicus, certe ius est Ecclesiae et hunc ritum tenendi.

224. Ex his apparet iniustitia legum quae hunc modum Deum adorandi prohibent; etenim in his apparet voluntas subtrahendi a conspectu societatis ritus religiosos, eosque relegandi in locis clausis, ut veluti privati videantur; hinc societas non ita efficaciter movetur ad cultum Deo debitum, neque impelluntur indifferentes.

225. Omni autem reprehensione maiores sunt leges, quae processiones etiam circum Ecclesiam in territorio ipsius Ecclesiae (sacrato), subtracto a commercio profano prohibent.

Hi enim vere ostendunt se velle ab oculis societatis subtrahere cultum divinum. Etenim cum locus sit Ecclesiae, et sacer, apparet idem esse ac Ecclesiam. Indifferens enim est an templum sit locus undequaque clausus, vel apertus, cum essentia templi in eo sit locum specialiter destinari cultui divino exercendo et praesertim sacrificio offerendo.

Igitur maximae utilitatis sunt processiones, ideoque Ecclesiae ius est eas peragendi.

226. Verum processiones quas diximus necessitatis et magis attendendae sunt. Etenim si ceterae sunt aliquid supererogatorii, primae sunt necessitatis. Cum enim necessarium sit Eucharistiam ad domos fidelium afferre, positive praecipere occultam delationem, est

prohibere cultum et honorem ei debitum; hinc maximam iniuriam irrogat religioni.

227. Videamus quid obiiciant: I. obiiciunt dominium publicum viarum, quod est societatis civilis; hinc saltem eius permissio requiritur; II. impedimentum commercii civilis; III. periculum irreverentiae, ex contradicentibus; IV. rixae; V. hygienis; VI. inconveniens, cum et ceterae sectae idem ius haberent: hinc commercii civilis impedimentum et rixae periculum crescerent.

228. Respondemus ad I^{um}, societatem ecclesiasticam non esse societatem ratione subiecti extraneam societati civili, sed eius membra esse quoque cives; ideoque ius habere ad usum publicum viarum et platearum pro omni scopo honesto, cuiusmodi est cultus divinus; imo 1° in hypothesi societatis christianae quam hic consideramus, subiectum est identicum, et est unica societas materialis humana, quae duplicem formalem societatem constituit; sed onus tribuendi Deo cultum publicum provenit ex eo quod humana societas est, etsi modus satisfaciendi huic officio pendeat a qualitate religionis quam profitetur; hinc est ipsa societas civilis, non quatenus primario est civilis, sed quatenus humana, quae tenetur Deo tribuere cultum publicum eo modo quem auctoritas religiosa designabit. Viae autem et plateae non dicuntur loca profana quatenus exclusive sint destinata usibus profanis, sed quia licet in eisdem, usibus attendere profanis, et si volumus, hi constituunt normalem et frequentiorem destinationem eorumdem.

229. Si II° supponamus tantum aliquos ex civibus esse christianos, adhuc stat ipsos per hunc ritum satisfacere officio sociali reddendi Deo cultum publicum, quod officium cum naturale sit, agnoscendum est et a

reliquis civibus, qui tenentur permittere catholicis ut modo suo Deum publice colant.

230. III.° Si consideremus autem quaestionem non ratione subiecti sed ratione societatis, tunc etsi dominium viarum publicarum dici vellet societatis civilis, quatenus civilis est, et non quatenus humana, idest ad exclusionem societatis religiosae, adhuc tamen verum est ex dictis lib. I. part. I^{ae} de relationibus utriusque societatis, societatem civilem teneri ad deserviendum ecclesiasticae, ideoque illius territorium gravatur servitute passiva in favorem cultus divini.

231. Ad 2^{am} difficultatem respondemus, negotia civilia non turbari ex momentanea occupatione areae publicae causa religiosa, cum commode aliter eis consulatur; non enim Ecclesia tota die aream publicam occupat, sed tempore proportionato ei quod societas debet officiis religiosis. Quod si in magnis urbibus ob cleri et devotorum multitudinem et maximam ritus solemnitatem, ut in festo Corporis Domini, aliquando suspendi debeat publicus transitus, est incommodum relative leve, cui et ob alias minoris momenti causas seu civiles solemnitates, incolae subduntur. Quod si alicubi irrationabiliter nimis protraherentur functiones religiosae extra Ecclesias, esset abusus inferioris alicuius auctoritatis ecclesiasticae; et tunc ei occurritur, sicut ceteris abusibus in hac materia, per recursum ad superiorem auctoritatem ecclesiasticam.

232. Ad III.^{um} Per se loquendo nihil aliud sequitur nisi auctoritatem civilem invigilare debere ne iustus Ecclesiae ritus perturbetur aut irreverenter excipiatur; neque enim per modum regulae abstinendum est a publico cultu divino et aliis bonis praestandis ob timorem irreverentiae ex parte hominum impiorum, sed

potius hi compescendi sunt; secus ex sua malitia obtinerent scopum suum, idest impediendi cultum divinum, et in ipsis Ecclesiis possent eadem tentare. Quod si res in eum statum devenerint ut auctoritas civilis non sit amplius potens viris irreligiosis continendis, id non defectum iuris in Ecclesia, sed potentiae in civili auctoritate ostendit, ideoque ad summum ostendet, quid aliquando prudenter omittatur, non autem quid iure exigatur.

233. Ad IV^{um} eodem modo respondendum est ac in praecedenti difficultate.

234. Quoad V^{um}, id evenire potest tantum tempore aliquo exceptionali, puta pestilentiae, et tunc certo, omittendae sunt eae populorum frequentiae quae morbo propagando conducere possunt; etsi enim debeamus a divina pietate iuvamen impetrare, non tamen Deus tentandus est, et omnes praecautiones naturales sunt servandae. Iudicium autem de periculo quoad morbos, profecto est competentiae civilis. Sed et in hac re adnotandum est quod supra num. 220, idest Ecclesiam, utpote societatem independentem et superiorem, excipere normas a societate civili latas, easdem ad examen revocando, et in casu evidentis exaggerationis easdem iure reiicere, hinc multo magis si ex aperta hostilitate procedant.

235. Sed hic quaeri potest an etiam coactive procedi valeat contra Ecclesiae ministros, si legibus iuste latis hac de causa, non obtemperent. Et respondendum negative, sed tantum superioribus auctoritatibus ecclesiasticis possunt denuntiari ut ab eis puniantur, vel ut ab eis facultas eos coërcendi impetretur. Et ratio est quia etsi haec materia sit per se competentiae civilis, tamen quoniam Ecclesia posset leges civiles ut

iniustas habere, et de eis iudicare ut societas superior, hinc iuridice non liquet, Ecclesiae ministros reos fuisse, nisi praecedente superiori iudicio ipsius Ecclesiae. Secundo, et post hoc iudicium, adhuc verum est substantiam actus fuisse religiosam, ideoque non posse prohiberi ab auctoritate laica, neque ob adiuncta temporalia, sed haec denuntianda sunt auctoritati ecclesiasticae, ut ipsa provideat et prohibeat nomine proprio.

236. Sed dicunt: auctoritas civilis considerat actum prout temporalis est, et in casu citato, considerat hominum conventum; hinc eadem difficultas fieri potest et pro conventu in Ecclesia; praescindit vero an sit ex causa religiosa vel civili.

Resp. Actus humani, ut alias diximus, dividuntur in spirituales et temporales, non quidem quasi illi fiant solo spiritu, et hi solo corpore, sed ex scopo et obiecto; iamvero ex hypothesi obiectum et scopus conventus est religiosus; ergo substantia actus est religiosa, neque prohiberi potest ab auctoritate civili ob alia pericula, quia eius interdictio ferretur in ipsum actum religiosum.

Hinc neque causa periculi politici posset interdici, sed tantum sibi auctoritas civilis cavere posset, parando vires quibus resisteret seditioni.

237. Ex his apparet quid dicendum si in casibus contemplatis in duabus antecedentibus difficultatibus, seu inconvenientiae et rixae, auctoritas civilis iudicaret se impotentem ad delicta praevenienda et compescenda; etenim non posset actus religiosos interdicere, sed tantum monere auctoritatem ecclesiasticam, ut ipsa consulat, et faciat quod prudentia sua melius putat.

238. Neque dicatur officium vitandi seditiones et caedes esse auctoritatis civilis, ideoque in hac re pro-

cedere iudicio proprio; hoc enim verum est cum ex causa temporali oriuntur, non autem si ex spirituali. Tunc enim nequit causam spiritualem auctoritative removere, sed tantum monendo, et rogando, has caedes praevenit, non autem coactive impediendo actus iurisdictionis ecclesiasticae, sicut nec postea eosdem puniendo.

239. Remanet VI. caput difficultatum ex inconvenientibus quae proveniunt concedendo, ut iustum esset, idem ius ceteris sectis.

Verum respondemus ceteris religionibus utpote falsis, non idem ius esse, per se loquendo; ad summum esse ius quoddam subiectivum et putativum ubi legalis tolerantia aut cultuum paritas inducta est; sed tunc semper discrepantia est, nempe in has sectas posse auctoritatem civilem liberius procedere, tum praeveniendo, tum limitando, tum puniendo abusus, quoniam titulo mere humano innituntur, neque innitantur titulo verisimili, divinae originis; hinc sunt saltem in ea conditione in qua essent actus religiosi in statu merae naturae, seu subiecti speciali vigilantiae civili, eiusque repressioni.

C. *De imaginibus sacris publice exponendis.*

240. Per processiones et peregrinationes exercetur cultus divinus in locis publicis transitorie; sed quaeri potest an occasionaliter saltem et causaliter exerceri possit stabiliter, quod fit exponendo publico conspectui imagines sacras, sive in aediculis seu tabernaculis ad id aedificatis, sive in parietibus domorum.

241. Hic mos passim obtinet in regionibus christianis, et opera privatorum, qui ex devotione sua id

praestant. Etsi superioribus saeculis impugnatores habuerit, non tamen causa publicitatis cultus, sed ratione imaginum quas idololatriam sapere contendebant. Hinc eas reprobantes in ipsis Ecclesiis, reprehendebant quoque in publicis viis. Sed qui cultum relativum imaginum admiserunt, earumdem expositionem in publicis viis laudabant. Tantum saeculo superiori et nostro id quoque vetare coeperunt alicubi, sub ratione iuris. Aiebant siquidem ipsarum conspectum offendere dissidentes; ius autem esse singulis civibus ne offendantur in sua fide religiosa; hinc actus religiosos contrarios aliorum fidei, non esse praestandos extra septa templorum ad quae conveniunt tantum volentes; vel saltem officium esse guberniorum ad impediendas rixas haec signa specialis cultus ceteris invisi prohibendi; sic etiam consulitur reverentiae debitae rebus sacris, quum subtrahantur profanationibus quibus saepe exponuntur, ut experientia ostendit.

242. Verum respondemus haec falso asseri, et obiecta falsis inniti principiis indifferentismi saltem politici, nempe systematis asserentis publicam auctoritatem in sociali regimine aeque se habere debere erga omnes religiones. Et sane: societas habet naturale officium profitendi religionem, non quamcumque sed veram; cum autem vera sit tantum catholica, hinc societas per se, ei exclusive uniformari debet; quod si aliquando per accidens potest ab ea praescindere, numquam tamen potest positive ei contradicere, sed tantum quaedam omittere, et quidem iudicio ipsius Ecclesiae.

Igitur ius habet Ecclesia cultum suum publicum exercendi omnibus modis idoneis, quorum iudicium ad eam spectat circa necessitatem vel opportunitatem. Iamvero per se loquendo, expositio imaginum valde conducit

sensui religioso alendo; etenim sunt constans monumentum fidei eorum qui eas erexerunt, et veluti patens professio religionis, et transeuntes movent ad pietatis sensus edendos.

243. Si verum esset principium indifferentismi politici, potius sequeretur, omnibus cuiusque religionis permittendum esse suas exponere imagines, quam omnibus id interdicendum. Etenim principium invocatum, iuxta adversariorum doctrinam, nimis late patet.

Nemo enim offendendus est, ex hypothesi, in sua religione, quatenus ipse non cogatur ad eam contradicendam nec directe afficiatur iniuriis causa religionis, non autem quasi quisque in sua conversatione teneatur abstinere a quolibet actu, ceteris causa religionis inviso. Id enim dum dissidentibus favet, nocet credenti et contradicit eius religioni, quae iuvatur manifestationibus analogis, quae etiam relative necessariae sunt. Hoc principium si urgeretur, omnem cultum externum saltem publicum auferret, cum ipsis templis non esset danda forma specialis, quia athei eius conspectu possunt offendi; hinc ab universa societate omnia signa religiosa essent auferenda. Iamvero et dissidentes contentos esse oportet sibi eadem permitti quae ceteris, et pro societate melius est habeatur aliquis publicus cultus ex parte aliquorum verus, ex parte aliorum falsus, quam carere quolibet cultu; etenim illud saltem servat genericum religionis sensum pro omnibus civibus, et rectum sensum pro pluribus; hoc autem in omnibus extinguit quemlibet religionis sensum.

244. Ex his patet responsio ad 1am obiectionem. Quoad 2am, nempe saltem ad rixas vitandas, posse gubernia haec prohibere, respondemus ut in numero antecedenti, negative si de catholica religione sermo

sit. Etenim gubernii officium erit punire qui indebite alios causa religionis laedent, non autem ad quodcumque periculum praeveniendum, publicam religionis manifestationem prohibere; hoc enim est remedium valde peius adhibere, malo quod praecavendum est; deinde est iniuria; etenim gubernii est proprio marte praevenire rixas et alia damna temporalia, quae ex causa temporali fluunt; cum autem derivant ex causa religiosa, ea praecavere tantum subordinate ad auctoritatem religiosam.

245. Hinc patet responsio et ad 3am, idest gubernionum officium est praecavere quae offendunt reverentiam erga religionem, non iudicio proprio sed Ecclesiae, quae decernit quoties prudentia exigat quaedam bona omittere.

246. Ceterum norma generalis est, a debito ordine non recedendum, nisi cum casus exceptionalis est evidenter demonstratus, ne impiis concedamus quod desiderant, nempe imminutionem cultus divini; et semper prae oculis habendum est, diminutionem huius cultus et societatis discessionem etiam partialem et per omissiones a lege Dei, esse magnum pro ipsa infortunium, cui exponi debet tantum ex vera necessitate, et animo repugnante, ac conante eam auferri, hinc procurante ut verus sensus religiosus cum desiderio plenae suae evolutionis, vivus teneatur in plebe christiana, ut quamprimum cesset status exceptionalis et vigeat status normalis ac exemplaris.

N. 2.

De tempore.

Quaestio de tempore potest 1° respicere designationem dierum; 2° horarum.

A. *De diebus cultui publico destinatis.*

247. Cum sermo est de diebus cultui publico destinatis, intelligi debet 1° de diebus festis de praecepto; 2° de diebus solemnioris cultus etsi non de praecepto. Etenim cultus publicus in Ecclesia quotidie praestatur, et iure, quum Deus semper sit Dominus humanae societatis, ideoque convenienter semper ut talis honoretur, et hoc excellentissimum opus bonum promoveatur. Hinc quaestio tunc incidit tantum in horas; sit 1° de diebus festis de praecepto.

248. Notum est ex morali theologia, imo ex catechismo, dies festos apud catholicos duo importare, 1° abstinentiam ab operibus servilibus, quae constituit negativam sanctificationem diei festi; 2° positivam sanctificationem saltem per adsistentiam sacrificio missae. Saeculo superiori cum dies festi primo imminuti sunt a Benedicto XIV, aderant et dies semifesti, in quibus adsistentia sacrificio erat praecepta sed non abstinentia ab operibus servilibus, quod adhuc alicubi quibusdam diebus ex devotione servatur.

249. Iamvero Ecclesiae ius esse praescribendi sanctificationem diei festi, profecto a nemine qui atheus non sit, in dubium revocari potest. Si enim Deus colendus et quidem publice, profecto modus idoneus id praestandi, ab auctoritate religiosa determinandus est. Et quidem positiva sanctificatio non solet adversarios habere. Etenim Deus est colendus determinatis ritibus, ut communio socialis appareat et ut ordinate fiat; facultas autem haec ordinandi est ex natura sua apud auctoritatem ecclesiasticam. Cum autem actus praecipuus cultus divini sit sacrificium, adsistentia eidem recte praescribitur, et quidem praestanda ab omnibus

eadem die, ut magis appareat esse ipsam societatem quae Deum colit.

250. Sed negativa sanctificatio, seu abstinentia ab operibus servilibus, facilius impugnatores invenit. Verum quam sapienter inducta sit, apparet si consideremus animum sic vacuum a curis saecularibus facilius coelestia recogitare; et non modo, divino adsistere sacrificio sed etiam ceteris sacris functionibus, praesertim verbi Dei praedicationi, ut sic quisque satisfaciat officio procurandi sibi instructionem religiosam ac moralem et semel audita retinendi atque recogitandi. Deinde ipsa ab operibus gravioribus et forensibus vacatio, ostendit melius ipsam societatem Dei cultui attendere, cui pars temporis exclusive dedicatur. Accedit hanc requiescientiam necessariam quoque esse pro ipsa virium corporearum reparatione; hinc Deus apparet nobis ut pater, qui nostra quiescientia honoratur. Sic et affectus familiae renovantur honesta delectatione atque conversatione, a qua plures ceteris diebus impediuntur, sicut fraternitas hominum in eodem templo apparet, in quo et pauperes demirantur artium opera.

251. Iis tamen qui servituti obnoxiae addicti erant, Ecclesia permittebat ut aliquid in sui non autem dominorum utilitatem laborarent.

252. Hostilitas in dies festos saepe causam occultam habet saevam cupiditatem eorum qui cum ipsi indulgeant otio vel operibus non servilibus, vellent populum quotidie defatigari in sui utilitatem; sunt igitur speculantes super aliorum labores et non curant ceteros semper defatigari, citius infirmari ac vitam finire.

253. Obiiciunt igitur operum suspensionem, populos depauperare, cum magnum lucrum impediat, seu septimam saltem partem lucri possibilis.

Respondemus I. Si damnum temporale utiliter sustineatur pro spirituali, iam supervacaneae ac irrationabiles sunt querelae; igitur haec difficultas tantum magni fieri potest ab iis qui vitam futuram non admittunt neque utilitatem cultus divini.

II. Vidimus pro ipsa reparatione virium corporearum utilem esse quiescentiam dierum festorum; hinc tandem directe iuvat ipsam temporalem prosperitatem, praeter indirectam utilitatem quae ex reliquis bonis ordinis intellectualis et moralis, ex iisdem diebus festis derivat.

254. Nostra autem aetate, pluribus in locis dies festus a sociali auctoritate non sanctificatur, sed tantum a privatis qui velint et possint. Etenim officia publica, puta administrativa, et operae publicae quotidie vigent. Hoc autem iniquum est; etenim I. societas ut societas sic non agnoscit diem festum neque Deum honorat; et proinde haec praxis innititur falsae theoriae religionem esse negotium privatum et non publicum, et societatem esse negative atheam.

II. Sic societas impedit plures privatos a festis sanctificandis, puta officiales status vel operarios. Quod si quae sint publica officia aut operae suspensionem non admittentes, puta officia publicae securitatis, vel publicae illuminationis, haec quidem Ecclesia permittit, dummodo necessitas sit vera et non ficta, et dummodo, quantum fieri potest, tempus relinquatur singulis satisfaciendi suis religiosis officiis.

255. Non autem consideramus casum societatis mixtae religionis; etenim tunc limitationes faciendae sunt pro diversa historica origine et pro diversitate aliarum circumstantiarum. Tantum in genere adnotamus, in societate saltem christiana, ad minimum dominicos

dies agnoscendos esse a lege; nobis autem mens non est considerandi societates paganas, aut iudaicas, vel incredulas.

256. Si auctoritati religiosae spectat dies festos statuere qui et a societate civili sunt agnoscendi, profecto ad eamdem religiosam auctoritatem pertinet numerum eorumdem dierum determinare. Hinc omnino illogica se praebent gubernia quae catholicam religionem agnoscendo, aliquos dies festos admittunt, alios autem ut superfluos reiiciunt. Si autem, ut in omni humana re fit, paullatim augeantur dies festi ita ut nimis excrevisse videantur, et non amplius respondere conditioni sociali, res Ecclesiae exponatur quae semper festis, ut dicitur, reducendis, sese facilem praebuit.

257. Quoad reliquas festivitates non de praecepto sed solemniores, eas iuste ab Ecclesia indici apparet, cum et iustissimae causae sint easdem celebrandi, et tantum volentes iis participent; sunt autem semper multi in societate qui absque detrimento iisdem participare possunt.

258. Contra solemniores festos, in genere, obiiciunt eos potius profanationes inducere, seu ebrietates et alia huiusmodi, quam divinum cultum promovere, ideoque iuste aboleri, vel auctoritate civili impediri.

Difficultati propositae respondemus, ab adversariis exaggerari incommoda quae in festis obtinere solent; etenim considerant tantum publica quaedam inconvenientia et non innumera bona quae etiam habentur. Ceterum Ecclesia quae magis sollicita est boni spiritualis, et iudex competens tum de iure, tum de rei utilitate, aliter semper iudicavit, et numquam putavit solemnitates religiosas esse abolendas quia aliqui eis abutuntur. Habent enim solemnitates magnam utilita-

tem in ideis religiosis in societate alendis, cum moveant et indifferentes, et altam ideam rerum religiosarum in populis imprimant; hinc utilissimae sunt. Si vero quaedam aliquando sunt inconvenientia, curandum est ut Ecclesiae praescriptiones observentur ut sic auferantur, vel saltem imminuantur, prout res humanae permittunt; numquam enim perfectae esse possunt, neque omnia valent mala vitari.

Est autem falsissimum posse solemnitates religiosas a civili auctoritate interdici causa quorumcumque abusuum, cum circa actum religiosum nulla sit ei facultas. Hinc potius comprimat abusus qui seperabiles sunt ab ipso actu religioso, ex. gr. ebrietates et rixas, et ministrando Ecclesiae concurrat ad ceteros auferendos qui in ipsis ritibus religiosis consisterent.

B. *De hora.*

259. Horam celebrandi cultum divinum constituere, profecto ad auctoritatem religiosam spectat, cum eius sit iudicare de opportunitate eorum omnium quae ad cultum divinum referuntur. Sed et in hac re usurpationes aliquando lamentandae fuerunt.

Quaedam enim gubernia, regalistarum imbuta praeiudiciis, aliquibus horis, puta matutinis vel nocturnis, sacras functiones peragi aut verbum Dei praedicari prohibuerunt.

Aiebant enim tenebras occasionem praebere inhonestis actionibus. Hi obliti erant primos christianos integras etiam noctes vigilasse ad celebranda mysteria vel illustrium martyrum memoriam recolendam.

260. Respondemus autem I. quoad ius.

Occasione cuiuscumque abusus nequit actus religiosus interdici a civili auctoritate, quia ei non competit

in materia religiosa legem ferre. Nec valet id esse ratione adiuncti extrinseci; etenim numquam tangere potest ipsum actum religiosum, nec substantiam rei debet posthaberi adiunctis.

II. Quoad utilitatem huius legis, dicimus et Ecclesiam cognoscere et removere quae publicae honestati officiunt; hinc zelus hic contra Ecclesiam est omnino pharisaicus.

Ceterum adsunt modi indicatos abusus praecavendi, de quibus disserere ad nostra non pertinet.

Num. 3.

De modo cultus divini.

261. Ecclesiae competere exclusive ius determinandi quidquid refertur ad modum praestandi divinum cultum, indubium est, cum sit obiectum directum et principale religionis, ideoque si qui admissa distinctione et independentia auctoritatis ecclesiasticae, huiusmodi ius imminuerunt, indirecte tantum id ausi sunt, ob incommoda quaedam quae exinde in rem civilem derivare contendebant; quibus obiectionibus facile respondetur applicando principia quae circa casum conflictus lib. I. part. I. cap. 3. a. 3. constituimus. Igitur potius nobis superest enumerare capita praecipua modorum cultus divini, et seriem texere multiplicium usurpationum et violentiarum auctoritatis civilis, quae pro diversis temporibus in hac re obtinuerunt.

A. *Obiectum.*

262. Cum Ecclesiae sit determinare quidquid per se refertur ad finem religiosum, apparet eius esse 1° determinare obiectum cultus divini. Datur autem in Ec-

clesia cultus absolutus et primarius latriae soli Deo, ideoque sanctissimo eucharistiae Sacramento; Virgini autem cultus iperduliae, et sanctis atque angelis cultus duliae; qui quidem cultus est secundarius si cum primo comparetur, et hoc sub respectu non est absolutus, cum sanctis detur intuitu Dei; sed est absolutus quatenus sanctis datur ob excellentiam supernaturalem, quae vere in ipsis est, quamvis a Deo participata.

Reliquiis autem et imaginibus sacris datur cultus omnino relativus.

263. Igitur Ecclesiae est sanctos ipsos canonizare; veras reliquias agnoscere et falsas aut dubias prohibere, nec non imagines indecentes aut quomodocumque ab usu ecclesiastico alienas, vetare.

Hinc miranda audacia Parlamenti parisiensis, quod cum anno 1728 Benedictus XIII. ad universalem Ecclesiam extendisset festum sancti Gregorii VII., prohibuit eum haberi ut sanctum et officium recitari, quia in breviario legebatur: « Henrici imperatori impiis « conatibus constantissime restitit, eumque regno et « fidelium communione privavit ». Rex autem Galliae decretum Parlamenti cassavit [1]). Tamen timore Parlamenti, celebrabatur de communi Confessorum [2]). In dominiis autem suis eamdem prohibitionem tulit imperator Iosephus II. et non habuit a quo corrigeretur.

264. Item si qui lamentandi abusus sive circa falsas reliquias quae proferuntur, sive circa imaginum cultum, iudicio Ecclesiae unice sunt compescendi. Et in materia abusuum notandum est, ut supra diximus de diebus festis, ab hominibus irreligiosis facile exagge-

1) Vide Audisio. Storia dei Papi. Benedetto XIII. anno 1721-30.
2) De Maistre, Du Pape, cap. 7. § 3.

rari. Status civilis officium est Ecclesiae ministrare, sententiarum eius executionem curando.

B. *Crimina.*

265. Pariter Ecclesiae est quaecumque crimina circa rem religiosam iudicare, et ei ius est eadem compescendi; tamen si delictum sit evidens, ut aperta blasphemia, non est necesse iudex laicus invocet praecedens iudicium ecclesiasticum, cum id necessarium sit tantum in re obscura aut dubia, et non in facto evidenti, in quo sufficit iudex laicus procedat salva subordinatione iudicio ecclesiastico, et concesso iure ad illud appellandi si dubium de iure exoriatur. Etenim circa factum, cum laedat etiam legem naturae et publicam moralitatem, si nihil aliud obstet (puta immunitas personalis), competens est et iudex civilis.

C. *Ritus.*

266. II. Circa ipsum modum, seu ritus cultus divini, competens est exclusive Ecclesia. Hinc deploranda ultrabyzantina Iosephi II. agendi ratio, qui et numerum candelarum quae accendi deberent pro festorum solemnitate, constituit.

D. *Lingua sacra.*

267. Singularem mentionem meretur lingua quâ sacra celebrantur. Eam determinare pro qualibet gente profecto ad Ecclesiam spectat. Ipsa enim scit quid sacrorum venerationi et fidelium utilitati magis expediat. Iamvero Apostoli et presbyteri praesertim ab eis instituti, dicendi sunt ea lingua celebrasse quae in usu et in honore erat apud singulas gentes, ideoque graeca aut latina in occidente romano. Nulla enim erat ratio

ob quam Apostoli insueta populis lingua uti deberent, et multo minus ob quam presbyteri novam addiscere adsumerent. Quod enim a nonnullis dicitur Apostolos constituisse ut celebraretur augustum Sacrificium tribus tantum linguis in titulo crucis sanctificatis, idest hebraica, graeca et latina, solidae rationi non innititur. Sed procedente tempore linguae tunc viventes faciem suam immutaverunt, et linguis quas vulgares dicimus locum dederunt. Liturgia autem antiquam servavit linguam, ideoque nunc apud latinos (et, servata proportione, idem dicatur de graecis, armenis, syris etc.), populus non amplius intelligit liturgicam linguam.

Id quidem inconveniens est, quia ceteris paribus maior utilitas caperetur ex usu linguae ab omnibus intellectae.

Verum usus linguae antiquae, omnibus perpensis, apud nos maiores habet utilitates. Primo enim lingua mortua, immutabilis est; ideoque formulae sacris dogmatibus significandis idoneae, immotae atque honorabiles permanent. E contra linguae viventes non raro modificant verborum significatus et aliquando minus honestos adsumunt, ut videre est perlegendo antiquos vulgares scriptores. Ita nullus italus amplius vocaret cum poeta corpus Domini, *carogna*.

2.° Magis patet unitas Ecclesiae, tum spatio, tum tempore. Cum enim ritus latinus apud catholicos ferme universalis sit, fideles ubicumque se conferant, eadem sacra audiunt quibus ab infantia assueti sunt, et sicut a patribus didicerunt. E contra si singulis gentibus sua esset lingua liturgica, Ecclesia nationalis potius quam catholica videretur.

Quamvis autem praeter latinam, nonnullae aliae sint

liturgicae linguae, tamen non multae sunt, nec multum patent; insuper et ipsae antiquissimae, ideoque venerabiles et familiares populis suis. In locis autem missionum, naturale est linguam adhiberi missionariorum propriam; cumque missionarii latini esse soleant, neochristiani adscribuntur ritui et liturgicae linguae eius Ecclesiae a qua ad fidem vocati sunt, et sic et ipsi inseruntur in antiqua Ecclesia, et eius quoque exteriori faciei participant.

Aliunde institutio religiosa datur linguis vulgaribus, aliquando neque nobilibus seu scriptis, sed dialectis cuiusque provinciae, ut valde utiliter in pluribus Ecclesiis servatur quoad catechismi explicationem.

Aliunde necessitas intelligendi singula nequit multum urgeri, quia secus neque linguae nobiles et totius nationis propriae valerent adhiberi, sed dialectis provincialibus utendum esset; quae saepe plus distant a lingua nationali vivente, quam ipsa a lingua matre mortua et sacra, ut cuique propria experientia facile suadere valet. Si autem sacra dialectis celebranda essent, nec satis venerationi sacrorum consultum esset, cum dialecti ut plurimum ineptae sint ad nobiliora congrue exprimenda, et facilius errores insinuari possunt, atque Ecclesia non varietate sed babelica confusione circumdata appareret.

Preces insuper plures publicae sed non liturgicae, ut in novendialibus praeparationibus festis praecipuis, lingua vulgari recitantur. Cum igitur preces liturgicae quae lingua sacra persolvuntur non sint nisi solemnes et consuetae, fideles de cetero in re religiosa bene instituti, tum ob catechisticas explicationes, tum ob vulgares versiones, tum ob analogiam linguae sacrae cum linguis vulgaribus ab ea derivatis, sufficienter

valent eas intelligere; significatus autem genericus ex ipsis ritibus manifestatur et fideles pio animi affectu concomitantur ea quae audiunt aut canunt.

Ecclesia tamen aliquando populis recentius conversis, quorum lingua nullam aut nimis remotam analogiam cum aliqua ex sacris linguis praeseferebat, ut sua uti possent concessit, sicut cum Slavis factum est. Semel autem ea adoptata quae tunc temporis vigebat, conservata est, et succedentibus mutationibus Ecclesia morem non gessit; et ita apud eos quoque invaluit lingua sacra, analoga quidem sed distincta a viventibus ab ea derivatis, quae proinde venerationi et immutabilitati dogmatis responderet atque subdivisionibus nationalibus non deferret, sed unitatem antiquae originis potius repraesentaret, et sic aliquam induceret universalitatem, catholicitati verae Ecclesiae magis conformem.

Quod autem cum Slavis olim factum est, cum aliis quoque populis a ceteris nimis differentibus, ex. gr. cum Sinensibus, in futurum valde rationabiliter fieri posse, nemo negabit, quando tempora matura erunt, praesertim si tales Ecclesiae ad eam perducerentur conditionem quâ vita propria vivere possent, propriis pastoribus et institutionibus.

E. *Campanae.*

268. Frequentior usurpatio in hac re est circa *sonitum campanarum,* quas molestas asserunt, et quarum usum restringunt aliquando statuta municipalia, et aliquando leges publicae, invocata publica incolumitate, cum ex. gr. tempestates habentur et ex sonitu fulmina timentur.

Circa hoc notandum est, aliud esse ius et aliud rectum

exercitium eiusdem, quod Ecclesia servare debet, quodque ipsa praescribere debet, contrafacientes ipsa puniendo, vel civilis auctoritas de eius consensu.

Ecclesiae profecto ius est campanas pulsandi, tum quia fideles invitant ad ecclesiam, et ruri praesertim, constituunt modum meliorem vel etiam unicum, plebem congregandi. Deinde Ecclesiae hoc ius est quia ipse sonitus campanarum est actus cultus publici et publica fidei manifestatio, et monet societatem, eamque excitat ad laetitiam spiritualem vel ad dolorem aut alios pios animi sensus.

269. Circa modum autem, profecto curandum est ne importune pulsentur, sive quoad horam, puta nimis nocturnam, sive quoad temporis productionem. Illud enim ipsi communitati molestum esse potest, dummodo tamen de communitate sermo sit, et non de paucis qui tempora invertentes, faciunt diem noctem et noctem diem. Hoc autem praesertim vicinis, molestum esse potest.

Verum iudicium de hoc ad Ecclesiam spectat, et eius est leges de hac re ferre et contra facientes punire.

270. Difficultates quae contra proponuntur, innituntur falso supposito. Aiunt enim campanas turbare aërem publicum et quietem publicam, et eos etiam quibus ex diversa vel nulla religione invisae sunt.

Resp. Ecclesiae ius esse et societati civili onus esse cultus publici, ideoque et aër publicus subiicitur iuri religioso, seu exercitio actuum qui pro ipso publico cultu sunt convenientes, ut profecto est sonitus campanae qui est vox ipsa societatis christianae. Si autem societas non sit catholica, tunc adhuc ius est Ecclesiae cultus publici; quia societas acatholica saltem debet catholicam religionem considerare ut licitam, et qui-

dem non tantum ut privatam religionem, sed ut publicam. Est enim error contra ius naturae, religionem inter privatos actus restringere.

271. Ceterum nos loquimur de iure per se, non autem de maiori vel minori eius exercitio quod sperari possit pro diversa hominum dispositione; erit autem prudentiae Ecclesiae ita limitare exercitium sui iuris sive circa tempus, sive modum, ut adversariis non subministret speciem aliquam rationabilis causae ad eam impediendam.

272. Obiic. II. Per campanarum sonum, frequentem praesertim, laedi privatum ius vicinorum, quibus molestus est; hinc auctoritate civili posse limitari sicut et exercitium artium strepentium solet coarctari municipalibus praescriptionibus.

Resp. Vel agitur de ecclesiis erectis ante aedificationem domorum vicinarum, vel postea. Si primum, et attento iure privato, nihil obstat; sibi enim imputent qui prope ecclesias aedificaverunt. Si de secundis agatur, primo animadvertimus ipsam altitudinem turrium campanariarum molestiam portabilem facere, ad quod et consuetudo conducit, quia ab assuetis non fit passio. Oportet autem Ecclesia utique curet ita turres campanarias construi ut non sint molestae vicinis, aut saltem usum campanarum pro opportunitate moderari. Sed si de iure sermo sit, profecto cum Ecclesiae ius sit et templa erigendi, et campanas pulsandi, si quod est privatis incommodum, tolerandum est pro conflictu cum bono publico, sicut et alia tolerantur pro ipso bono civili, et aliquando pro mero publico solatio, puta cum in plateis publicis ad multam noctem spectacula vicinis incommoda protrahuntur. Hinc non currit paritas cum artibus perstrepentibus, quae in exemplum

adductae sunt, cum harum exercitium respiciat ius privatum, et non ius et officium publicum, et quidem ordinis superioris, idest religiosi; hinc illarum exercitium subiicitur legi civili, huius exercitium ecclesiasticae exclusive.

F. *Preces publicae.*

273. III. Ius est exclusivum Ecclesiae indicendi publicas preces. Hinc vexatoriae sunt praescriptiones auctoritatis civilis si quando cantum hymni ambrosiani praecipiat, aut collectas in missa, vel alias quascumque preces, cum ad iudicium auctoritatis religiosae spectet decernere quinam eventus sint considerandi ut conformes legi Dei aut contrarii, ideoque ut tales qui mereantur has vel illas Ecclesiae preces.

§ 3.

De communione cum defunctis.

274. Ob animorum immortalitatem, sequitur vivos adhuc in communione esse affectuum cum pie defunctis; etenim spes eos gloriosos inveniendi in altera vita, laetificat vivos. Hic sensus naturalis, determinationem et perfectionem accipit a fide christiana, quae docet quoque mortuorum resurrectionem; hinc reverentia erga corpora ipsorum non modo procedit ex memoria praeteriti temporis, et ex adsociatione idearum ob sensum humanitatis, sed etiam ex fide in futuros eventus; consideramus enim mortalia residua hominum pie defunctorum, ut nobis relicta veluti sacrum depositum et expectantia gloriosam resurrectionem. Insuper fides catholica docet hanc affectuum communionem non esse inanem sed fructuosam; dum enim nos honoramus de-

functos vel etiam precibus et aliis piis operibus eos iuvamus, si adhuc indigeant expiatione, iuvamur quam maxime sanctorum intercessione, et ut habet communis fidelium sensus, etiam precibus eorum qui in purgatorio detinentur.

275. Hinc est reverentiam erga defunctorum corpora qui pie obierunt, in Ecclesia haberi non modo ut actum humanitatis et iuris gentium, sed etiam religionis; multo autem magis sunt actus religionis, suffragia quae pro eis offerimus, quia eos iuvamus in ordine mere spirituali ut citius Deum videant. Hinc sit I. de locis in quibus ipsorum corpora requiescunt, seu de coemeteriis vel ecclesiis; II. de sepulturae modo (*crematio* vel *humatio*); III. de iure sepulturae; IV. de religiositate ritus processionis pro mortuis.

Num. 1.

De locis in quibus corpora requiescunt.

276. Loca huiusmodi a veteribus paganis dicebantur religiosa, sensu tamen diverso a nostro; idest quia dicata diis inferis. Dicebant autem sacra, quae dicata diis superis; sancta quae diis semonibus seu semi-diis. Verum nos quaerimus an sint religiosa, quatenus nempe sint destinata alicui facto et ritui religioso, idest in honorem divinitatis adimplendo, ideoque an sint immediate subiecta iurisdictioni ecclesiasticae et a civili immunia vel non.

277. Haec loca vel sunt in ipsis Ecclesiis vel extra. Immunia esse cum sunt in ipsis Ecclesiis, disputari non potest; si enim corpora defunctorum in Ecclesiis sepeliuntur, profecto est ex religiosa consideratione,

ideoque per hoc non profanatur Ecclesia et proinde remanet immunis a civili potestate.

Potius quaeri potest an sit ius sepeliendi in ipsa Ecclesia vel a lege civili possit prohiberi; hinc sit 1° de sepulchris extra Ecclesiam, seu de coemeteriis; 2° de iure sepeliendi in Ecclesia.

A. *De coemeteriis.*

278. Quaeritur an coemeteria sint loca religiosa sensu superius explicato. Et respondetur affirmative. Etenim ex ante dictis cadavera et ipsorum depositio sunt pro christianis obiectum cuiusdam cultus religiosi, et coemeteria unice destinantur huic officio obsequii in Deum et spiritualis charitatis in proximum, et proinde in eis prohibentur actus profani. Hinc etiam consecrantur vel benedicuntur pluribus sacramentalibus, et ipsorum conspectio fideles inducit ad actus religionis ac charitatis spiritualis multiplicandos. Ex his sequitur eadem immunitate ac Ecclesias gaudere oportere.

279. Obiiciunt: sepulturam esse iuris gentium, et praecipue sepeliri cadavera ex officio humanitatis; atqui quod est huiusmodi est ordinis naturalis et civilis. Ergo ritus religiosus est quid accessorii, sed ipsum sepulchrum est quid civilis.

Resp. Utique cadavera sepeliri ex officio humanitatis et ex iure gentium; sed illud addendum est, apud christianos hoc officium elevatum esse ad officium religiosum; imo addi posset apud omnes gentes ut quid religiosi fuisse consideratum. Et notandum, ritum religiosum non accedere sepulturae, sed sepulturam considerari ut rem religiosam. Hinc ipsa substantia actus est elevata ad ordinem religiosum, ideoque subtracta iurisdictioni civili quoties sic religiose fiat. Auctoritate

civili remaneret ius sepeliendi et curandi sepulchrum tunc tantum quando Ecclesia aliquos nollet sepelire ritu religioso; tunc status civilis curaret sepulturam officio tantum humanitatis.

280. Obiic. II. Hygienis et publicae securitatis quammaxime interesse curam sepulchrorum, seu quoad tempus ne citius sepeliantur qui forsitan adhuc vivunt; vel serius cum corpora corrumpuntur, in contagiosis praesertim morbis; ita ut inspiciantur corpora, ne delicta occultentur, puta in occisis ex dolo; item quoad modum, ut ex. gr. humentur absque contagionis periculo, et cetera circa sepulchra curentur quae hygienem vel publicam securitatem respiciunt, quae omnia sunt competentiae civilis.

Resp. concedendo haec omnia esse competentiae civilis, ideoque ius esse civili auctoritati haec omnia curandi; et tamen negamus ipsam sepulturam seu actum sepeliendi, et ipsa sepulchra esse aliquid profani.

Etenim haec omnia sunt quaedam accidentalia quae antecedunt, concomitantur vel subsequuntur sepulturam aut sepulchrum, et his omnibus suppositis, concomitantibus vel subsequentibus, Ecclesia praestat sepulturam ut actum religiosum et sepulchrum habet ut locum religiosum.

281. Id tantum probat Ecclesiam teneri ad leges, de cetero iustas, a civili auctoritate de hac re latas, observandas, salva sua independentia, ut supra diximus num. 220. Hinc expendit leges civiles de hac re latas et eas observari mandat a suis, sed si iniustas aut hostiles sibi non inveniat, cum in his servet suam independentiam.

282. Ex eo quod coemeteria sint loca religiosa, sequitur in iis sepelienda esse tantum cadavera fidelium,

Ecclesiae iudicio. Hinc errant qui volunt omnes cuiusque religionis vel etiam nullius, in eodem loco esse sepeliendos; etenim sic communio exterior non responderet communioni religiosae quam significat, et sic auferretur sepulchro eius qualificatio loci religiosi, et sepulturae auferretur qualificatio actus religiosi.

283. Neque valet opponere, omnes esse sepeliendos. Etenim aliud est omnes sepelire, aliud omnes sepelire in eodem loco religioso. Neque exclusis irrogatur iniuria; si enim viventes non communicaverunt nobiscum, neque mortui id faciant; imo saepius iniuria eis irrogaretur quia praesumptae ipsorum voluntati contrairemus, cum dicendum sit eos vivos noluisse nobiscum communicare neque pro tempore futuro.

B. *De sepulchris in ipsis Ecclesiis.*

284. Nunc de alia quaestione, an ius sit Ecclesiae sepeliendi in ipsis templis. Antea recolimus de hac re historiam. Antiquitus Ecclesia servavit de hac re leges civiles, de cetero iustas, ut nempe intra moenia in romano imperio non sepeliret, cum id lege vetitum. Conversis autem ad fidem ipsis imperatoribus adhuc lex civilis servata est. Sed religionis causa martyrum et sanctorum corpora in Ecclesiis condita sunt, sub altari. Hinc et reliqui fideles coeperunt cupere sepulchrum prope Ecclesiam, tum ut requiescerent coram sanctis, tum ut facilius iuvarentur suffragiis fidelium accedentium. Hinc primo episcopis et regibus, deinde presbyteris, clericis, monachis, patronis et ecclesiarum benefactoribus, deinde omnibus concessum est sepulchrum, primo prope Ecclesiam in eius porticibus vel atriis, deinde etiam intra Ecclesiam, non tamen sub altari, quod tantum sanctorum exuviis reservatum est.

Tamen Ecclesia in pluribus conciliis provincialibus praecipiebat vel hortabatur ut generatim conderentur coemeteria extra Ecclesiam, et alicubi eidem coniuncta erecta sunt ut sic et satisfieret distinctioni Ecclesiae et coemeterii et simul devotioni fidelium. In rituali autem adhuc inculcatur erectio coemeteriorum extra Ecclesias.

Sed saeculo superiori leges civiles coeperunt sepulchra in Ecclesiis prohibere et coemeteria longe ab habitationibus praescribere causa hygienis. Iamvero quaeritur an hae leges sint ab Ecclesia observandae.

285. Ecclesia eis observandis se difficilem non praebuit, tum quia conformes suae legislationi, tum quia ut plurimum utiles reipublicae, tum etiam quia inutilis et impossibilis fuisset resistentia, nec de re per se illicita ageretur sed ad summum de violato iure Ecclesiae, cui ipsa salvo principio, de facto cedere potest.

286. Ceterum attenta iuris quaestione, dicimus 1° has leges esse iniustas si ita rigorose procederent ut neque corpora sanctorum permitterent in Ecclesiis venerari; haec enim sunt obiectum cultus specialissimi, qui in Ecclesiis tribuitur; sed haec non solent in Ecclesias inferri nisi multis post mortem annis, cum ita exsiccata sunt ut nullus hygienicus praetextus possit in medium adduci.

Item 2° essent iniustae si ab Ecclesiis excluderent et viros erga quos Ecclesia specialem habet reverentiam, ut sunt episcopi et praesertim ipse summus Pontifex.

3.° Etsi generatim pro hygiene magis expediat coemeteria extra Ecclesias haberi et in locis satis remotis vel alias opportunis, tamen non est impossibile cadavera saltem aliqua ita humare in ipsis Ecclesiis ut nullum exinde capiat detrimentum hygienes publica;

hinc ubi talis vigeret consuetudo, lex civilis quae inaudita Ecclesia eam interdiceret, certe irreverentiae peccaret, et de rigore iuris posset ab Ecclesia sperni, cum civili auctoritati sufficiens esse debeat ita corpora sepeliri ut nullum detrimentum capiat res publica; hinc potius est negativum eius ius, quam positivum, idest ius habet invigilandi ut quicumque locus eligatur, cautelae debitae requirantur, potiusquam unicum locum determinare, quando possibile est et alibi satisfacere exigentiae hygienis et publicae securitatis.

Num. 2.

De modo curandi corpora defunctorum, seu de humatione et crematione.

287. Cum illatio in sepulchrum causa religionis fiat, hinc et ritus (seu modus id rite, idest recte et honeste conficiendi) religiosus sit oportet, servatis praescriptionibus hygienicis et publicae securitatis ab auctoritate civili latis, prout dictum est.

288. Quod autem attinet ad modum materialiter inspectum, duae rationes diversae usitatae sunt, nempe *humationis*, ut nunc apud christianos, et *cremationis*, ut nunc apud indos et olim aliquando et apud graecos et romanos.

Iamvero potest quaeri quinam modus sit praeferendus. Ut igitur ex ordine procedamus, primo indicemus rem historice, deinde sub respectu religioso et iuridico. Ex sacris litteris habemus apud patriarchas et aegyptios humationem in usu fuisse; quae et perseveravit in populo electo; sed aliqui reges cremati sunt; verum de ceteris id numquam obtinuisse videtur; imo ex Talmude apparet post babylonicam captivitatem,

crematiōnem habitam esse ut abominabilem, tamquam ritum paganum.

Apud veteres quoque romanos, mos communis fuit humatio, etsi serius pro optimatibus obtinuerit crematio. Apud christianos autem semper in usu fuit humatio, sive ob exemplum patriarcharum et populi Dei, sive quia magis dormitionem spiritualem repraesentat, qua corpora quiescunt donec ab angelica tuba excitentur. Hinc mos humandi habetur ut apostolico praecepto praescriptum.

289. Verum sicut christianismus sponte informavit omnes sociales institutiones et universam fidelium vitam, sic nostra aetate, increduli conantur hoc spiritu societatem exuere, et sua incredulitate informare. Et in re nostra quidam aperte procedunt, invocantes significationem materialistico-pantheisticam cuius capax est crematio, nempe dissolutionem in vapores repraesentare finem individui humani, qui redit in absolutum, et accelerare transformationem corporis seu hominis in puriorem statum quo ad superiorem gradum evolutionis ascendit. Alii e contra speciem spiritualismi conservant, aientes melius significari poetica ratione, spiritus ascensionem ad coelum. His addunt et inconveniens quod in humatione habetur, corporis nempe nostri quod in tabem convertitur et a muribus et vermibus manducatur. Cineres autem et domi custodiri possunt et sic satisfit affectibus superstitum qui semper conversari valent cum suis caris. Alii autem rationes scientificas in medium adducunt, nempe hygienem, crematiōnem praeferendam indigitare; etenim celeris dispersio in aerem exalationum corporis humani, non nocet, dum e contra in humatione aer circumstans inficitur, nec non aquae potabiles. Accedit et ratio

oeconomica ne tot terrae occupentur coemeteriis, dum cineres facile custodiuntur.

290. Sed hae rationes sunt infirmae; etenim quoad significationem, Ecclesia praefert recordare futuram resurrectionem, quam animae in coelum ascensum.

291. Quoad conservationem cinerum in domibus privatis, qui cognoscit homines in concreto, facile intelligit quot negligentiis et profanationibus exponerentur cineres in domibus, praesertim cum nepotes succedunt, vel domicilium mutatur.

Item non exprimeretur communio omnium fidelium per sepulchrum commune.

292. Ratio pariter oeconomica parvi est momenti, cum experientia ostendat ubi crematio concessa est volentibus, maiora dispendia sustineri ut rite conficiatur. Territorium autem a coemeteriis occupatum exiguum est, si comparetur cum reliquo territorio. Nec enim debemus, ut nonnulli immerito faciunt, considerare summam territorii quod in universo orbe occupatur a coemeteriis, ut utilitatem oeconomicam cognoscamus quae ex eorumdem abolitione derivaret. Etenim videnda est utilitas quae in singulos redundaret, quae non esset sensibilis, ideoque sperni posset, ut faciunt mathematici de minimis quantitatibus. Deinde hae considerationes oeconomicae sunt nimis materiales, ut nos movere debeant; supponunt enim nihil aliud esse ab homine attendendum quam quod aesui et potui inservit. Hinc pari argumento nemo movetur ad plateas quae ornatus causa in urbibus et pagis sunt, convertendas in campos frumenti, etsi suo numero superent coemeteria.

293. Proinde inter obiectas rationes consideranda est tantum hygienica. Si enim humatio non posset rite

componi cum publica hygiene, profecto cum non agatur de re praecepto divino necessaria, si detrimentum esset notabile, teneretur Ecclesia hunc modum curandi cadavera omittere et ritus suos religiosos alteri accommodare.

Verum omnino negandum est hygienem obstare humationi. Experientia enim et peritorum saepe etiam incredulorum iudicium (ut senatoris Mantegazza Pauli) ostendunt humari posse corpora facile ita ut non noceant, cum sufficiat terra altiori eadem tegere, et sic lenta habetur dissolutio, quae cum paulatim disperdat in aerem per terrae filtrationem vapores (gaz), eumdem aerem non inficit, praesertim si debita distantia cum locis habitatis servetur et ventorum directio consulatur.

294. Neque inficiuntur aquae nisi omnino inconsulte coemeteria ponantur circa fontes aquarum potabilium, et in hac re stratus terrae et inclinationes attendere oportet.

295. Sic habetur lenta corporis humani dissolutio, mediantibus viribus naturae, et non violenta et artificialis ut in casu cremationis.

296. Circa decentiam, si quid evenit minus conveniens visui, tamen occulte et sensim sine sensu fit, dum confrixio cremationis in aperto et in momento succedit.

297. Adiungenda est et alia ratio, licet non religiosa, tamen iuridica multi momenti; nempe humatio adhuc possibilem relinquit corporum inspectionem multum post temporis, si suspicio dolosae mortis succedat, dum crematio ad summum, veneni residua ostendit, si rite fiat; hinc pro reliquis generibus mortis violentae detegendis, praecedens inspectio esset neces-

saria, quae, ut notum est, ruri praesertim, cum nulla esset eo momento suspicandi ratio, valde negligenter fieri soleret. Hinc est togatos viros cremationi faventes non esse.

298. Sed ad rem nostram quaestio iuris haec est: teneretur ne Ecclesia stare legi civili cremationis obligatoriae, si ferretur?

Resp. negative. Etsi enim debeat Ecclesia suscipere iustas de re hygienica leges civiles, tamen eas suscipit salva sua independentia, seu inspiciendo an iustis causis innitantur; quae si deficiant, non tenetur easdem observare. Iamvero hae causae in re nostra deficiunt.

Etenim rationes legis civilis non proponuntur ex revelatione quadam, cuius custodia sit auctoritati civili concredita, sed patent ex lumine naturali, quo et Ecclesia utitur; hinc leges civiles iudicat ut videat an sint observandae vel non. Ius enim civitatis in hac re non est praescribere positive rationem curandi cadavera ab omnibus servandam, sed tantum cavendi ut fiat convenienter publicae saluti. Etsi enim privatis, uniformitatis gratia et maioris securitatis causa, posset lex civilis et modum unicum praescribere, non tamen Ecclesiae, quae est societas superior et quae in suis ritibus nequit ligari lege non necessaria societatis inferioris. Lex necessaria eius independentiam non laedit, quia est praesupposita ex ipsa rei natura vel saltem ex statu hodierno scientiarum; hinc in eius observantia non persentit auctoritatem societatis inferioris, sed ipsius naturae, quod profecto eius independentiae et superioritati non officit.

Num. 3.

De iure admittendi vel excludendi a religiosa sepultura.

299. Ex iis quae supra diximus de natura coemeteriorum, apparet quoque ius admittendi aut excludendi ab ecclesiastica sepultura, proprium esse auctoritatis ecclesiasticae. Non enim agimus de sepultura simpliciter inspecta, sed de sepultura religiosa, et quidem catholica. Iamvero sepultura simpliciter inspecta pertinet ad officia humanitatis, ideoque nemini deneganda; sed sepultura religionis determinatae, idest in loco ritibus propriis alicuius religionis benedicto et modo analogis ritibus resultante, iis tantum convenienter dari potest qui eamdem religionem sincere professi fuerint. Etenim ex parte defuncti, est praesuntiva voluntas eius corpus perseverare debere in ea exteriori communione, quam vivens excoluit; item ex parte societatis, sepultura est recognitio defuncti tamquam membri determinatae religionis et quidem membri laudabilis, ita ut de eo speretur, saltem probabiliter et prudenter, eam assecutum esse requiem, quam religio honestis viris promittit. Igitur requiritur primo eamdem religionem professum esse; 2° non modo verbis, sed et opere; secus eidem religioni illusisset. Iamvero de his iudicare spectat ad auctoritatem religiosam.

300. Ex his apparet et solutio difficultatum quae opponuntur: aiunt enim I. sepulturam esse iuris gentium et omnibus debitam. Resp. sepulturam quamcumque concedo, religiosam nego.

301. II. Aiunt de quolibet defuncto sperari posse salutem consecutum esse, cum potuerit in extremo vitae Deo reconciliari, etsi pessime vixerit.

Resp. sperari posse, idest id possibile esse, conc., prudenter et probabiliter negatur; nullum enim adest fundamentum probabilitatis huius iudicii. Iamvero in externa conversatione procedimus ex iis quae exterius apparent. Institutiones enim sociales ex eo vim suam et scopum desumunt, ut homines mediis visibilibus impellant aut deterreant, iuxta quod arguitur extrinsecus.

302. Hinc neque III. obiici potest illud antiquum effatum: parce sepulto. Hoc enim de individuo in suis privatis relationibus valere potest, non autem cum de ordine publico agitur. Iamvero concessio vel denegatio ecclesiasticae sepulturae, refertur ad ordinem publicum, idest ad ecclesiasticam disciplinam conservandam. Etenim exclusio ab ecclesiastica sepultura si non nocet defunctis, iuvat tamen viventes, cum eos salutariter deterreat ab imitandis pessimis exemplis. Imo timor huius poenae corrigit quosdam qui de cetero in vitio perseverassent; et iam s. Augustinus notaverat suo tempore plures, Ecclesiae reconciliatos fuisse metu exclusionis ab ecclesiastica sepultura, qui aliis motivis non fuerant compulsi.

303. IV. Obiic. exclusionem ab ecclesiastica sepultura infamiam irrogare, ideoque esse competentiae civilis.

Resp. infamiam irrogare ex causa mere civili negamus, ex causa ecclesiastica concedimus, et contradistincta maiore subintellecta, negatur consequens.

Num. 4.

De processione mortuaria.

304. Defunctorum cadavera apud omnes gentes solemnitate quadam ad sepulchrum deferri mos est. Quaeritur an apud catholicos haec processio sit mere civilis

vel religiosa. In quibusdam statibus in quibus per iniuriam processiones religiosae, saltem regulariter, prohibitae sunt, permittitur tamen processio mortuaria, quia ut actus civilis habetur. Et quoniam solent volentibus permitti et signa religiosa, hinc catholici quoad factum acquiescunt, ut saltem hac libertate fruantur.

Verum si rem inspiciamus, huiusmodi processio apud catholicos, religiosus actus est, cum tota cura quae de cadaveribus suscipitur, ex fine religioso praestetur. Hinc et ritibus religiosis fit. Et proinde delatio signorum religiosorum et religiosorum rituum praestatio, est ius.

Hinc et modus praescribendus est ab auctoritate religiosa, salva competentia civili pro hygiene et publica securitate.

Et haec de praesenti numero, paragrapho et articulo sufficiant.

ARTICULUS IV.

Ius Ecclesiae quoad reliqua capita praeceptorum moralium, iuris positivi humani.

305. Appellamus praecepta moralia quae feruntur pro sanctificatione individui; etenim praecepta vel referuntur directe ad Deum, vel ad individuum perficiendum, vel ad relationes inter homines ordinandas; quae ad Deum iam considerata sunt, praesertim agendo de cultu divino in praecedenti articulo; quae respiciunt mutuas hominum relationes, partim considerantur in sacramento matrimonii, ubi de specialibus relationibus privatis, partim spectant ad organismum Ecclesiae, de quo capite sequenti; hinc remanet dicendum de iis quae sanctificant singulos, ut sunt praecepta de

ieiuniis et abstinentiis, vel etiam privatas quasdam relationes inter homines attingunt, ut vetita communicatio cum iudaeis, quae inspici potest et pro salute publica, et tunc de ea agitur in potestate indirecta, vel pro singulorum incolumitate, et de ea agitur praesenti articulo.

306. Quatenus naturalis honestas ordinatur ad publicam tranquillitatem, cadit et sub competentia civilis potestatis, sed quatenus ordinatur praecise ad salutem aeternam, seu ad sanctificationem, spectat ad Ecclesiam. Iamvero ius esse Ecclesiae et ea omnia praecipiendi quae ad sanctificationem conducunt, quatenus praecise ad id referuntur, evidens est quia attingunt directe ipsum finem Ecclesiae, quae sibi proponit non modo bonum publicum sed et privatum spirituale singulorum, et ad illud promovendum plenissimam a Deo accepit potestatem.

Et in hoc indoles Ecclesiae distinguitur ab indole societatis civilis, quia haec directe non attingit ordinem individualem, sed relationes externas familiarum et illum tantum adiuvat, supplet et corrigit; e contra Ecclesia aeque directe sibi proponit bonum individuale et publicum; hinc aequiparatur tum publicae societati, tum familiae.

307. Sed notandum est ea praecepta ecclesiastica, quae directe referuntur ad bonum individuale, diversa sanctione muniri, ac ea quae directe referuntur ad bonum commune; illa enim in foro tantum interno puniri solent, et sanctioni divinae relinqui, nisi fiant publica et scandalum generent; tunc enim offendunt ipsum ordinem socialem et tendunt ad alios quoque ab officio avertendos, ideoque non modo ordinem individualem sed et socialem laedunt.

ARTICULUS V.

De iure Ecclesiae pro ordinanda publica professione consiliorum evangelicorum, et praesertim pro ordinibus et congregationibus religiosis instituendis.

308. Ex sacra theologia constat praeter praecepta esse et consilia in evangelio, quae perfectionem christianam constituunt. Iamvero apex evangelicae perfectionis per se consistit in tribus votis substantialibus paupertatis voluntariae, castitatis, et obedientiae perpetuae; maius enim est holocaustum eius qui ad haec sese perpetuo obligat, quam eius qui eadem observat, retinens tamen potestatem ad saecularia vota transeundi.

Vota religiosa sicut esse possunt privata, ita et publica, idest emissa in facie Ecclesiae, et ab eadem admissa et recognita.

Id fit sive cum, sive absque solemnitate; differentia est, solemnia regulariter importare non modo illiceitatem actus contrarii, sed etiam invaliditatem, ex. gr. matrimonii, testamenti, aut saltem irritabilitatem, ut in promissione.

309. Quaestio iuris nostrie st I. an Ecclesiae ius sit et quidem exclusivum haec vota publice agnoscendi, ideoque eadem ordinandi, et effectus sociales non modo ecclesiasticos sed et civiles eorumdem constituendi.

II. Quoniam haec vota maxime iuvant in adsociationibus religiosis, an Ecclesiae ius sit, et quidem exclusivum, approbandi et moderandi sive ordines (seu adsociationes religiosas cum solemnitate votorum), sive congregationes religiosas (idest adsociationes religiosas cum votis sed absque solemnitate),

et an societas civilis teneatur effectus civiles, tribuere legibus ab Ecclesia de hac re latis, et civium actibus respectivis.

§ 1.

THESIS.

Ecclesiae ius est exclusivum publice recognoscendi vota evangelicae perfectionis, eaque pro effectibus socialibus moderandi; et societati civili catholicae officium est, leges respectivas Ecclesiae et respondentes actus in ordine civili agnoscendi.

310. Loquimur, ut patet ex verbis enunciationis, de recognitione et moderamine horum votorum in foro externo, seu coram societate, primo ecclesiastica et deinde civili; non autem de mera moderatione in foro interno, seu ethica et non iuridica; etenim cum Ecclesia curet sanctitatem fidelium, profecto et ius ei est praescribendi normas servandas ab iis qui perfectioni cupiunt attendere, ideoque sicut leges fert pro omnibus praeceptivas, quia ad necessariam sanctitatem referuntur, de quibus praesertim in superiori articulo egimus, ita et leges condit hypotheticas pro iis qui ad ipsam perfectionem volunt adsurgere, ut prudenter et efficaciter in hac re procedant. Igitur de votis non modo iudicat iuxta ipsorum valorem dogmaticum, seu leges morales, sed etiam disponit lege positiva, seu iure canonico.

311. Iamvero sicut bonum est consiliis evangelicis attendere in foro interno, ita optimum eadem servare et exterius, ita ut appareant coram societate christiana; id enim expedit 1° ipsi profitenti, cum sit sub vigilantia societatis ideoque cautius procedat, et difficilius a susceptis propositis discedat; 2° iuvat societati,

quia eam aedificat. Hinc cum Ecclesia sit societas visibilis et ad sanctitatem atque perfectionem ducat, id visibiliter et socialiter praestat. Hinc expedit fidelibus sua vota emittere coram societate ecclesiastica, cui ex sui natura competit eadem suscipere, ideoque moderari ut debite emittantur, et emissa debite serventur. Et quoniam requirente publica utilitate, actus non modo illiciti sed etiam invalidi a competente auctoritate reddi possunt, hinc et actus oppositi votis, non modo illiciti sed etiam invalidi ab Ecclesia reddi valent; personas enim illas ad contrahendum matrimonium voto castitatis inhabiles reddit; item inhabiles ad actus dominii, voto paupertatis et ad sese obligandos, voto obedientiae; ipsorum enim promissiones saltem sunt a superiore irritabiles.

Id est quod regulariter praestat cum votis *solemnitatem* addit; quae proinde solemnitas habet in iure canonico significatum omnino proprium; non enim tantum indicat vota emitti publice et additis ritibus augustioribus; id enim servari potest et in votis quae tantum oppositi illiceitatem important et non invaliditatem [1]).

312. Iamvero effectus omnes votorum quae Ecclesia probavit, agnoscendos esse non modo in societate ec-

1) Haec sententia est omnino admittenda in adsignanda differentia voti simplicis et solemnis; etsi enim aliqui theologi dixerint, vota solemnia ea esse quae a Deo acceptata sunt, et eius nomine ab Ecclesia, id tamen sustineri non potest. Sic enim suam theoriam explicabant. Aiebant: Ecclesia aliquando approbat regulas alicuius religiosi instituti definitive, tamquam idoneas procurandae evangelicae perfectioni, et sic illud quoque edicit, eum qui sincere annum vel annos probationis sustinuerit, moralem habere certitudinem, suum votum esse vere tale, seu promissionem de bono sibi possibili et sibi meliore; ideoque acceptatum esse a Deo, et eius loco ab Ecclesia. Aliquando e contra approbat, sed non

clesiastica, sed etiam a lege civili apparet ex eo quod lex civilis per se teneatur agnoscere quidquid lege ecclesiastica constituitur ut observandum non modo in foro interno sed et in externo.

Etenim sicut cultus ut sit in societate plene publicus, oportet agnoscatur et lege civili, sic et professio perfectionis ut plene sit socialis, et per eam Deus a societate honoretur, non modo ab Ecclesia est agnoscenda, sed et lege civili.

Quod si non fiat, utique ex parte voventium et ex parte Ecclesiae non imminuetur honor divinus ex professione religiosa redundans, sed imminuetur a societate civili, quae indifferentem se praebebit divinae ordinationi, laudanti professionem religiosam publicam ab Ecclesia moderatam.

Igitur lex civilis sese subtraheret ecclesiasticae et divinae et non plene agnosceret divinam ordinationem, quia eam non agnosceret ut plene socialem. Hinc non agnosceret ex divina intentione unam esse materialiter hominum societatem, quamvis formaliter duplicem, sed ordinatam, ita ut iidem homines et societatis civilis sint membra, et Ecclesiae, et ipsa societas civilis ingrediatur socialiter Ecclesiam, eique subordinetur, ibi incipiendo suam legislationem ubi desinit ecclesiastica,

---

definitive; ideoque profitens prudenter procedit, sed non habet eam certitudinem quae in primo casu verificatur.

Verum id etsi ingeniose excogitatum, non tamen veritati innititur, quia plures regulae Congregationum sunt definitive adprobatae ut ducentes ad perfectionem evangelicam et ut tutantes eos qui sincere probationes praescriptas sustinuerint, et tamen Ecclesia eis non concessit votorum solemnitatem, cum in hoc respiciat non modo ad perfectionem regulae in se, sed ad oeconomiam socialem tum internam Ecclesiae, tum externam seu conditionis civilis. Hinc est Bonifacium VIII, cap. un. de Voto et voti redemptione in 6. edicere: « Nos attendentes, quod voti solemnitas « ex sola constitutione Ecclesiae est inventa... »

quam proinde integre agnoscit, nisi ipsa Ecclesia eam limitet ad forum internum.

313. Hoc quidem per se; quid autem si societas civilis attenta sua conditione, admittat religionum pluralitatem aut a quacumque praescindat?

Responsio diversa esse potest iuxta diversos modos admittendi pluralitatem religionum, et salva debet esse semper naturalis honestas, ob quam quis nequit damnum ceteris inferre et sibi oportet sit constans in iis quae in favorem aliorum promisit. Huic principio innixi et quaedam tribunalia civilia suprema agnoverunt ex paritate rationis, nullitatem matrimonii ab eo contracto qui in sacris fuerit, nisi saltem statum clericalem in externa conversatione prius dimiserit; etenim cum sese exhibeat ut minister religionis quae suis ministris prohibet sub poena nullitatis statum matrimonialem, sibi contradiceret si vellet in ministerio perseverare, hanc legem non agnoscendo.

314. Leges civiles non recognoscendo canonicas dispositiones circa effectus iuridicos votorum solemnium, peccare possunt non modo defectu sed etiam excessu, si ampliores Ecclesiae et voventibus noxios tribuant. Ita quaedam gubernia antiqua personas religiosas habebant ut omnino civiliter mortuas; hinc incapaces successionis sive testamentariae sive ab intestato, ne eis applicaretur effatum: quidquid acquirit monachus, acquiritur monasterio. Haec contra ius fieri patet, cum sit determinare effectus iuridicos votorum, loco Ecclesiae ad quam exclusive spectat; insuper iniuriosum est, cum personas religiosas expolient suis iuribus quae Ecclesia habet ut non repugnantia cum religiosa professione.

315. Omittimus difficultates quae praesertim contra

votum castitatis et in genere contra sacrum caelibatum proponuntur, utpote theologicas potius quam iuridicas, et de caelibato supra egimus.

Contra votum obedientiae obiiciunt indignum esse humanae personae, sese committere alterius arbitrio, nec non id enerves homines facere.

Resp. limitationem voti quo promittitur obedientia in iis quae non sunt peccatum, omnem inhonestatem a voto obedientiae removere; est autem actus nobilissimus, cum Deo sacrificet maximum eius donum, seu libertatem qua dominium nostri habemus et nostrae voluntatis potestatem.

Est insuper actus fortissimae virtutis; hinc non enervat sed auget energiam; cumque possibilem reddat perfectam voluntatum conspirationem, impellente maximo motivo, idest religionis, hinc et ad actus heroicos habilitat et superiori dat modum plures vires convertendi ad eumdem scopum. Voluntas autem superioris non est arbitraria, cum contineatur non modo lege Dei et Ecclesiae, sed insuper regula et traditione instituti, nec non censura ordinis ipsius; etenim Definitorium generale vel Capitulum aut quocumque alio nomine designentur tum Consilia suprema ordinum, tum Comitia generalia eorumdem, solent habere ius et officium invigilandi et corrigendi, aut saltem denuntiandi sanctae Sedi superiores etiam generales, si abutantur sua potestate, ad quam sanctam Sedem semper de cetero patet recursus. Cum autem in maiori numero ordinum et congregationum, officia etiam generalatus sint ad tempus, valde limitat arbitrium superioris, certitudo remotionis si abutatur.

316. Contra votum paupertatis obiiciunt, praesertim invehendo contra mendicantes, cum dicant indecorum,

imo iniustum eos vivere aliorum eleemosynis qui suis possent vivere quaestibus.

Resp. has eleemosynas esse retributiones spiritualium ministeriorum quae gratis ab iisdem ordinibus praestantur christianae societati; hinc indecorae non sunt neque iniustae.

317. Ceterum aliae sunt normae vitae communis, aliae pro vita extraordinaria; iamvero modus vitae necessaria acquirendi a mendicantibus adhibitus, est extraordinarius, seu dirigitur ad exercitium specialium virtutum, quae non omnium sed paucorum, specialiter a Deo vocatorum propriae esse possunt, ut diximus de ipso caelibatu.

Etenim humilitatis et christianae fraternitatis exercitium et sensum augent; hinc ordines mendicantes sunt maxime benevisi viris popularibus et pauperibus, qui gaudent de voluntaria paupertate et eleemosynae expetitione, quae sic nobilitat et miseros et maxime fovet sensus concordiae et fraternitatis inter viros populares et religiosos, qui sic frequentant illos et ipsorum indigentiarum soliciti evadunt.

Hinc neque indecora est neque iniusta ratio vivendi mendicantium, et etsi spiritualia officia praedicationis, sacramentorum administrationis etc. non suppeditarent, adhuc valde rationabilis esset ob virtutum exercitium et Ecclesiae utilitatem; hinc fini superiori inserviret et utilitatem afferret spiritualem, etsi esset cum aliquo temporali detrimento.

§ 2.

THESIS.

Ius est Ecclesiae exclusivum approbandi ordines atque congregationes religiosas, eosque easque moderandi, atque dissolvendi, omnesque causas de hac re iudicandi; et officium est status civilis, easdem adsociationes et respectivos actus recognoscendi in foro civili.

318. Thesis asserit in prima sui parte ad Ecclesiae ius spectare et quidem exclusive 1° ordines sive congregationes religiosas instituere, et regulam earumdem approbare;

2° easdem adsociationes religiosas moderari, seu gubernare; hinc et pro opportunitate regulas earumdem modificare, vel

3° easdem dissolvere et

4° causas omnes de hac re videre, puta validitatis professionis religiosae.

In secunda vero parte, thesis asserit per se officium esse christianae societatis, agnoscendi in foro civili has adsociationes, idest 1° eas habendi ut personas morales iuridicas, Ecclesiae homogenee subordinatas;

2° agnoscendi membra earumdem ut eisdem addicta, et ligata effectibus civilibus de quibus egimus in paragrapho antecedenti, nec non

3° eadem habendi ut alia ab aliis dependentia, prout regula statuerit et Ecclesia declaraverit.

Veritas thesis huius facile demonstratur ex generalibus principiis.

A. *Institutio.*

319. Ius est Ecclesiae exclusivum constituendi quidquid ducit ad sanctificationem societatis christianae, et

officium est status civilis has Ecclesiae leges et actus respondentes agnoscendi in foro civili, ut in praecedenti paragrapho demonstravimus. Iamvero Ecclesia iudicat religiosorum ordinum et congregationum institutionem valde conducere ad sanctificationem plebis christianae. Et veritas huius iudicii facile comprobatur. Iuvat enim 1° ipsis profitentibus et voventibus; 2° integrae societati tum indirecte tum directe.

320. Et I. ipsis profitentibus; etenim sub communi regula et disciplina, facilius et tutius servantur vota tum paupertatis, cum superior de omnibus disponat, tum obedientiae, cum superior continuo instet, tum castitatis, cum et viventes in saeculo, sint tamen a saeculo segregati.

321. II. Iuvat integrae societati et 1° *indirecte*, quia patet bonum exemplum, quod maxime movet, plus quam pulchra verba; 2° *directe*, quia maior pars religiosorum attendit etiam vel ministerio ecclesiastico, vel operibus piis in favorem societatis; etenim religiones et congregationes aliae sunt vitae tantum contemplativae, aliae etiam activae; sed primae paucae sunt; quae autem sunt activae vel attendunt ministeriis ecclesiasticis, et sunt clerici regulares; vel operibus charitatis tum intellectualis et moralis, educando iuvenes praesertim; tum corporalis, ut in nosocomiis; tum mixtae, ut in orphanotrophiis et aliis hospitiis in quibus cura corporum procedit cum instructionis et educationis subministratione, vel etiam armis defendendo societatem religiosam et civilem, ut olim in ordinibus militaribus. Ipsi autem ordines contemplativi, olim praesertim magnam utilitatem attulerunt christianae reipublicae, sive quia in eis fervor spiritus et doctrina ecclesiastica servaretur, unde factum est ut optimi

pastores exinde Ecclesiae providerentur temporibus maxime periculosis, nec non doctores contra haereticos, sive quia olim scripta antiquae sapientiae nobis servaverunt. Quae utilitates ab ordinibus religiosis allatae pro diversa sua indole in institutionibus iuris canonici abunde et distincte recensentur [1]).

322. Iamvero evidens est has utilitates magis tuto et abunde afferri ab adsociationibus quam a disgregatis viris. Vis enim unita fortior. Et sane adsociatio est persona perpetua; hinc operas ad finem perducit quae hominis vitam excedunt; hinc et experientia traditionalis perseverat; nec non distribuuntur officia ut singuli pro sua capacitate ei attendant in quo excellentiores sunt; qui autem ingenio minus praestant, ceteris in temporalibus administrant et sic illi magis expediti evadunt. Impensis pariter parcitur et opes, si regula eas admittat, semel congregatae conservantur.

Ergo valde iuvat tum pro singulorum voventium professione, tum pro spirituali utilitate societatis christianae, voventes ordinem constituere aut congregationem. Notandum est et operas charitatis corporalis esse recensendas sub charitate spirituali, quia non lucri causa, sed supernaturali charitate ponuntur, ideoque finis spiritualis in illis attenditur.

B. *Aetas.*

323. Cum igitur adsociationes religiosae utiliter instituantur pro fine religioso, iure ab Ecclesia instituuntur; cumque unice sibi proponant religiosum finem, unice ab Ecclesia pendent.

Ergo Ecclesiae est I. eas unice instituere et regulam

1) Vide De Camillis, vol. I. in fine.

approbare; et proinde determinare *aetatem* vestitionis atque professionis; et proinde iniustae leges civiles quae aetatem diversam ab ecclesiastica requirebant. Hae leges non modo iniustae quia Ecclesiae adversabantur, sed etiam iniuriosae erant, quia supponebant Ecclesiam non satis prudenter procedere, et professionem praesertim in iuniori aetate permittere. Tamen notandum est conditionem socialem mutari posse et efficere ut maturior aetas requiratur; tunc spectat ad prudentiam Ecclesiae, annos ad professionem requisitos augere.

324. Et ratio esse videtur spiritus informans societatem. Cum enim societas imbuebatur spiritu christiano, prudenter permitti poterat professio et iunioribus, quia prudenter sperari poterat eos esse perseveraturos; et experientia id confirmabat; si enim aliqui pauci a votis susceptis deficiebant, multo tamen plures laudabiliter perseverabant; proinde Deo maior honor et Ecclesiae utilitas derivabat. Hinc et puerorum oblatio permittebatur, qui optime instituerentur et in religione excolerentur; qui si perseverassent, primitias Deo acceptissimas constituebant, de quibus in iure canonico.

Sed paullatim praevalente contrario spiritu factum est ut iuniorum professiones minus expedirent; hinc Ecclesia quoque maiorem exegit aetatem. Sed Ecclesia non solet a suscepta disciplina recedere nisi evidens sit utilitas mutationis, quod sapientissime fit non modo ex regula generali s. Augustini, quod mutatio disciplinae quae utilitate iuvat, novitate perturbat, sed etiam quia in hac re, cum agatur de aliqua concessione facienda spititui irreligioso saeculi, Ecclesia defendit donec potest cum aliqua spe, adspectum religiosum societatis.

C. *Tempus probationis.*

325. Est Ecclesiae probationis tempus, seu, ut dicitur, Novitiatus determinare, ideoque iniustae et iniuriosae leges civiles quae aliter disponunt. Quae probantur rationibus analogis eis de quibus sub praecedenti littera.

Quod si aliquando principes sive antiqui, ut Iustinianus, sive recentes, aliquid in his et sequentibus capitibus enumerandis decreverunt et ab Ecclesia toleratum est, vel fuit acquiescientia ad mala maiora praecavenda, vel etiam quia satis rationabiles erant leges, eas adoptavit, aut nihil aliud erant quam sanctio civilis legis ecclesiasticae sive scriptae sive consuetudinariae praeexistentis.

D. *Vestes.*

326. Ecclesiae competit quoque ius vestes speciales adsignandi religiosis, quae a societate civili sunt non modo permittendae sed etiam defendendae, nempe impediendo ne alii eas adhibeant.

Hinc iniuria agunt ea gubernia quae vestes religiosas prohibent, saltem extra claustra monasterii.

Et sane: vestes speciales maxime inserviunt ad publicam professionem susceptae vitae religiosae; item monent religiosos ipsos de sua regula servanda; etsi enim, ut ait Concilium Tridentinum adoptans vulgare proverbium, habitus exterior non faciat monachum, tamen saepe monachum custodit. Hinc expediunt societati cum eam moneant de religiosis ideis, easque facto inculcent. Igitur permittendae sunt; imo defendendae, impediendo ne alii eas gerant per abusum.

Cum enim sint signa distinctiva specialis classis personarum, a legittima auctoritate determinata, decipit

societatem extraneus qui eas induat, et quidem eam decipit sub respectu religioso cum sint vestes professionis religiosae; hinc et decori status religiosi iniuriam infert, si illis indutus ea faciat quae sanctitati et gravitati religiosae professionis non respondent.

327. Quod de vestibus religiosorum diximus, dicendum quoque est de vestibus clericalibus. Sive enim positiva institutione, rationibus analogis ac pro viris religiosis, sive hominum moribus, factum est ut apud plerasque gentes, sint sacerdotibus et aliis ministris religionis speciales vestes etiam communes, idest extra sacrum ministerium. Eteńim ipsa sanctitas status efficit ut gravioribus vestibus utantur, et magis adhaereant antiquae consuetudini, abhorrendo a quotidianis mutationibus; et proinde forma vestium clericalium vel lege scripta, vel saltem consuetudine determinatur. Hinc iniuria agit qui eas prohibet vel non defendit.

E. *Numerus.*

328. Item ad Ecclesiam spectat numerum religiosorum determinare. Si enim inserviant publicae christianae societatis utilitati, Ecclesiae est determinare quot expediunt; si autem suae tantum sanctificationi attendant, quod etiam fit si ordo vitae activae socios habeat maiori numero ac requiratur a suo activo scopo, Ecclesiae pariter est eos omnes admittere qui probabilia dent vocationis signa. Ius enim omnibus est christianis, tendendi ad suam perfectionem, cum hic finis sit ceteris praestantior. Hinc s. Gregorius Magnus reprehendit legem imperatoris Mauritii prohibentis milites in monachos mutari.

329. Sed circa hoc obiiciunt: Ecclesia non admittit

ad religiosam professionem eos qui necessitati officii familiaris detineantur, ex. gr. quorum opera ad genitores pauperes alendos in saeculo necessaria est; prius enim satisfaciendum est officiis, deinde consiliis attendendum. Iamvero sicut quidam necessarii sunt ad rem familiarem, ita quidam necessarii sunt pro republica.

Igitur hos sibi vindicare ad ipsam spectat societatem civilem, sicut ad patremfamilias consensum concedere vel negare eis qui sub eius sunt potestate.

Resp. I. observando non currere paritatem inter auctoritatem patrisfamilias in filios, et principis in subditos; nam filii subiiciuntur patri usque ad competentem aetatem quia non sunt sufficientes ad sibi consulendum, saltem ea maturitate consilii quae requiritur in gravioribus negotiis; e contra subditi coram principe sunt sui iuris, exceptis iis quae referuntur ad bonum publicum, in quo ei subduntur, sicut iure naturae tenentur consulere necessitatibus parentum et cum evaserint ab ipsorum potestate.

330. II. animadvertimus Ecclesiam iudicare quoque de rationabilitate vel irrationabilitate dissensus patris, adeoque si irrationabiliter dissentiat, filios adhuc admittit ad professionem religiosam.

A pari, Ecclesia utpote societas superior iudicat an necessitas pro quibusdam remanendi in saeculo, a principe asserta, sit vera vel non; hinc si vere necesse erit quosdam in saeculo remanere, pro publico bono, eos non admittet, vel admissos dimittet. Sed haec quaestio cum consideret casum exceptionalem, valde differt ab ea sententia quam impugnamus, quae per modum regulae statuit potestatem civilem iure pollere determinandi quot et non amplius religiosi sint admittendi.

Id enim quidam regalistae asserebant pro utilitate ipsius Ecclesiae ideoque huius utilitatis iudicium ab ecclesiastica in civilem transferebant potestatem. Alii asserebant quia in genere abundantiam religiosorum civili societati nocere putabant; hinc proportionem religiosorum constituere cum reliquis civibus principi vindicabant, sicut fit de militibus.

331. Iamvero id falsum est. Multitudo enim religiosorum, si vere religiosi sint, statui per se non nocet sed iuvat. Si autem vere religiosi non sint, officium status est, Ecclesiae libertatem relinquere reformationes faciendi et eam adiuvare in observantia sacrorum canonum promovenda, non autem protegere discolos religiosos adversus legittimos superiores, ut saepe regalistis mos est. Per se autem multitudo religiosorum iuvat societatem, tum quia numerum exhibet civium perfectorum, tum ob vitae activae ministeria quae generatim praestant, ut diximus.

Quod si per exceptionem alicubi deficerent cives pro ceteris necessariis professionibus, ex. gr. pro militia, tunc casus est conflictus, qui iudicandus est ab auctoritate religiosa.

Ius enim est civili auctoritati providendi bono temporali, dummodo non impediatur bonum spirituale, ut fieret in hypothesi legis limitantis numerum religiosorum, sicut et de numero clericorum diximus.

332. De religiosis sicut de clericis obiiciunt nocere statui si numerosi sint, ob suas immunitates ab oneribus publicis.

Respondemus sicut de clericis diximus, id si verum, esset quid secundarii, tolerandum ob maius bonum spirituale, vel res iudicio Ecclesiae terminanda, si vere haberetur incommodum non tolerabile.

F. *Erectio domorum religiosarum.*

333. Sicut ad Ecclesiam exclusive spectat limites ponere numero religiosorum, ita et concedere facultatem erigendi novas domos, et proinde est usurpatio auctoritatis civilis ubi ad id eiusdem venia requiritur. Et sane erectio domorum religiosarum exclusive spectat ad vitam religiosam; hinc exclusive competit Ecclesiae. Si qui effectus exinde derivant in civilem societatem, sunt semper indirecti, ideoque sunt sequelae necessariae ordinis spiritualis, quae ab auctoritate civili sunt agnoscendae, non autem causa ipsa ab ea moderanda est.

G. *Regulae modificatio.*

334. II. Si ad Ecclesiam exclusive spectat ordines aut congregationes instituere, et regulam seu legislationem specialem earumdem approbare, ita ad eam exclusive spectat eamdem regulam modificare, si opportunum visum fuerit, cum mutatio aequivaleat novae regulae approbationi.

H. *Regimen.*

335. Item ad Ecclesiam unice spectat urgere executionem eiusdem regulae, ideoque invigilare in eius observantiam, sicut ad eam specialiter, superiores maiores eorumdem confirmare.

Etenim ex iure canonico habent superiores ordinum, auctoritatem quasi episcopalem in suos, et proinde pollent iurisdictione spirituali, quae non modo est participata sed delegata a summo Pontifice. Etenim huiusmodi praelati non sunt divinae sed ecclesiasticae institutionis. Hinc et removentur a summo Pontifice vel aliis

eius delegatis; etenim iurisdictio ipsorum tantum durat quantum summi Pontificis delegatio, eaque revocata cessat. Superiores autem congregationum etsi ex iure communi non sint praediti auctoritate quasi episcopali, tamen habent plures facultates a sancta Sede, ideoque indigent eius approbatione. Si vero sint congregationes dioecesanae, ex paritate rationis a suis episcopis dependent.

336. Et ratio generica ob quam ab ecclesiastica pendent potestate, est quia sunt adsociationes intra Ecclesiam constitutae, pro fine ipsius Ecclesiae consequendo, et quidem sunt adsociationes publicae; hinc non modo sunt sub vigilantia Ecclesiae ut omnes societates minores homogeneae relate ad suam maiorem, cuius vigilantiae vi, potest societas maior prohibere quae opponuntur fini eiusdem, sed quia constituuntur ut societates publicae seu ut partes organismi Ecclesiae, eius implorant agnitionem et privilegia, nec non perfectionis causa voto obedientiae religiosae adstringuntur, sequitur esse subiectas regimini Ecclesiae et eius moderamini, quae eas regit conformiter indoli speciali regulae propriae uniuscuiusque. Regula enim specialis est conservanda, cum quisque profiteatur non simpliciter vota, sed iuxta indolem determinati instituti; hinc ipsorum varietas; et quis vocatur pro uno et non pro alio, et proinde modificationes quae introducantur debent semper respondere indoli speciali cuiusque instituti.

I. *Dissolutio.*

337. III. Sequitur ab Ecclesia unice posse dissolvi. Etenim quaelibet societas dissolvi potest eius tantum facto qui eam instituit. Hinc Ecclesia id potest, quia

est iudex competens I. an adversentur sive per se sive per accidens bono integrae societatis ecclesiasticae; II. an adhuc utiles sint pro perfectione cuiusque profitentis. Et quoniam haec iudicare exclusive pertinet ad Ecclesiam, ad eam quoque congregationum aut ordinum dissolutio, unice spectat.

338. Quid si fiant noxiae ordini civili? Id esse potest tantum quia discedunt a sua institutione; tunc recurrendum est ad Ecclesiam ut provideat, sed auctoritate civili nequeunt dissolvi quia ab ea causam non habent, ideoque iure subsistunt donec ipsarum causa eas conservat.

339. Si autem dissolvantur ab Ecclesia, unice ad eam spectat disponere de bonis temporalibus quae possidebant. Haec enim bona non sunt individuorum sed ordinis aut congregationis, ideoque dissoluta societate, quaeritur quis succedat. Iamvero cum generice inspecta, sint pro scopo religioso, deficiente scopo specifico seu ordinis vel congregationis, remanet tamen scopus generícus, ideoque devolvuntur societati quae generice curat scopum religiosum, nisi obstet specialis fundatorum seu donantium voluntas. Secus cum ipsorum voluntas fuerit in genere religiosa, iure praesumitur voluisse aliam destinationem religiosam, deficiente specifica ab eis contemplata, quantum fieri potest eidem analogam.

Item deficiente persona imperfecta, eius bona accedunt personae perfectae a qua illa pendebat et causam habebat.

Tamen haec bona, quamvis non essent individuorum componentium ordinem, eisdem quoque providebant; hinc ex eis est ipsis succurrendum, nisi in poenam aliter iustum sit.

340. Obiiciunt: Bona religiosorum habent ut plurimum et scopum charitatis; hinc dissoluta religione,

devolvuntur saltem ex parte, illi societati quae temporali bono providet. Atqui huiusmodi societas est civilis. Ergo *liquidatio* necessaria est.

Resp. Bona religiosorum destinantur ut plurimum et ad scopum charitatis temporalis ex fine spirituali, concedo, ex fine mere naturali nego. Atqui spectat ad Ecclesiam providere in temporalibus ex charitate, spiritualis et supernaturalis motivi causa, dum ad statum civilem spectat tantum providere bono temporali ex motivo mere naturali et ordinis praesentis. Ergo contraria conclusio admittenda est.

L. *Interpretatio regulae et iudicium.*

341. IV. Ecclesiae pariter competit exclusive interpretari regulam et secundum eam iudicare emergentes quaestiones. Etenim potestas iudiciaria est necessaria sequela respondentis potestatis legislativae. Hinc maxime spectat ad Ecclesiam exclusive iudicare de validitate professionis, aut dispensare in votis et concedere saecularizationem, cum sola interpretetur ius divinum et dispenset in iis quae innituntur facto humano.

M. *Recognitio civilis.*

342. Prob. secunda pars thesis, qua asserebatur I. statum civilem teneri ad agnoscendam personalitatem iuridicam adsociationum ab Ecclesia approbatarum, et quidem ut subordinatam homogenee ipsi Ecclesiae; et quoniam solent subdividi in minores adsociationes, puta in provincias, et domos, sua distincta praeferentes iura iuxta Ecclesiae legem, hinc has quoque minores personalitates esse agnoscendas.

II. Singula membra agnoscenda esse pro effectibus civilibus ut ligata votis et regula; et proinde

III. auctoritatem superiorem religiosorum in suos subditos agnoscendam esse in foro civili.

Haec quae enumeravimus sequuntur ex principio statuto in paragrapho praecedenti, idest actus Ecclesiae fori externi, agnoscendos esse validos et in foro civili. Iamvero Ecclesia constituit ipsam adsociationem religiosam ut personam moralem distinctam a singulis personis physicis eam componentibus. Ergo est ut talis agnoscenda; et proinde ipsa congregatio vel ordo agnoscendus est ut subiectum iurium, ad normam legislationis ecclesiasticae, ex. gr. ut capax possidendi, acquirendi, contrahendi prout Ecclesia edixerit. Inferius enim quaestionem expendemus an in adsociatione facto privatorum constituta, ipsa adsociatio habeat personalitatem non modo collectivam, sed et distinctam a personalitate omnium simul individuorum. Sed certum est et ad rem nostram sufficit, societatem perfectam posse participare suam personalitatem et creare personalitates imperfectas a se dependentes et distinctas a personalitate collectiva sociorum. Etenim id est proportionatum suo fini; ergo id legittime potest. Iamvero id praestat Ecclesia in casu. Sed actus Ecclesiae sunt agnoscendi a societate civili. Ergo agnoscenda est personalitas iuridica adsociationum religiosarum, tamquam societatum homogenearum Ecclesiae et eidem subordinatarum.

Pariter II. membra agnoscenda sunt ut ligata votis et regula, cum professi fuerint publice, seu coram societate ecclesiastica, et eius leges et actus sint agnoscendi in foro civili. Hinc

III. agnoscenda quoque est hierarchia ordinum, quia singuli voventes publice eam libere amplexati sunt.

Contrarium statuere esset relinquere has leges Ec-

clesiae ut non agnitas in foro civili, et quidem non ex causa aliqua accidentali, puta quia non innotescunt sufficienter, sed per se; item converterentur in obligationes mere ethicas, officia suscepta a professis coram Ecclesia publice, quod inordinatum est.

343. De hac re abusus magnus est quatenus nolunt ordines religiosos pendere a superiori generali, Romae commorante, sed a vicario generali pro suo statu, constituto, quod unitatem ordinis vel congregationis tollit.

ARTICULUS VI.

Ius Ecclesiae quoad reliquas adsociationes religiosas et pias operas.

Quaeritur *A.* De adsociationibus. *B.* De operibus piis. *C.* De naturali adsociationis libertate. *D.* De iure naturali testandi. *E.* De iure erigendi personam fictitiam.

A. *De adsociationibus.*

344. Praeter ordines et congregationes, seu adsociationes religiosas vinculo votorum adunatas, adesse possunt et aliae adsociationes ex scopo religioso, quamvis votis carentes. Hae quoque sunt personae morales imperfectae, religiosae seu homogeneae Ecclesiae. Iamvero vel petunt agnitionem ab Ecclesia, et tunc publicas dicemus; vel mera privatorum pia voluntate consistunt, et tunc privatas dicemus. Semper subduntur vigilantiae Ecclesiae, adeo ut eas corrigere, et si opus sit, dissolvere possit; item et praeventivas quasdam poterit normas constituere; etenim et in actis privatorum sed aliquo modo socialiter sese manifestantibus, Ecclesia omnia potest quae necessaria sunt pro recta eorumdem institutione ad finem religiosum.

345. Cum autem ab Ecclesia petunt recognosci, esse potest vel ut meras personas collectivas, vel ut personas abstractas a singulis, seu ut vera collegia et vera corpora moralia. Si primum, sequitur poni sub speciali vigilantia Ecclesiae pactum sociale, ideoque eam intervenire posse et debere ad singulorum ius sociale defendendum, cum eius custos et vindex sit constituta in ipsa societatis formatione. Quae adsociatio et est creatio privatorum quatenus ab iis libere constituta, sibi reservata eiusdem potestate seu regimine, et est creatio Ecclesiae per adoptionem, quatenus firmat pactum sociorum illudque positive approbat.

346. E contra quando Ecclesia eas erigit in personalitates distinctas a collectione personarum physicarum, seu in vera corpora moralia, eas creat, eisque impartitur suam personalitatem, etsi eas creet ad preces privatorum qui eas excogitarunt et desideraverunt. Hinc in primo casu dissoluta legittime societate, bona dividuntur inter socios, nisi aliud iure positivo et libera voluntate sociorum obstet; etenim omne ius est in collectione personarum physicarum quae eam societatem componunt. E contra in secundo casu, bona et iura socialia sunt distincta a collectione singulorum; hinc sunt personae fictitiae, quia in concreto non existunt nisi singula individua et eorumdem collectiones.

347. Iamvero ius esse Ecclesiae et has personas proprie morales instituendi, nullum dubium est, cum sint organismi et media utilia pro consecutione finis socialis. Aliunde ius harum societatum adhuc subiectum habet concretum, quod tandem est societas perfecta, quae lege sua constituit societatem imperfectam ut subiectum iuris, sed eam limitando, ita ut retrahat

ius a sociis concretis, cum ipsi opponuntur indoli aut durationi eiusdem societatis imperfectae.

348. Indifferens autem est an membra harum societatum minorum sint votis adstricta vel non. Ergo Ecclesia eodem iure ac instituit ordines religiosos, potest et alias religiosas adsociationes constituere, puta confraternitates, scholas, sodalitia etc.

Regalistae dicunt saltem confraternitates creari a statu ab eoque pendere, quia sunt societates laicorum.

Resp. esse societates laicorum, sed christianorum reduplicative, idest ad scopum supernaturalem, non autem ut mere civium, idest ad scopum temporalem; hinc pendent exclusive ab Ecclesia, cum ab ea aeque pendeant clerici et laici in re religiosa.

349. Quaeritur autem an haec personalitas abstracta ab individuis possit in Ecclesia constitui voluntate privatorum, quamvis subordinata ipsi Ecclesiae, adeo ut Ecclesia tantum agnoscat quod iam existit, si nihil obstet.

Et quidquid sit in ordine naturali, de quo infra, certum est id non posse fieri in Ecclesia; quia personalitates in Ecclesia, cum sint ei homogeneae, sunt supernaturales. Iamvero ad id quod est supernaturale, homo non habet proportionem per se, sed eam accipit a Deo, facto positivo, sive immediate sive mediate. Duas autem constituit Deus; personam moralem supernaturalem perfectam seu Ecclesiam, et in baptismate constituit seu elevat personas physicas tantum, quae personae physicae limitantur ad eam potestatem quae refertur ad bonum spirituale singulorum sub Ecclesiae regimine. Boni autem publici religiosi omnis cura data est ipsi Ecclesiae. Hinc persona moralis in Ecclesia, distincta ab individuis, tantum ex facto Ecclesiae de-

rivare potest. E contra persona collectiva, quia verae adsunt personae physicae elevatae ad ordinem supernaturalem, quae mutua coniunctione efficiunt collectionem pro utilitate singulorum.

Haec de adsociationibus religiosis; nunc

B. *De piis operibus.*

350. Causae piae, seu piae operae sunt institutiones reddituum pro aliqua utilitate publica, puta adsistentia infirmorum, peregrinorum, orphanorum etc. Iamvero vel hi redditus conceduntur alicui adsociationi quae id muneris sive principaliter sive accessorie adsumit, ideoque ex contractu et in posterum obligatur, vel nemini conceduntur. In primo casu quaestio reducitur ad antecedentem, idest ad institutionem alicuius adsociationis pro scopo religioso, addito redditu temporali; iamvero in postremo articulo huius capitis ostendemus ius Ecclesiae et societatum minorum quae in ea sunt, acquirendi res temporales. Adnotavimus enim scopum religiosum comprehendere et opera charitatis corporalis, dummodo ex fine religioso intendantur, ut fit in societate christiana.

351. Si autem adsociatio intendat meram utilitatem temporalem, praescindendo a fine religioso, ut in societatibus quae dicuntur *philantropicae*, tunc societas haec religiosa non est. Quamvis enim amor humanitatis, ut sonat vox philantropiae, non habeat malum scopum et significare possit idem ac charitas proximi, tamen usu venit ut charitas exprimat amorem proximi supernaturalem, quatenus nempe imago Dei est, et proinde significet affectum religiosum; e contra vox philantropiae significet tantum naturalem amorem ho-

minis quatenus homo est, saltem praescindendo ab ordine supernaturali; quidam illum etiam negant.

352. Si vero opus pium constituatur independenter a quavis speciali societate, sed ut ens autonomum, tunc tendit ad aliquam partem boni publici, et per se est aliquid fictitii; sed natura sua concreditum est illi societati perfectae quae curat bonum specialiter a fundatore intentum, quaeque acceptatione sua obligatur ad redditus respectivos erogandos in eorum favorem quos fundator contemplavit; quae societas perfecta erit vel Ecclesia vel status; de operibus enim piis idem dicendum est ac de adsociationibus, idest posse institui vel ex fine mere naturali, vel ex supernaturali. Inter christianos catholicos praesumitur eas institutas esse ex fine supernaturali; quisque enim praesumitur agere conformiter suis principiis, praesertim cum actum sibi onerosum et aliis utilem praestat. Iamvero christianus qui suum donat, scit opera facta ex scopo supernaturali, sibi maxime esse meritoria. Hinc in antiqua societate, cum imbuebatur spiritu christiano, semper iudicabatur iuxta hanc rationabilissimam praesumptionem. Nunc autem non modo contrarium admittitur, sed et quaedam leges informantur spiritu adverso, ut nec praesumant haec instituta ex spiritu religioso, nec ea permittant.

353. Sed iniuria; etenim ius est bona sua, de cetero libera, ad usum honestum destinandi. Scopus religiosus est maxime honestus; et ipsa opera charitatis temporalis inter ea quae ad scopum religiosum referuntur, ex dictis, recensenda sunt. Ius autem est Ecclesiae, ex infra dicendis, acquirendi et bona temporalia pro scopo suo. Ergo et pro operibus piis. Et quoniam Ecclesiae competit ius invigilandi in ea omnia quae ad scopum

religiosum inter christianos referuntur, hinc ei competit ius non modo praestandi per se vel ex voluntate fundatorum operas pias, sed invigilandi quoque in eas operas pias quae ex voluntate testatorum aut fundatorum habent speciales administratores, nisi expresse constet contraria voluntas. Etenim diximus inter christianos haec praesumi instituta ex scopo religioso, quae praesumptio viget donec contrarium aperte demonstretur.

354. Quod si fundatores expresse faterentur se ponere ex scopo religioso suas institutiones et tamen velle ecclesiasticam potestatem excludere non modo ab administratione sed etiam a qualibet vigilantia in administratores, iam contradictorie agerent, neque ipsorum voluntas in hoc esset attendenda. Etenim quaelibet institutio innitatur oportet personae cuidam physicae; hinc vel individuae vel societati. Individua autem vel regunt nomine proprio, vel alieno; ut in casu, nempe fundatorum operis pii; iamvero cum tunc non agant in propriam utilitatem, sed societatis, neque agant nomine proprio, ius est societati saltem inspiciendi an satisfaciant officio suo; quod si a fundatore esset prohibitum, vel eius voluntas non esset praeceptiva quoad haeredes aut non esset attendenda ut occasionem praebens inhonestati administratorum.

Si autem alicui societati commendatur opera pia, societas aut est perfecta aut imperfecta; haec autem semper est sub aliquali vigilantia societatis perfectae homogeneae; iamvero qui ex scopo religioso aliquid instituit, illud praestat in utilitatem societatis religiosae, ideoque tum societas imperfecta tum individuus qui alieno nomine id agit, est sub aliquali vigilantia societatis religiosae. Dicimus aliquali; etenim regula-

riter societas poterit rationes exigere ab administratoribus designatis a fundatore; si autem id fuerit prohibitum, quia aliquando natura ipsa operis id suadet, puta ad succurrendum pauperibus occultis, saltem poterit intervenire in casu evidentis abusus, aut rationes quasdam genericas petere.

Exclusio vigilantiae societatis tum ecclesiasticae tum civilis admittitur tantum in iis legatis piis quae mere *legata familiae* dicuntur, cum nempe testator ipsorum adimplementum expresse remittit unice conscientiae suorum descendentium, vetito cuiuslibet auctoritatis interventu, ad molestias quascumque suis vitandas, pro quibus specialem fovet fiduciam. Haec in foro externo non habentur ut iuridice obligatoria ob expressam fundatoris voluntatem.

C. *De libertate naturali adsociationis.*

355. Hactenus consideravimus ius adsociationum prout competit in Ecclesia, ex divina eius natura. Sed quid coram societate civili, quae non agnoscat divinam Ecclesiae naturam, sed innitatur principiis, ut aiunt, iuris moderni, quibus status civilis declarat se incompetentem in materia religiosa, ideoque votorum valorem non admittit, neque obligationes societatis perpetuae, excepto ad summum matrimonio?

Respondemus statum hiusmodi ut sibi constans sit, necesse esse agnoscat libertatem adsociationis pro scopo honesto. Hoc enim ius est naturale. Quisque enim ius habet sese perficiendi et evolvendi suam activitatem, ad quod maxime conducit adsociatio. Etenim omnino falsa est et gratuita doctrina quae invaluerat saeculo superiori, quaeque renovabat errorem paganismi, nempe

singulos contrahendo societatem civilem, se suaque omnia ei obligare, ita ut indigerent eius venia pro quacumque alia contrahenda obligatione. Nam id non importat natura societatis civilis, ut vidimus lib. I. part. I. cap. 3., agentes de eius fine. Importat enim tantum, cum sit suprema in ordine temporali, non esse contrahendas alias obligationes eidem repugnantes. Hinc oportet scopus sit honestus, et in eius prosecutione, honesta adhibeantur media. Proinde in hypothesi de qua loquimur, idest praescindendo a divinitate Ecclesiae, utique competeret societati civili ius interveniendi in casu abusus, et cuiusdam generalis vigilantiae, sed deberet adsociationem agnoscere saltem ut personam collectivam, et exigere a sociis ut pacta servent donec honeste servari possunt.

Etsi autem perpetuae societatis obligatio non admittatur extra matrimonium, admittitur tamen partem recedentem debere indemnes servare socios pro diversa natura societatis. Pari ratione et piae operae catholicae admittendae essent; admissa enim existentia adsociationis catholicae, tamquam legittimae societatis, ideoque tamquam moralis et iuridice personae, saltem collectivae, vel etiam ut naturam corporis moralis referentis, iuxta dicenda infra n. 363, agnoscendum est in ea et ius haereditates ac legata acquirendi. Iamvero et piae operae catholicorum tandem recidunt in bonum eorumdem; hinc si ut supponimus, sint ad scopum honestum, recognoscendae sunt, quamvis sub vigilantia societatis civilis, cuius auctoritas in hypothesi adversariorum esset unica; hinc valeret et modificare pia legata, prout societatis bonum exigeret, sicut nos dicimus de Ecclesia, dummodo de vera et non palliata exigentia agatur.

Haec quidem recte statuuntur et praescindendo ab ea celebri quaestione, an ius testandi sit ex lege naturae vel non. Etenim si in societate admittitur, ex aequalitate concessa civibus et ipsorum honestis adsociationibus, aeque omnibus agnoscendum est, et tantum iniuste ceteris concederetur et catholicis negaretur. Deinde omnes concedunt facultatem testandi etsi supponeretur a mero iure naturae derivari non posse, tamen inter ea esse quae ius naturae maxime laudat, et quae a natura societatis ordinatae, constituenda exiguntur ut fundamentalia; secus enim maximus deficeret stimulus ad homines solertes ac diligentes reddendos, quando carerent necessariis haeredibus, et impotentes essent his constituendis, si nec de parte substantiae propriae libere disponere possent. Igitur si e lege naturae non datur, danda est a lege civili, et quidem omnibus ex iustitia sociali. Verum et ius naturae plurimum in hac re posse dicimus; hinc sequentem innuimus quaestionem.

D. *De naturali facultate testandi.*

356. Hoc quidem ius lege naturae defendimus. Etenim etsi aliquando disputatum sit an facultas testandi simpliciter inspecta sit ex iure civili vel ex iure naturae, nullo modo sustineri potest prima opinio. Dicimus simpliciter inspiciendo facultatem testandi. Non enim loquimur de plenissima eius libertate, qualis praesertim habebatur lege romana, dividendi proprietatem ab usufructu, fideicommissa instituendi, perpetuum usum determinandi et alia huiusmodi quae tantum lege positiva adaequate explicari possunt. Ius autem testandi, sicut ampliari lege positiva, ita iustis de causis et coarctari potest, tum cogendo ad naturales servan-

das obligationes, ex. gr. erga liberos, in quo proprie non coarctatur, sed urgetur lex naturae atque determinatur; tum illud iuxta bonum publicum limitando et modificando. In societate enim oportet iura individualia accommodare ipsi coexistentiae plurium, ideoque ea modificare. Sed loquendo in genere, facultas testandi, idest nostrum successorem designandi ne bona nostra fiant nullius, est a iure naturae.

357. Id plures demonstrant, quia quisque potest res suas donare; quod tum absolute fieri potest, tum sub conditione; conditio autem in casu est: nisi quis revocet donationem ante mortem. Contra hunc modum defendendi ius naturale testandi, observaverunt alii, in hac hypothesi voluntatem testatoris evadere absolutam dum amittit vitam; sed cum vita, amittitur dominium; mors enim omnia solvit. Hinc talem voluntatem numquam fieri absolutam; donec enim vivit seu dum voluntas est, semper conditionata est.

Sed adnotari potest, etsi donec quis vivit, eius voluntas sit retractabilis, non tamen semper retractatur; hinc si quis moriatur absque retractatione, hoc ipso ostendit se acquiescere in voluntatis suae manifestatione.

358. Sed ad omnem obscuritatem auferendam, animadvertendum est, eos qui negant ex lege naturae ius testandi, inniti falso supposito, hominem nempe dominium acquirere posse tantum pro suis indigentiis personalibus, vel ad summum familiaribus; tunc enim quoniam post mortem *naturaliter* nullius rei temporalis indigemus [1]), morte finiretur ipsum dominium, quod lege naturae acquisitum fuisset praecise tantum pro

1) Dicimus naturaliter, quia supernaturaliter ad suffragia habenda quis et post mortem, utilitatem habere potest a rebus suis.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

tempore vitae nostrae. Hinc tantum successio intestata saltem ex parte locum habere posset, eorum quibus de eodem iure naturae consulere tenemur, vel qui socii fuerunt laborum nostrorum, ut filii, quibus aliquod condominium et viventibus facile competit.

359. Sed hic conceptus iuris dominii falsus est. Etenim homo ius habet acquirendi non modo ut sibi consulat sed ut et aliis benefaciat, sive individuis sive societati ipsi; hinc non modo pro se laborat sed et pro aliis. Ex quo fit eum donare posse, quod neque inter vivos liceret si tantum ut sibi consuleret posset rerum dominio potiri; tunc enim vendere aut commutare posset, sed non donare. Posito autem iure aliis benefaciendi et donandi, non intelligitur quare coarctandum esset ad tempus vitae, et non extendendum ad mortis instans, cum maxime tunc benevolentiam natura duce ostendamus. Imo cum natura ita res mundanas condiderit ut nequeant in utilitatem generis humani evolvi nisi succedentibus sibi generationum laboribus, necesse est habeatur inter homines ea moralis personae perseverantia quae physice deest, et in successione haereditaria invenitur. Ea enim sublata, deficeret potentissimus stimulus ad activitatem humanam acuendam.

360. Igitur ius testandi ab ipsa natura hominis sociali procedit, qui rebus et laboribus suis sibi et ceteris iure consulit. Hinc non deducimus hoc ius ex conceptu absoluto dominii, idest disponendi pro lubito rerum suarum, iisdem utendi et abutendi; hoc enim ius si absque ulla limitatione lege civili potest indulgeri, non tamen exurgit a iure naturae; etenim attendendus est *titulus* quo valemus rebus potiri et ceteros excludere; tantum enim porrigitur ius, quantum titulus eius, qui est ratio illud generans et conservans.

Iamvero lex naturae, ius dominii concedit pro necessitate et utilitate nostra; cum enim res quae sub dominio cadunt, sint limitatae et nequeant omnibus simul inservire, hinc ius eas occupandi seu praeoccupandi et ceteros excludendi, ut nobis eas vindicemus; possumus autem iuri nostro nuncium mittere vel simpliciter, ut rursus res occupata, nullius fiat, vel, attenta nostra socialitate, sub conditione, idest ut ab alia determinata persona occupetur; quod est in alium, dominium transferre, sive gratuito sive non. Cum autem ex labore, rei valorem augeamus, hoc augmentum utpote effectus nostrae activitatis, ad nos plene pertinet, ideoque hoc sub respectu multo magis possumus de re nostra disponere, et etiam abuti, aut ius nostrum in alium transferre, sive inter vivos, sive mortis causa.

361. Dato autem iure testandi, in favorem cuiuslibet personae fieri potest, quae sit capax acquirendi; atqui huiusmodi est tum persona physica, tum moralis, sive perfecta sive imperfecta. Ergo et Ecclesia, quae hoc ius sibi et suis minoribus internis adsociationibus semper ut proprium et nativum asseruit. Ex quo, sententia derivans ius testandi a lege naturae, magnum accipit robur, cum Ecclesia ius suum haereditandi habeat non ut suae naturae superadditum positiva Dei voluntate, sed ut exurgens ex ipsa natura personae moralis perfectae, quod esse non posset nisi in aliis ius esset naturale testandi; tunc enim auferente societate civili ius testandi, frustraretur ius Ecclesiae haereditandi, nisi et illud ius in favorem Ecclesiae omnibus concessum lege positiva divina diceremus, quod omnino gratuito et inverisimiliter assereretur.

362. Item sequitur et legata pia perpetua condi posse; bona enim sic relicta non sunt sine domino concreto;

domini enim utiles sunt illi in quorum favorem constituta sunt, ex. gr. pauperes aut infirmi; dominium autem directum est societatis perfectae, curantis bonum eorum in cuius favorem, mortis causa, relicta sunt, vel etiam inter vivos erecta; imo eius est saltem mediate et ipsa dominii utilitas harum institutionum, et etiam administratio, nisi administratores, de cetero habiles, fuerint a fundatoribus designati; auctoritas autem publica est civilis; sed admissa divinitate Ecclesiae, cum ex scopo religioso fiunt, ad eam ex dictis spectant.

Haec legata cum sunt erecta ut entia autonoma, seu fictitia, profecto sunt in bonum publicum, ideoque cum non fuerint determinatae societati imperfectae attributa, ipsius societatis perfectae sunt; secus nullius essent. Sed tenebiturne societas perfecta eadem suscipere?

Profecto tenetur, cum cuique ius sit benefaciendi ipsi societati vel alicui eius parti, dummodo cohaerenter bono publico. Quod supremum ius societatis perfectae coordinandi omnia ad bonum publicum, magis vim suam exhaerit quoad ea quae non respiciunt ius privatorum, sed instituta sunt ob bonum ipsius societatis, ut, in hypothesi, sunt legata pia sive intuitu religionis sive philantropiae facta; hinc supremae potestati sociali, sive ecclesiasticae sive civili, pro diversa natura institutionum, competit non tantum ius legata pia modificandi, sed etiam supprimendi, si id publica utilitas requirat.

E. *Ius naturale instituendi corpus morale.*

363. Quaeritur an individuis, naturae lege sit ius condendi societatem quae tantum sit persona collectiva, vel etiam corpus morale.

Vidimus supra, n. 355, ius naturale esse hominibus adsociandi se ad scopum honestum; adsociatio autem iuridica importat saltem personam collectivam, quae repraesentat iura a singulis in communi posita.

Quod autem attinet ad corpus morale proprie sumptum, dicimus ipsum sumi posse vel simpliciter ut tale, vel mixtum fictione iuris. Primo sensu importat societatem cuius ius est distinctum a iure singulorum, sed tamen in bonum commune eorumdem, vel saltem eorum qui in societate perseverabunt; ita fit in societate perfecta, sive civili sive ecclesiastica; in quibus tamen si deficerent omnes socii, et ipsorum ius evanesceret. Sunt enim independentes, ideoque ipsorum ius non innititur alteri personae a societate ipsa distinctae. Hinc ipsorum ius est quidem distinctum a iure singulorum, sed non subsistit independenter a sociis ipsis simul sumptis.

E contra habetur corpus morale seu moralis persona, mixta fictione iuris, quando ius sociale est non modo distinctum a iure singulorum, sed insuper subsistit independenter a sociis etiam simul sumptis, et proinde eis deficientibus subsistit titulus personae moralis eique adhaerent eiusdem iura et bona, quae non fiunt nullius. Ita evenit ex. gr. si deficiant omnino membra alicuius capituli vel communitatis.

Hanc personam dicimus moralem, sed partim veram, partim fictione iuris constantem. Ius enim proprie, abstractum ab omnibus personis naturalibus non subsistit. Ex quo sequitur talem personam non posse derivare a iure privatorum, quia excederet eos a quibus causam haberet, et contra ipsorum quoque voluntatem postea subsisteret.

Insuper cum sit persona quaedam de se perpetua,

oportet habeat perpetuam existentiam; eam autem vel habet per se seu ex iure naturae, vel ex iure divino positivo, vel participatam; per se non habet; ab individuis nequit participari; ergo habet vel a societate civili vel ab ecclesiastica, prout uni vel alteri fuerit homogenea. Et sic subiectum ultimum iuris eius, proprie sunt adhuc personae verae, idest quae componunt maiorem societatem a quâ firmitatem suam a propriis individuis independentem recipit.

E contra, ut notavimus lib. I. part. I. cap. 5. a. 3. q. 1. a iure privatorum exurgere potest merum corpus morale, seu societas cuius ius non praescindat ab omnibus simul individuis, sed a pluribus in favorem aliorum qui in primo perseverant proposito.

364. II. Deinde et quoad personam moralem fictione mixtam, quoniam privatis ius est concurrendi ad bonum publicum non auctoritative, sed sponte, sub vigilantia et moderamine publicae auctoritatis, hinc in ordine mere civili et naturali, officium est reipublicae adsistendi privatis qui utilem personam fictitiam volunt instituere; seu personalitas iuridica et fictitia est concedenda, si de cetero expediens.

Verum quoniam repraesentat non ius et bonum privatorum instituentium, sed societatis perfectae in cuius adiutorium constituitur, hinc a publica auctoritate modificatur futuris temporibus prout expediet bono sociali, vel etiam supprimi poterit.

365. Hoc ius fortius est in re ecclesiastica quam civili, cum in ea ius omne et cura boni publici sit auctoritatis et ab alto descendens; e contra societas civilis cum sit instituta ad supplendam insufficientiam individuorum, his campum liberum relinquere debet donec vires sufficiant. In Ecclesia autem privati agunt

semper in ordine ad bonum publicum, non suo nomine sed Ecclesiae, ideoque iugem et intimiorem ab ea recipiunt influxum.

366. III. Tamen ius est ut supra pia legata condendi, quae si fuerint tali personae ex parte fictitiae concessa, nequeunt modificari donec utilia adhuc sint, cum haec habeant concretum subiectum iuris in eis membris societatis in cuius utilitatem condita sunt, ex. gr. in infirmis. Verum quoniam hae classes sunt indeterminatae quoad individua, hinc adhuc administrative pendent a publica potestate, quae proinde et edit decretum declarativum de his haereditatibus suscipiendis, aut erigendis in entia moralia, seu personas fictitias.

367. Si autem administrator designetur a fundatore, vel est aliqua persona iuridica praeexistens, vel designata ex iis qui evidenter spectant ad classem in cuius favorem legata condita sunt, vel quae de his indigentibus curam habet; sed recognoscere hanc evidentiam, aut ea deficiente, administratores seligere, publicae est auctoritatis homogeneae.

ARTICULUS VII.

Ius Ecclesiae acquirendi et libere administrandi bona temporalia.

§ 1.

Ius acquirendi.

368. Cum Ecclesia eiusque internae subdivisiones, aut adsociationes, sint societates hominum quatenus tales, sequitur eas indigere bonis temporalibus. Ergo sequitur Ecclesiam iure pollere eadem legittimis mediis acquirendi. Cumque sit societas a civili independens,

sequitur ad valide et licite acquirendum sufficere media iuris naturae, non autem teneri legibus civilibus, nisi eas ratas habeat; hinc est ius canonicum habere ut valida legata et testamenta ad causas pias etsi praetermissae sint solemnitates civiles, dummodo servata fuerint substantialia de iure naturae (Cap. Relatum 11. de testamentis). E contra in actibus inter vivos solet Ecclesia ratas habere leges civiles de translatione dominii; ratio praecipua differentiae ea esse potest quod mortuus nequit amplius actum suum corrigere; e contra vivus.

369. Contra ius Ecclesiae liberum et independens acquirendi obiici non potest cum Bolgeni et aliis bona materialia subiici per se societati civili, imo antecedenter ac Ecclesiae, ideoque imminui ius societatis civilis si ad Ecclesiam, societatem independentem, transirent, absque eiusdem beneplacito. Etenim quoad primum, pertinent per se societati humanae, quae alia est civilis, alia religiosa, cum utraque eis indigeat.

370. Ad 2^{um} cum utraque, si in genere respiciatur, sit mundo coaeva, bona temporalia pariter in genere inspecta, pertinent ad utramque. Sed etsi inspecta in specie, pertinerent antecedenter ad societatem civilem cuius ius imminueretur ex transitu eorumdem ad Ecclesiam, nihil inconveniens in hoc haberetur. Etenim societas inferior aliquid damni sustinere tenetur in utilitatem superioris, sicut corpus pro anima. Imo cum et Ecclesiae inserviendo adhuc inserviant societati humanae, et ei pro nobiliori fine inserviant, tandem non nocent societati humanae sed eam iuvant; sicut iuvat hominem quod animae inservit, etsi aliquid subtrahat corpori. Aliquando tamen Ecclesia voluit attendere huic distinctioni de bonis antiquitus possessis ut essent

immunia a publicis tributis, et de bonis noviter acquisitis, quod non essent immunia, ne imminueretur ius principum. Verum id fuit ex prudentia, aut quadam aequitate Ecclesiae, ne principes offenderentur, aut ne auctis eius bonis, societas civilis gravaretur; sed non respicit ius.

371. Et notandum est ius esse Ecclesiae eiusque subdivisionibus, possidendi non modo bona temporalia quae immediate inserviunt exercitio cultus seu in genere vitae spiritualis, sed etiam quae mediate, seu bona immobilia ex quibus redditus necessarii comparentur. Etenim societas bene ordinata ius habet possidendi media idonea et tuta ad sui finis consecutionem. Sed in linea reddituum, non modo idonea sed magis tuta et naturalia sunt bona immobilia. Ergo de his possidendis Ecclesiae ius est.

372. Obiiciunt utilius esse valores fiduciarios possidere, seu redditus debiti publici, cum auferant distractionem administrationis.

Resp. 1° Ecclesiam ius habere ad media idonea; eius autem est eligere inter ea quae putat utiliora;

2° valores chartaceos esse periculo expositos, et facilius possessores, dependentes constituere a guberniis;

3° habere valorem variabilem, ob variabilitatem valoris pecuniae. Ex. gr. ager qui bene excultus nunc sufficit alendis decem hominibus, sufficit aeque excultus et post 100 annos. E contra eadem quantitas pecuniae, puta 1000 libellae quae nunc sufficiunt alendo homini, non amplius sufficient si eius valor ob novas detectas fodinas metalli et alias causas minuetur, ut a pluribus saeculis fit.

4.° Si sermo esset de *conversione* bonorum immobilium in chartaceos illud addendum foret, quod factum

est apud nos et ubique fit quando talis *conversio* habetur, redditus nempe adsignari loco bonorum immobilium iam detractis expensis administrationis (reddito netto) ideoque idem est ac si hae expensae toleratae fuerint.

373. Obiiciunt 2° bona Ecclesiae, seu in genere, ut aiunt, manuum mortuarum, esse nociva commercio ob suam immobilitatem.

Resp. I. perseverantiam eiusdem domini non nocere agrorum culturae, imo et iuvare; et notandum est tandem horum bonorum usufructum semper esse in societate humana; imo cum in Ecclesia sacerdotium non sit haereditarium, vere mutantur familiae usufruentium, etsi semper inscribantur eidem Ecclesiae.

Imo sic facile eis fruuntur et pauperes qui ad gradus ecclesiasticos admittuntur.

Resp. II. Ecclesiam non interdicere simpliciter alienationem, sed tantum 1° auctoritate privata beneficiati, vel administratoris, quod in qualibet societate fit relate ad bona publica; beneficiatus enim, non dominium sed merum usumfructum habet bonorum beneficii sui. Praelatus autem aut rector Ecclesiae, de bonis eiusdem distinctis a mensa vel beneficio suo, neque usumfructum habet, sed meram administrationem; 2° nisi urgeat necessitas aut utilitas. Experientia autem ostendit has causas interdum verificari.

Resp. III. tandem detrimentum temporale si quod esset, sustinendum esset pro bono spirituali, neque posset societas inferior limitare ius societatis superioris. Quae responsio et pro sequentibus difficultatibus aut limitibus, praesens habeatur; etenim difficultas *oeconomica* numquam elidit rationem *iuridicam*.

374. Obiic. 3. Bona manuum mortuarum non bene excoli, quod nocet industriae.

Resp. negando; imo, praesertim corpora moralia, ut ordines religiosi, optime de agrorum cultura meriti sunt, cum regiones desertas in floridos agros industria ac patientia sua converterint. Hinc copiosae divitiae ordinum religiosorum, magna ex parte erant fructus laborum eorumdem et non gratuitae donationis morientium; ex quo magis apparet iniustitia legum quae eosdem suis bonis expoliaverunt.

Ratio autem ob quam melius agri excoluntur a corporibus moralibus, praesertim ab ordinibus religiosis potiusquam a privatis est multiplex: 1° quia vis unita fortior; 2° religiosi non solent indigere quotidianis fructibus, cum ex ipsa numerositate possessionum necessariarum pro magna familia, eveniat ut plurimum inter multos agros iam excultos et nonnullos haberi posse incultos, quibus attendi potest; e contra vir privatus solet non multa praedia habere, ideoque oportet statim retrahat ex eis meliorem fructum hic et nunc possibilem. Sed magnae operae fructus reddere non solent, nisi post aliquod tempus. 3° Vir privatus morti subiicitur; hinc innumerae mutationes in statu familiarum; e contra corpora moralia sunt perpetua; hinc et opera longiora assumere possunt cum certitudine continuationis, quia neque voluntas neque conditio monasterii mutabitur usque dum opus compleatur.

375. Obiic. 4.° Saltem posse principem limitem ponere acquisitionibus Ecclesiae; etenim secus sequeretur paullatim omnia fieri Ecclesiae, cum sit societas perpetua, et raro alienet; hinc tandem ipsa, omnia bona absorberet, et iam principi deficeret territorium in quo sua iura explicaret aut a quo tributa societas civilis hauriret ad sua onera ferenda; hinc iure suae conservationis et existentiae, sicut valet princeps privatis

limitem ponere, ita et Ecclesiae; est enim defensor iuridicus societatis civilis ut removeat quae eam laedunt.

Resp. negando tale ius competere statui civili. Sed ad omnem invidiam ab Ecclesia removendam, animadvertimus aliud esse ius, aliud ordinatum exercitium iuris. Utique Ecclesia habet ius acquirendi et possidendi pro fine suo, ita tamen ut absque proportionata causa non gravet societatem civilem; cumque ex Dei ordinatione, utraque in mundo perseverare debeat, Ecclesia non debet ita sua iura explicare ut impossibilem reddat civilis societatis existentiam ordinatam.

Hinc loquendo de legislatione generali Ecclesiae, numquam veris iuribus civilis societatis adversabitur. Sed videndum est quos limites debeat Ecclesia servare quoad acquirenda bona temporalia, et cuius sit eos definire.

376. Iamvero cum Ecclesia sit societas superior, definire limites legittimae evolutionis suorum iurium et terminos servandos ne societas civilis laedatur, ad eiusdem iudicium pertinet, salvo iure remonstrationis pro societate inferiori. Non igitur est status civilis praefinire limites acquisitionibus Ecclesiae, sed Ecclesiae ipsius eos sibi imponere, non acceptando nova legata, saltem immobilium, si vere id noceret statui civili, qui in hac hypothesi ius haberet reclamandi ad Ecclesiam, et Ecclesia certissime susciperet has reclamationes; sollicita est enim Ecclesia ut vitet et umbram eorum quae invidiam probabiliter generare possunt.

377. Sed restat videndum an vere indefinitae acquisitiones Ecclesiae nocere possint sive principi sive humanae societati.

Quoad principem, vel inspicimus ius eius politicum, seu iurisdictionem exercendi, vel ius tributa exigendi.

Primum non imminuitur; nec enim praedia Ecclesiae sunt immunia a iurisdictione, sed tantum ipsa templa et loca adsimilata; hinc lex civilis afficit incolas praediorum Ecclesiae, et in eis explicatur potestas tum iudiciaria tum coactiva principis.

378. Quoad tributa, haec obiectio id tantum evincit, ea in hypothesi Ecclesiam permittere debere ut imponerentur et praediis suis, et sic tutum esset et integrum ius principis. Iamvero ratio eximendi praedia Ecclesiae a tributis, duplex affertur: I. quia Ecclesia adiuvat societatem civilem, ideoque aequum est quaedam privilegia sibi vindicare possit aut eidem sponte tribuantur, in compensationem, inter quae privilegia et exemptio a tributis potest computari, etiam ex eo quod obligatio est societati christianae suppeditandi Ecclesiae quae fuerint ei necessaria. Si igitur aliqui sponte offerant Ecclesiae bona temporalia, hi ceteros seu integram societatem ex toto vel ex parte exonerant a praestandis subsidiis Ecclesiae.

Status proinde non exigendo tributa ab Ecclesiae bonis, haec non imminuit, et sic exonerat pro hac parte societatem, quae supplere deberet si quid ex necessariis, Ecclesiae deficeret. Imo esset valde indecens statum exigere portionem bonorum quae Ecclesiae offeruntur, ut exoneretur ipse status; duplici enim vellet gaudere utilitate.

Et hoc quidem recte; sed si Ecclesia abundaret divitiis iam non indigeret immunitate a tributis, ideoque huic exemptioni nuncium mittere posset, et aliter compensari, et etiam satis se compensatam habere posset ex defensione armata status qua tuetur eius bona aliaque eius iura, absque alia compensatione, cum Ecclesiae natura sit ut debeat ordinem moralem promo-

vere et sic tranquillitati publicae consulere, ideoque hominibus et societati civili benefacere de suo, contenta sibi necessaria et utilia tribui. Non enim est societas commercialis quae dicat: « do ut des ad aequalitatem ».

379. II.ª ratio ob quam Ecclesiae adscribitur immunitas, est quia ipsa cum omnibus bonis et rebus suis est independens a potestate civili, ideoque non ex privilegio ceteroquin iusto, sed ex mero iure sint eius bona immunia a tributis.

Verum distinguendum est inter bona quae immediate inserviunt cultui divino exercendo, ut sunt Ecclesiae, et bona quae mediate, idest quia redditus necessarios subministrant. Si de primis sermo sit, certe sunt immunia, quatenus id exigit ratio cultus divini, ideoque praecedit ius Ecclesiae, subsequitur ius civile si quid supersit in quo exerceri possit; hinc videmus et nostris temporibus talia loca haberi ut immunia a tributis, etiam ab iis guberniis quae in reliquis non agnoscunt ecclesiasticam immunitatem.

Verum quoad bona cetera, profecto non est nimis urgenda ipsorum immunitas a lege civili; secus ibi princeps neque ius politicum posset exercere, quod nemo asseret. Ergo Ecclesiae dominium non excludit iura principis, nisi quatenus inconciliabilia cum iuribus Ecclesiae.

Hinc videndus finis ob quem Ecclesia ea bona possidet. Finis ob quem possidet aedificia sacra est exercitium cultus divini; hinc ibi non convenit exerceri quae sunt profana; finis quo possidet bona de quibus agimus, est ut congrui redditus habeantur; iamvero 1° si satis sint pingues ex multitudine horum bonorum, iam necessaria non est exemptio a tributis, ut supra dictum est; 2° finis Ecclesiae in hoc non differt a fine

privatorum; sed status civilis defendit haec bona et huius rei causa imponit privatis tributa; ergo Ecclesia permittere potest etiam suis bonis imponi; imo etsi ius habeat sibi vindicandi privilegium exemptionis si expediens putet, tamen non sunt ipso facto exempta, quia possidentur more privatorum, ut princeps aliquis possidet in regno alieno, vel ipsa respublica quae possidet plura more privatorum.

380. Haec ratio est ob quam plures docent, praescindendo a lege positiva ecclesiastica, Ecclesiam teneri servare leges civiles de cetero iustas, circa modos acquirendi rerum dominia. Tamen animadverti debet aliud esse ius acquirendi, quod in Ecclesia est omnino independens, aliud modus possidendi et fruendi rebus acquisitis; illud est in Ecclesia independens; hoc pendet a fine ob quem possidet; idest nequit praeiudicari eius fini; sed bona quae mediate tantum inserviunt fini Ecclesiae, more privatorum ei inserviunt, idest subministrando redditus detractis omnibus iustis expensis, inter quas et tributa debita statui pro competenti defensione, recensenda sunt. Haec de iure principis.

381. Sequitur consideratio ipsius societatis civilis, seu societatis humanae quatenus civilis est. Si ex hypothesi omnia fierent Ecclesiae, nemo laicus possideret, et societas laica nihil possideret.

Animadverto I. haberetur melior ratio communismi et socialismi absque inconvenientibus. Cum enim in Ecclesia sacerdotium non sit haereditarium, ex omnibus familiis vocarentur ad fruendum de bonis Ecclesiae.

Deinde cum superflua sint eroganda in pios usus, sequitur divitiis Ecclesiae quammaxime iuvari omnes humiliores, et indirecte ceteros, quia minus eis solvendum est pro pauperibus.

Non extarent autem inconvenientia communismi, quia nullius ius laederetur, sed omnia per voluntarias donationes fierent proxime Ecclesiae, et remote populi.

II. Ad vitandum inconveniens quod omnia bona immobilia subtrahantur laicis, dicendum est ut supra, ad iudicium Ecclesiae spectare ponere sibi limites, non autem ad statum civilem, qui tantum exponere posset factum Ecclesiae, quae certe eius rationem haberet et iustis reclamationibus satisfaceret.

382. III. Nimiae divitiae neque ipsi Ecclesiae solent esse utiles, quia aggravant non iuvant, et facile relaxarent ecclesiasticam disciplinam in clero, et in eo introducerent carentes debita vocatione; hinc Ecclesia 1° facile concederet haereditatem aut quotam haereditatis propinquis etiam remotis, sed pauperibus, quibus testator cum ad nihilum ex iustitia teneretur, nihil reliquit. Si enim id non difficile praestat Ecclesia et in praesentibus circumstantiis paupertatis, multo magis in hypothetico statu divitiarum; dixi de propinquis remotis; si enim de valde proximis sermo sit, ex. gr. de filiis, tunc Ecclesia usurpat illud s. Augustini: « qui haeredem sibi vult, suis spretis, alium « episcopum quaerat non Augustinum ».

2.° Facile bona Ecclesiae concederentur in emphiteusim perpetuam laicis, sub modico canone, ut medio aevo factum est. Id praestabat Ecclesia duplici ex intuitu, sui et populi; sui ut saepe sese exoneraret a bonis plurimis sibi inutilibus, quibus attendere non poterat; deinde populi; humiliores enim ne opprimerentur a potentioribus, bona sua offerebant Ecclesiae ut ea reciperent titulo emphiteusis vel coloniae, praestito modico canone, ex. gr. libellis aliquibus cerae, et sic ponebant se suaque sub protectione Ecclesiae.

3.° Tandem posset Ecclesia et simpliciter respuere novas haereditates.

Ex his apparet hypothesim de omnibus bonis absorbendis ab Ecclesia, non esse facilis verificationis.

383. Sed praeterea ratio habenda est casuum fortuitorum, eorum non modo qui in rem propriam incidunt, sed etiam aliorum, quique indirecte nobis nocent, ut debitorum nostrorum. Etsi enim et privatis concedatur illimitata acquirendi potestas, tamen numquam factum est ut una familia absorberet omnia.

Primo enim ipsa multiplicatio bonorum importat magis complicatam administrationem, ex qua crescunt expensae et minus utiliter res geritur et fructificat; limitatio enim naturalis, hominis efficit ut solus ad multa non valeat sed ceteris adiuvari debeat; quae lex providentialis est ne unus absorbeat omnia.

Deinde facile habentur infideles administratores qui dissipant, vel etiam haeredes negligentes et inepti, praeter infortunia physica terrae et maris, nec non aperta latrocinia.

Etenim in re oeconomica et de probabilitate delicti ratio habenda est. Iamvero haec inconvenientia et pro Ecclesia habere possunt locum, et vere habuerunt, latrocinia praesertim.

QUAESTIO SPECIALIS I.

An ius dominii sit naturaliter illimitatum.

384. Haec sufficiunt pro difficultatis solutione. Sed quoniam de limitatione privatis imponenda verbum factum est, incidenter hanc innuimus quaestionem.

Quaesitum est a iuris naturalis cultoribus, an homo ius habeat indefinitae acquisitionis, dummodo mediis

honestis. Et profecto in statu extrasociali nemini dubium esse potest. Etenim quisque ius habet ea occupandi quae aliquo modo sibi utilia esse possunt. Sed quis semper ulteriorem potest referre utilitatem; sin minus potest semper aliis magis benefacere. Deinde quis semper iuste fit dominus fructuum laborum suorum, et sic divitiae generant novas divitias, si quis eis sagaciter utatur.

385. Sed quid in societate civili? Profecto si id noceret, posset princeps limitem ponere; neque enim agitur de iure quaesito tollendo sed de novo iure non acquirendo; sed hoc est per accidens, seu ratione damni publici si quod eveniret; ceterum per se nequit, cum ius naturale tuere debeat.

386. Sed generice loquendo, expeditne ut lex apponat limites in hac re?

Negative, cum impediat activitatem industriae et commercii, et dissipationem in rebus inutilibus et infructuosis foveat atque divitiarum occultationem; hinc ubi divites timere debent vexationes ratione divitiarum, omnia languent, cum magno rei publicae detrimento, ut in imperio turcharum. Et proinde lex limitans, superficialiter videtur favere bono publico, reapse nocet. Igitur status civilis sinet cives ditescere quantum potuerint, dummodo honeste, et taxas solventes.

QUAESTIO SPECIALIS II.

De taxa manus mortuae.

387. Obiiciunt per possessionem ecclesiasticam defraudari aerarium, etsi Ecclesia solveret tributa sicut ceteri; etenim ex perpetuitate Ecclesiae et difficili alienatione, sequitur non solvi tributa extraordinaria, ob

successionem sive mortis causa sive inter vivos. Ergo saltem sequitur Ecclesiam subiiciendam esse taxae speciali, quae solet appellari, manus mortuae, ipsi communi cum reliquis corporibus seu entibus moralibus.

Resp. Vel taxae supradictae imponuntur in societate ob relativa onera publicae potestatis, registrandi novos titulos dominii, vel ut media succurrendi aerario ob communia onera.

Si I^{um}, taxa supradicta esset iniuste applicata Ecclesiae et corporibus reliquis moralibus; si enim locum non habet successio in dominio, neque locum habet status civilis labor respondens novae transcriptioni.

388. Verum hae taxae in statu actuali societatis imponuntur ex secundo fine; sunt enim enormes et non responderent expensis quas status toleraret tantummodo pro nova transcriptione in publico censu. Et tunc quaestio haec specialis reducitur ad generalem quaestionem de immunitate a tributis. Si igitur Ecclesia non indiget hac exemptione, et aliunde noceat statui, poterit ab Ecclesia permitti ut conveniens taxa manus mortuae solvatur. Ita factum est et in emphiteusi; notum est enim emphiteutam praeter annuum canonem, solvere ex iure romano praestationem extraordinariam domino directo, quando antecedenti emphiteutae succedit, quae praestatio dicitur *laudemium*, et est in obsequium domini directi ut recognoscat et *laudet* novum emphiteutam. Iamvero cum dominium utile est corporis moralis, ut Ecclesiae, nova successio numquam locum haberet; hinc dominus directus fraudaretur laudemiis; igitur ne sit in deteriori conditione, inductum est ut facta computatione probabilis novae successionis si emphiteuta esset persona physica, solveretur periodice praestatio loco laudemii; et

statutum est id singulis quindecim annis praestandum, ex quo nomen *quindennii* loco laudemii.

In constitutione autem taxae manus mortuae, magis portabile visum est, dividere onus in singulos annos.

§ 2.

Ius administrandi.

389. Ex iure Ecclesiae libere possidendi bona sua, etiam immobilia, sequitur ius libere eadem quoque administrandi. Est enim Ecclesia sui iuris et perfecte independens in sibi consulendo. Atqui possessio, usus et usufructus bonorum temporalium seu eorumdem administratio et erogatio, est medium quo sibi consulit. Ergo est in eo independens.

Hinc iniustae leges civiles quae ecclesiasticas administrationes subiiciunt tutelae status civilis.

390. Inter magnos abusus in hac re et ille recensendus est, qui primo venit sub nomine *regalismi*, stricte sumpti, nempe reges percipere redditus beneficiorum ecclesiasticorum vacantium. Item sede vacante, conferre beneficia non curata [1]). Primus enim error considerabat beneficia ecclesiastica ut feuda, quorum redditus cum vacarent, utique cedebant domino directo; sed reges non sunt domini directi bonorum Ecclesiae; et quamvis ipsi contulerint eidem aliqua bona, Ecclesia tamen acquisivit eorumdem bonorum non modo dominium utile, sed et directum.

Neque id iuris regibus per se esset in ipsis feudis collatis Ecclesiae; ideo enim quod collata sunt Ecclesiae, numquam vacant, cum Ecclesia adsit semper, sicut

(1) Vide De Martinis: *Il Regalismo antico e moderno.*

communitas, etsi careat rectore. Excipe nisi hac expressa conditione collata fuissent; hinc diximus per se.

391. Alter abusus conferendi beneficia non curata, sede vacante, supponit ad reges devolvi iurisdictionem, sede episcopali vacante, quod enorme est.

392. Obiiciunt: Corpora moralia aequiparari minoribus; hinc subiici tutelae status.

Resp. dist. ant. Corpora moralia perfecta negamus, imperfecta subdistinguimus, sibi proponentia bonum privatum sociorum negamus; bonum aliquod publicum concedimus.

Ergo subduntur tutelae status, distinguimus, si sint perfecta negamus; si imperfecta subdistinguimus, ecclesiastica negamus, civilia transeat, vel subd. si sibi proponant bonum privatum sociorum nego, si bonum publicum concedo.

Ratio distinctionum traditarum patet si animadvertamus societates quae et personae morales seu moralia corpora sunt, alias esse perfectas, alias imperfectas; illas subiici alterius tutelae contradictorium est; essent enim et non essent perfectae, seu independentes personae. Iamvero si de ipsa Ecclesia agatur, cum sit societas perfecta, sequitur absurdum esse eam poni sub tutela status civilis; multo magis cum sit ei superior ratione finis.

393. Si autem sermo sit de adsociationibus quae sunt intra Ecclesiam, tunc verum est eas esse personas morales imperfectas; et cum nobis sermo sit de iis quae non ratione privati boni sociorum instituuntur, sed publici, vel ut subdivisiones Ecclesiae ipsius, certe subduntur tutelae seu vigilantiae et regimini societatis perfectae, sed non heterogeneae, verum homogeneae; hinc non status civilis, sed Ecclesiae ipsius, idest pu-

blicae potestatis eiusdem et tandem supremae. Est enim regula generalis societates imperfectas pendere utique, sed a sua homogenea.

Haec dependentia dici potest tutela, tunc tantum quando societas imperfecta sibi proponit bonum aliquo modo publicum. Etenim si sibi proponat bonum privatum sociorum, adhuc pendet a societate perfecta, sed non per modum tutelae, adeo ut ei sint rationes reddendae aut pro singulis actibus venia eius sit petenda, in qua stricta dependentia stat similitudo cum tutela; hoc enim est vexatorium et contra naturalem libertatem sociorum; etenim sicut socii distributive sumpti non habent hanc dependentiam a societate perfecta, ita neque coniuncti, cum ex eadem causa sint adsociati.

Tantummodo ab ea pendent, quatenus sunt sub eius vigilantia ne offendant bonum publicum, et ab ea limitantur intuitu boni publici ut illud non offendant prosecutione boni privati; et tandem ipsa est iudex si quaestio inter socios exurgat; et tunc tantum a sociis rationem exigit eorum quae gesserunt.

394. Iam in parte generali praeoccupavimus etiam difficultatem quae contra liberum ius Ecclesiae possidendi et administrandi deduci posset ex eo quod societas civilis non agnoscat societatem quae praetergreditur limites sui territorii, ideoque nequit agnoscere dominium Ecclesiae, sed tantum parochiae, dioecesis, provinciae, et si locus sit, exarchatus et patriarchatus, quae adsociationes cum sint imperfectae, subduntur tutelae gubernii.

Reposuimus enim statum civilem teneri ad agnoscendam Ecclesiam universalem, et ad agnoscendas eius subdivisiones prout sunt; idest ut partes maioris societatis, praetergredientis eius territorium; hinc eas

non ut sibi subiectas sed Ecclesiae universali agnoscere debere.

395. Ex iure liberae *administrationis* et liberi *dominii*, sequitur Ecclesiam et res suas posse *libere alienare*, absque ulla approbatione status civilis, qui id tantum attendere debet in transcriptione novi dominii, an alienatio facta ab auctoritatibus ecclesiasticis inferioribus, habeat veniam superioris auctoritatis ecclesiasticae competentis; haec enim iudicabit de causis sufficientibus alienationi permittendae, idest an in casu verificentur conditiones quas canones exigunt pro ea venia concedenda. Si dubia sit venia concessa a superiori ecclesiastica auctoritate, patet accessus ad eam ut debite interrogetur.

Interim poterit, imo debebit suspendi effectus civilis, alienationis factae ab inferiori praelato. Ceterum cum auctoritas civilis, amico spiritu procedit, facile in his sicut et in pluribus aliis communicantur consilia inter Ecclesiam et statum et huic Ecclesia plurimum defert.

§ 3.

Ius Ecclesiae imponendi tributa.

396. Cum Ecclesia indigeat rebus temporalibus, cumque societas ius habeat exigendi a suis media sibi nenessaria, cum eadem aliunde non habet, cumque Ecclesia etsi a Deo habeat media supernaturalia eaque de suo conferat fidelibus, tamen a coelo non habeat bona materialia, sed eadem in terra sibi procurare debeat, sequitur eadem a fidelibus esse ei subministranda.

Iamvero vel id faciunt sponte, vel non; cum autem primum evenit, possunt aliqui providere Ecclesiae non

modo pro tempore praesenti, sed stabiliter, ut fit fundando beneficia, vel bona fabricae Ecclesiae relinquendo; tunc hi benefactores succurrunt Ecclesiae loco omnium, et oblationibus suis ceteros exonerant. Non enim, Ecclesia sufficienter provisa, posset iure exigere correspectivum temporale pro spirituali quod largitur; si enim ut *pretium*, esset simonia; si titulo honestae sustentationis ministrorum et expensarum cultus, non amplius veritati inniteretur, cum aliunde haberetur abundanter.

397. Excipe parvas oblationes ex alio fine, pro actibus determinatis, puta matrimonii, baptismi, de quibus infra.

Si autem Ecclesia non habeat sibi necessaria, tunc praesentes dare debent; verum si sponte, moraliter sumpti, id faciant, et sufficiat, non sunt cogendi, cum melior sit spontanea oblatio, sive ratione meriti in offerentibus, sive minoris gravaminis. Id etsi aliqui essent negligentes; si enim sufficiunt ceterorum oblationes id indicat hos, ceteros supplere per suam abundantiam. Iudex autem huius sufficientiae est Ecclesia. Si sufficientes non sunt spontaneae oblationes, tunc Ecclesia eas ex supra allegato principio, iure lege imponit.

398. Iamvero duplicis esse possunt naturae; quaedam ad subveniendum in genere fabricae Ecclesiae et ministrorum substentationi, sicut adsunt in societate taxae quas dicimus directas; aliae pro singulis actibus ministerii ecclesiastici in speciale servitium alicuius. Sicut enim quaedam ministrantur omnibus simul, seu ipsi communitati religiosae, ut praedicatio verbi Dei, missae celebratio aliorumque communium functionum, sic quaedam specialissime ministrantur pro aliquibus, ut baptisma, adsistentia matrimonio et sepultura.

Iamvero redditus primi generis, quos *generales* dicemus, Ecclesia sibi procurat imposita contributione proportionata facultatibus, ut facit ipsa societas civilis, idest *decimis* et *primitiis;* neque veteribus nostris ignota fuit natura taxae quam dicunt hodierni *divitiae mobilis;* etenim decimae aliae *reales* ex praediis, aliae *personales* ex professione et industria.

Igitur in his consideratur principium: quemque socialibus expensis contribuere debere pro viribus; quamvis utilitas ministerii socialis persentiatur aeque ab omnibus sive divitibus sive pauperibus.

399. In quo est aliqua differentia inter titulum contributionum prout fiunt in societate civili et in Ecclesia. In illa enim quisque concurrit oneribus socialibus sustinendis pro viribus, etiam ex eo quod societas defendit cuique sua bona; hinc pro quantitate commodi, iustum est sit et quantitas contributionis expensis toleratis ad eadem bona defendenda; hinc quaedam bona in societate civili aeque defenduntur omnibus, puta vita, et quaedam tantum habentibus, puta praedia.

E contra in Ecclesia ipsum ministerium commune suppeditat omnibus eadem bona; nec enim Ecclesia defendit divitibus bona materialia ex quibus solvuntur decimae, nisi defensione aliqua morali, idest promovendo moralitatem publicam, quae defensio nullam per se importat expensam, dum defensio societatis civilis per milites et alios officiales importat expensas.

400. Ratio autem ob quam in societate sufficit pro tributorum exactione, principium: *quemque pro viribus*, praeterquam quod frustra a pauperibus expectarentur tributa, quae proinde a divitibus praestanda sunt, est, quia in societate completa et perfecta, addicitur societati ipsa persona, ideoque cum omnibus

suis iuribus et bonis. E contra in societate incompleta et imperfecta, puta in commerciali, non addicitur ipsa persona simpliciter, sed aliquo tantum sub respectu; hinc proportio bonorum vel est proportione bonorum collatorum, vel per capita.

401. Iamvero indifferens est pro Ecclesiae substentatione an necessaria ei subministrentur immediate a fidelibus, puta per decimas, vel immediate a societate civili seu a publico aerario, et sic mediate a fidelibus, ita ut princeps taxas imponendo et illud prae oculis habeat ut sibi procuret unde succurrat Ecclesiae.

402. Hic modus habet suas utilitates et sua incommoda.

Utilitas in eo est quod collectores ecclesiasticos decimarum liberat a pluribus incommodis et iurgiis; imo in societate iuridice catholica, sed de facto aliena a devotione in Ecclesiam, esset etiam aliquando impossibile decimas saltem integre percipere, vel nimis odiosum et molestum.

403. Incommodum autem est in eo quod Ecclesia fit de facto dependens a gubernio, quod eam statim in angustias deducere potest, negatis subsidiis.

Erit igitur prudentiae Ecclesiae pensatis temporum et locorum circumstantiis unum vel aliud medium praeferre. Si enim postremum systema sibi expedire putaverit, ius habet illud exigendi. Sicut enim Ecclesia ministerio suo consulit singulis, ita consulit bono societatis integrae; hinc sibi necessaria tum directe ab individuis, tum a societate iure exigit; et societas civilis tenetur praestare Ecclesiae ea quibus indiguerit; igitur et temporalia, si societas ut talis sit catholica; praesertim cum invitos Ecclesia non posset efficaciter cogere, nisi rursus recurrendo ad brachium saeculare;

hinc Ecclesiae potest magis expedire directe ei succurri a statu civili; ius autem habet exigendi sibi utilia et magis efficacia fini suo consequendo.

404. Ex hac theoria solvitur et difficultas quae contra modum decimas reales exigendi proponi posset. Etenim ex iure canonico ad eas cogebantur et infideles, puta iudaei, in statu christiano commorantes, in eoque possidentes bona quae antecedenter christianorum fuerant et decimis religioso praecepto gravata, etsi non cogerentur ad solvendas decimas industriales. Et ratio est quia erant loco tributi a societate impositi bonis temporalibus ipsius societatis; igitur sicut ex aerario solvi potuissent et sic mediate percipi a praediis, ita et ab his immediate. Res enim immobiles seu territorium consideratur primo ut subiectum eminenti dominio societatis, quae in casu erat christiana, ita ut eius sit, et deinde singulorum privatorum; hinc decimae reales erant onus reale, quicumque esset possessor; e contra decimae personales, praestabantur tantum a fidelibus cum adhaereant personae, ideoque qualitatem eius attendant quod sit societatis religiosae membrum vel non.

Addendum insuper infideles emendo praedia in societate christiana, eadem minori emisse, ratione decimarum quibus gravabantur.

405. Si autem religioni consuleretur directe ex aerario publico, tunc vel imponitur speciale tributum, vel ex communibus deducitur: si I. non posset imponi infidelibus quoties reale non esset; absurdum est enim cogere aliquam personam ut directe participet expensis cultus, quem reiicere lex eidem permittit; hinc quod de infidelibus, et de haereticis dicendum est, cum lex eos agnoscit; si autem tantum toleraret, non idem

dicendum esset: cum enim ipsi subditi sint Ecclesiae, rigore iuris possent subiici eius oneribus et pro multo agnoscere deberent, sibi poenas non infligi sed tolerari.

Si autem Ecclesiae succurreretur ex communibus redditibus status, tunc indiscriminatim imponeretur tributum ominbus, quia tunc afficit societatem per modum unius, quae ab omnibus exigit eam quantitatem quae suis oneribus sustinendis sufficiens est. Iamvero inter onera socialia sunt et religionis expensae; si igitur societas unicam agnoscat veram religionem, unice ad eam alendam concurrit. Sectae autem toleratae nequeunt aequale ius exigere, cum ex hypothesi sint mere toleratae. Aliud autem dicendum esset si iuridica paritas cultuum esset inducta; tunc melior provisio videretur statum nemini succurrere, vel habita ratione numeri, sectae cuique restituere portionem reddituum, ut alias explicatum est, lib. I. part. I. a. 3. q. 4.

406. Praeter ministerium commune Ecclesia praestat et ministerium speciale, ex. gr. in baptismo, confirmatione, matrimonio, sepultura et sacramentalibus pluribus.

Igitur sicut in societate civili praeter taxas generales et directas quibus quisque concurrit pro facultatibus suis, adsunt et taxae speciales pro actibus determinatis, quae indirectae nuncupari solent, ita et in societate ecclesiastica, speciales contributiones possunt imponi, sicut consuetudine in pluribus casibus inductum est, in taxis seu incertis utriusque stolae, albae et nigrae. Iustum enim est specialius concurrere ad ministros alendos qui specialius utuntur ipsorum opera.

Tantum miserabiles personae gratis ad omnia admittendae sunt, cum excusentur ex sua paupertate et

aliunde ius integrum habeant sicut ceteri ad media sanctificationis.

407. Item species quaevis turpis lucri est vitanda. Hinc Ecclesia non admisit has oblationes pro pluribus sacramentis et sacramentalibus, ut pro poenitentia et Eucharistia, sed tantum pro baptismo et matrimonio, et praesertim ex sacramentalibus pro sepultura. Ratio est quia illa sacramenta nimis intime referuntur ad sanctificationem, et etiam frequentius suscipiuntur. E contra matrimonium etsi sacramentum, tamen multum refertur et ad vitam temporalem; baptisma autem fit semel tantum et laetitiae magnae argumentum est. Emolumenta autem sepulturae etiam sunt in recognitionem genericam curae animarum.

408. De his specialibus oblationibus quaeri posset an iuste ab Ecclesia praecipi possent etsi ministri satis aliunde essent provisi ex bonis beneficii. Et modicae oblationes pro nonnullis solemnioribus actibus videntur semper exigi posse ab eis qui sunt solvendo.

Ratio est quia beneficia sunt instituta potius pro communi ministerio, cum illud per modum unius respiciant, et deinde expedit fovere populi devotionem in Ecclesiam, quod fit et per modicas has oblationes.

§ 4.

Tributa seu oblationes in favorem S. Sedis.

409. Cum sancta Sedes ministret in utilitatem totius Ecclesiae, iustum est universos fideles ex omnibus regionibus concurrere ad expensas eius sustinendas, quae attenta sublimitate Pontificis et numerositate negotiorum, modicae non sunt; illa enim efficit ut aulam et familiam habeat satis magnam et decoram ut con-

venienter suo gradui possit oculis populorum exponi. Homo enim qui inter sensibilia versatur et ex eis materiam sumit suae cognitionis atque eis quammaxime commovetur, indiget ut cultu quodam externo et augusto sublimes dignitates ei appareant. Numerositas autem negotiorum, numerositatem officialium secum trahit. Accedit Pontificem providere et negotiis quibusdam specialibus, puta fidei propagationi, aut bellis defensivis contra infideles aliosque Ecclesiae hostes sustinendis, nec non specialissimis necessitatibus particularium Ecclesiarum, ut pater communis ad quem omnes recurrunt.

410. Iamvero expensis sanctae Sedis sustinendis fideles provident ex parte spontaneis oblationibus, ut nunc est denarius sancti Petri. Sed his non sufficientibus, ius habet s. Sedes oblationes exigendi tum ordinarias tum extraordinarias pro modo necessitatum suarum. Extraordinariae fuerunt decimarum partes aliquando a sancta Sede sibi reservatae. Ordinariae sunt annatae et dimidiae annatae reddituum beneficiorum quas pro ipsorum qualitate sibi reservat quando conferuntur; item spolia clericorum, seu residua ex superfluis beneficiorum quae viventes non expenderunt in debitos pios usus, aut ex vetita negotiatione acquisierunt; item taxae multae in expeditione bullarum, brevium, rescriptorum s. Sedis ob concessas vel dispensationes vel facultates. Quae quidem oblationes speciales, saltem modicae, semper a s. Sede exigi possent, etsi sufficienter esset aliunde provisa, cum respondeant speciali ministerio in favorem aliquorum, sicut diximus de oblationibus pro baptismo, matrimonio et sepultura favore parochi; praesertim si attendamus redditus sanctae Sedis numquam esse posse superfluos quia

saltem melius potest attendere innumeris necessitatibus missionum aut Ecclesiarum pauperum, quarum plures semper in mundo sunt.

411. Regalistae adversati sunt his iuribus s. Sedis sub praetextu pecuniam a regno distrahi non posse, ne ad paupertatem paullatim reduceretur et tandem omnis numerata pecunia ab eo exularet et Romam confluereret. Sic Philippus IV. pulcher dictus, Franciae rex, prohibuit solvi oblationes sanctae Sedi tempore Bonifacii VIII.

Verum hae assertiones sunt 1° iniustae; 2° ineptae. Iniustae; etenim ius est summo Pontifici haec habendi, et cum Romam mittuntur, non est ad regionem sub respectu religioso extraneam, sed ad urbem principem cuius omnes christiani cives sunt, ex cap. 20. de foro competente.

Ineptae autem quia falso supponunt paullatim omnem pecuniam posse deficere a regno et Romae cumulari, quod experientia falsum ostendit; et paritate rationis idem eveniret in urbe principe cuiuslibet regni respectu urbium provincialium, pagorum praesertim. Sed ipsae vicissitudines commercii humani efficiunt, pecuniam, etsi ad urbem principem abundantius confluat, postea refluere ad singulas provincias, etiam ex eo quod ex omnibus provinciis officiales assumuntur, et occurritur in re nostra necessitatibus Ecclesiarum etiam particularium.

Deinde in re nostra, pecunia quae Romae confluit est res valde limitata et pene insensibilis, comparata cum motu, ut aiunt, commerciali.

ARTICULUS VIII.

De iure Ecclesiae acquirendi iurisdictiones, et praesertim de iure summi Pontificis habendi regnum temporale

412. Sicut Ecclesia ius habet acquirendi dominium etiam stabile, ita et iurisdictiones; quo nomine in iure canonico venit potestas civilis-politica. Sed inter ius quoad dominia et ius quoad iurisdictiones differentia est; etenim dum illius acquisitio necessaria est normaliter pro omnibus Ecclesiis, iurisdictio e contra non est necessaria, nisi aliquando per accidens ob speciales temporum circumstantias, praeterquamquod summo Pontifici, cui libera et independens iurisdictio, seu principatus, est regulariter necessarius. Igitur in praesenti articulo primo agendum esset de iure Ecclesiae acquirendi iurisdictiones, sive supremas sive subordinatas, deinde de necessitate et ligittimitate independentis principatus pro summo Pontifice.

Verum primam quaestionem satis pertractavimus cum de iuribus adventitiis Ecclesiae egimus, lib. I. part. I. cap. 3. a. 5.; vidimus enim etsi subiectum auctoritatis civilis non sit idoneum ut fiat subiectum auctoritatis ecclesiasticae, quae veluti accessorie eidem adhaereat, subiectum e contra ecclesiasticae auctoritatis esse idoneum ut fiat et subiectum auctoritatis civilis; hinc tota quaestio reducitur ad factum, nempe an haec vel illa Ecclesia legittime acquisiverit iurisdictionem aliquam sive subordinatam sive independentem.

413. Iamvero medio aevo plures episcopi et abbates occasione feudorum diversi gradus, facti quoque fuerant sive barones sive comites, aut marchiones, vel duces,

sive principes etiam immediati S. R. Imperii; quorum feudorum sive principatuum causa, exurrexit quaestio de investituris, cum Henricus IV. rex vellet comites in episcopos convertere, seu sibi vindicare episcoporum et abbatum electionem et institutionem, quia feuda ab imperio obtinuerant.

Sed agamus de principatu summi Pontificis, cuius 1° indicabimus historicam originem; 2° legittimitatem; 3° ostendemus eiusdem necessitatem.

§ 1.

Origo historica principatus summi Pontificis.

414. Primo notandum est Ecclesiam romanam fuisse a primis saeculis post pacem datam, divitiis abundantem, adeo ut patrimonia plurima non modo circa urbem sed in tota Italia, imo et in aliis imperii provinciis possideret. Iamvero abundantes hae divitiae non modo plurimum potentiae conferebant summo Pontifici, ut semper faciunt, cum scriptum sit protegere sapientiam sed protegere et pecuniam, verum iure romano conferebant plurimum auctoritatis in colonos qui patrimonia haec excolebant.

415. Praeterea in dissolutione romani imperii, cum innumeris malis premerentur populi, et quovis auxilio carerent, episcopi erant qui populi curam suscipiebant, et suis divitiis atque auctoritate eidem succurrebant; id praesertim praestabant romani Pontifices. Barbari autem qui nullius iuris observantia tenebantur, non semel religione devinciebantur, ut et Attila, flagellum Dei, a s. Leone Magno mitigatus est. Populi autem sponte deferebant Pontifici, et cum in discrimine versarentur, ad eum confugebant.

Erat igitur ex una parte imperii idoneitas, ex altera necessitas; idoneitas ex parte Pontificis, qui plurimum poterat et divitiis et morali auctoritate tum in barbaros seu hostes compescendos, tum in fideles ut eos ad patriae defensionem et ordinis observantiam revocaret; insuper erat in Pontifice plena voluntas potestatem suam in bonum populi exercendi; deficiente autem organizatione civili, ecclesiastica organizatio eius vices supplet, cum ius habeat salvandi societatem christianam et societas sese defendat ea forma quam actu habet.

Populus autem nullos habebat defensores, vel longinquos et inefficaces; erant enim post Iustiniani seu Belisarii et Narsetis super Gothos victorias, Caesares Byzantini; graecorum autem dominium in Italia pessimum fuit, cum romanis expoliandis plurimum valerent, nihil autem in eis defendendis a vicinis Longobardis, ita ut et aliquando de auxilio rogati, responderent imperatores populis Italiae ut sibi quo meliori possent modo, consulerent.

Omnium igitur oculi in Pontificem convertebantur, non modo romanorum sed et vicinarum urbium, a dominio longobardorum adhuc immunium, qui Pontifex curis omnigenis opprimebatur, ita ut s. Gregorius Magnus, initio saeculi VII. iam quereretur se non tam Pastoris quam principis partes gerere, ep. 25. lib. I.: « ita ut saepe incertum sit utrum Pastoris officium, « an terreni proceris agam ».

416. Orta autem saeculo VIII. haeresi iconoclastarum cui plures graeci imperatores adhaerebant, ipsorum copiae ab Italia eiectae sunt, et actum de restaurando occidentali imperio. Verum prudenter restitit sanctus Gregorius II. ut graecis ad fidei unitatem revocandis

consulere posset; et aliunde hoc imperium nimis fuisset parvum ut antiqui nominis splendorem sustineret et quod magis est, ut longobardis resistere posset, a graecis separatum, imo et ab eis impetitum.

Tantum proinde permisit negari graecis tributa, seu suspendi obedientiam, donec Ecclesiae reconciliarentur.

417. In hac igitur rerum romanarum dissolutione factum est ut sensim sine sensu summi Pontifices primas partes tenerent in supremo civitatis regimine, et eis populi deferrent, ita ut magistratibus inferioribus quos eligebant, onus parendi Pontifici imponerent.

Item factum est ut in plures civitates vicinas eadem auctoritate potirentur; hinc saepe legimus summos Pontifices repetivisse a regibus longobardis terras et civitates quas ipsi invaserant et quae ad ius romanae Ecclesiae pertinere noscebantur.

418. Pipinus autem et Carolus Magnus francorum reges cum longobardos, semel iterumque debellassent, et restituerunt romanae Ecclesiae terras quas iam possederat, seu, ut aiebant, iustitias s. Petri, et alias insuper addiderunt, exarchatum scilicet et Pentapolim, quas iusto bello a longobardis receperant, frustra graecis reclamantibus qui eas sibi restitui volebant; hi enim ignavia et desertione sua, quodvis ius in eas provincias amiserant, cum ad eas defendendas ut principis officium est, omnino inhabiles tum virium tum voluntatis defectu sese ostendissent.

Igitur initia principatus civilis romanorum Pontificum antecedunt donationes regum francorum, cum iam in urbe, in romano ducatu et pluribus circum circa civitatibus primas partes et supremas in regimine civili sustinerent.

419. Neque ius summi Pontificis imminutum est ex

eo quod Pipinus et deinde Carolus Magnus declarati sunt patritii romani, et Carolus etiam romanus imperator.

Nam quoad primum titulum, variae fuit significationis; antiquitus enim denotabat familia optimates qui veluti essent patres patriae; sub imperatoribus Constantinopolitanis hoc titulo donati sunt qui specialiter ab imperatore ut eius patres haberentur et aliquando primam post imperialem in aliqua provincia auctoritatem designavit; sic patritius recensetur Dalmatiae, veluti huius pater et protector.

Hac significatione protectoris collatum est Pipino primum, deinde Carolo Magno, ut patronis populi et Pontificis romani, non quasi auctoritatem exercerent in Pontificem, sed quia honorabantur hoc munere speciali defensorum Papae et romanae urbis.

420. Neque titulus imperatoris importabat iura maiestatica in romanam urbem; etenim imperator occidentis medio aevo valde discrepabat ab imperatore antiquo, vel ab imperatore orientali; hi enim erant monarchae in territorio cuius titulum imperialem gerebant; e contra imperator romanus prout a sancto Leone III. restauratus est anno 800 in persona Caroli Magni, significabat defensorem armatum christianae societatis in occidente, et primum inter occidentales principes christianos; hinc nullius territorii principatum obtinebat nisi iam habuisset, ut diximus lib. I., agentes de depositione imperatorum.

421. Verum quidem est temporis processu coronam germanicam seu argenteam, et italicam seu ferream, fuisse coniunctas cum dignitate imperiali, cum in regno ille eligeretur qui oportebat dignus esset recipiendi a Pontifice coronam auream seu imperialem; verum

urbs Roma et cetera dominia Pontificis non erant subiecta coronae germanicae aut italicae.

Item verum est in coronatione imperatoris populum romanum iurasse eidem fidelitatem; sed salva fidelitate iam iurata domino Papae [1]); igitur Papa erat princeps supremus; imperator erat defensor Papae et populi, et ut tali ei debebatur honor atque obedientia, sed dummodo ipse prior debitam obedientiam servaret erga Papam, et se exhiberet ut eius defensorem adversus internos externosque hostes, non autem ut dominum et principem.

422. Huiusmodi fuit origo dominii s. Sedis, idest ex populorum spontanea deditione et principum donationibus; cumque ex primo capite factum sit ut populi prout necessitas suggerebat sese darent Pontifici, non unico indivisibili actu creatus est principatus Pontificis, sed sensim sine sensu, ita ut difficile imo impossibile sit determinare quando ex mera praevalentia facti et aliquali iure momentanee collato, transierit in perfectum principatum. Hoc commune est omnibus institutionibus quae sponte sua prout necessitates exegerint, efformantur. Sic insensibiliter auctoritas patris familias seu patriarchae in tribu vertitur in auctoritatem monarchicam principis prout tribus excrescat in populum; ita in nonnullis guberniis liberis, paullatim auctoritas praesidis pertransivit in auctoritatem principis, ut apud plures civitates medio aevo, quidam cives facti sunt domini (signori), auctis paullatim titulis regiminis popularis; imo et ipsum romanum imperium ortum habuit ex cumulatione et perpetuatione digni-

1) Vide iuramentum praestitum anno 895 imperatori Arnulpho, apud Rohrbacher lib. 59.

tatum reipublicae, quae in sua origine longe distabant ab auctoritate regali, cuius nomen per longum tempus imperatores reiecerunt, utpote romanis invisum.

423. Sub finem autem saeculi XI. donatio comitissae Mathildis, plurimum auxit dominium s. Sedis, cuius donationis effectus impugnaverunt imperatores plures, etsi saepe eam ut validam in actu coronationis agnovissent, ut fecit et Fridericus II.; sed tantum Rodulphus definitive de iure et de facto nuncium misit huic haereditati. Sed interim maxima pars urbium sese in libertatem vindicaverant, et sese in liberas civitates seu municipia constituerant, cum inter Pontifices et imperatores disputantes, occasionem habuissent populi facile sese subtrahendi ab utriusque reali dependentia, et etiam privilegia et exemptiones impetrandi, servata quadam subordinatione generali.

424. Ceterum dominium summorum Pontificum in ratione qua exercebatur, secutum est temporum indolem; ideoque feudaliter feudorum tempore; per libera municipia, tempore civitatum liberarum; modo absoluto posterioribus temporibus, etsi semper nonnullae fuerint differentiae in populorum et libertatis utilitatem quas singillatim persequi ad rem nostram non attinet.

425. Haec varietas rationis qua concretatum est, occasionem tribuit aliquibus errandi; cum enim viderent civitates plures anteactis saeculis sub Pontifice libertates communales quamplurimas habuisse, ut et pecuniam cuderent, et exercitus conscriberent, et ius sibi dicerent, et oratores apud Pontificem haberent, putaverunt tunc temporis Pontificem, non fuisse praeditum iuribus maiestaticis (sovranità) in huiusmodi urbes, sed nominalem quamdam vel eminentem tantum habuisse dominationem (alta sovranità). Sed immerito;

innituntur enim falso supposito iura maiestatica tantum exerceri posse ratione *centralistica*, quae posteriori aetate apud omnes fere gentes obtinuit; sed haec est modalitas maiestatis, non essentia, et contraria regiminis ratio communis fuit principatui summi Pontificis et pluribus aliis ex regibus, quos vere monarchas fuisse nemo dubitat. Id tantum ostendit, salva vera Pontificis suprema potestate et independentia, eius principatum locum relinquere posse maiori vel minori participationi regimini publico prout tempora suggesserint, adeo ut libertates municipales et iura, non sint limitatio iuris Pontificis sed participatio; illa enim imminuit vel aufert maiestatem; haec e contra non.

Haec de origine.

§ 2.

De legittimitate principatus summi Pontificis.

426. Principatum summi Pontificis fuisse in sua origine immaculatum ab omnibus vitiis quae ut plurimum concomitantur origines aliorum principatuum, omnes, etiam eiusdem actuales adversarii alicuius scientiae et probitatis consentiunt. Etenim quoad urbem Romam et vicinas civitates innititur spontaneae populorum deditioni, provocatae ex populorum indigentia et Pontificis potentia ac benevolentia; quoad alias civitates innititur spontaneis principum donationibus, populis quoque acclamantibus.

427. Quomodo ergo nunc eiusdem adversarii, fatentes legittimam eius originem, eiusdem eversionem legittime fieri potuisse contendunt? Id duplici ex capite: 1° ex mutata populorum voluntate; 2° ex conflictu cum iure nationis italicae; hoc secundum caput inferius

examinabimus. Quoad primum dicunt: sicut principatus Pontificis ex voluntate populorum legittime coepit, ita contraria populorum voluntate nunc cessare debet.

Non curamus minorem huius ratiocinii, idest populos Pontifici subiectos eiusdem principatum reiecisse; etsi enim id falsum ostendi possit evidentissimis argumentis si de vero populo agamus et non de paucis impiis et perturbatoribus, tamen pro re nostra interest tantummodo respondere principio invocato, idest legittimos principatus everti posse populorum voluntate. Sed hoc principium est falsum; etsi enim populus disponere legittime possit de principatu cum vacat, et eam eligere gubernii formam quae ei magis placeat, non ita tamen est de evertendo principatu semel legittime constituto. Populus enim liber, idest carens principe, potest vel sibi retinere supremam potestatem etsi deleget exercitium, vel eam transferre conditionate, vel absolute; iamvero quando eligitur forma gubernii monarchica et quidem alligata dignitati perpetuae, et in casu s. Sedi, profecto populus confert supremam et independentem auctoritatem, irrevocabiliter, ideoque non amplius potest rationabiliter dissentire.

428. Unicum effugium huic argumento esset si assereretur populum numquam absolute auctoritatem transferre seu subiectum supremae potestatis a se distinctum designare, sed semper subintelligi conditionem donec populo placuerit. Sed haec hypothesis falsa est; cum enim principatus non constituatur pro bono singulorum privato, (in his enim nemo praesumitur alienare suam independentiam sed simpliciter delegare executionem sui iuris, ideoque ministros a se dependentes revocabilesque constituere), sed agatur de bono publico et de opere a natura intento, videndum est an ius naturae

exigat populum sibi reservare principalem potestatem eamque tantum ministerialiter exercendam aliis delegare, vel an permittat quoque eam alienari, seu constitui subiectum a populo ipso distinctum, in quo semel collata, resideat a populo independens. Ad hanc resolvendam quaestionem videndum est an finis socialis obtineri possit et in hac hypothesi; si enim potest, ergo ius naturae permittit; iamvero non modo finis socialis obtineri potest in alia forma a democratica, sed ut plurimum melius obtinetur; si enim populus sibi retineret hanc potestatem, facile turbae haberentur, praesertim cum nullus constitutus est ordo exercendi supremam hanc populi potestatem; igitur ius naturae non modo permittit sed et consulit; hinc constituto principe, nisi expresse declaratum sit eum tantum ministerialiter possidere auctoritatem supremam, omnino praesumitur eum absolute eadem potiri.

Igitur et si populi nunc dissentirent, non infirmarent legittimitatem iuris pontificii.

§ 3.

De necessitate civilis principatus pro summo Pontifice.

429. Loquimur de necessitate quadam relativa, non autem absoluta; Ecclesia enim et s. Sedes habent pro se divina promissa, portas inferi non praevalituras; hinc etsi deficerent omnia humana praesidia et ingruerent omnia saeva, adhuc Ecclesia staret et s. Sedes, sicut primis tribus saeculis. Sed etsi Deus initio voluerit Ecclesiam propagari et conservari absque ullo humano praesidio ut eius divinitas ostenderetur, et quamvis interdum aduhc Ecclesia exponatur gravissimis periculis, a quibus unice Dei virtute eripitur, tamen

voluit Deus Ecclesiam normaliter procedere et subsidiis humanis, et officium ipsius Ecclesiae est eadem subsidia sibi ordinate procurare, et officium christianorum omnium est, in hoc Ecclesiam adiuvare, ideoque impium est eamdem eisdem expoliare. Haec enim lex est divinae sapientiae et providentiae ut praestemus quod possumus, supplente Deo in iis ad quae non valemus.

430. Sunt igitur Ecclesiae relative necessaria ea quae de se sunt opportuna pro consecutione tuta expedita et ampla finis Ecclesiae. Iamvero ut s. Sedes sit plene et evidenter libera, in praesenti societatis conditione necessarius est principatus civilis; qui proinde est ei relative necessarius. Dicimus ut s. Sedes sit plene et evidenter libera: 1° plene; idest ut omnes sine impedimento valeant ad eam accedere, cum eaque communicare; et ipsa valeat omnibus suam voluntatem manifestare, absque ullo periculo pro se suisque officialibus, et quin teneatur respicere ad modum quo eius voluntas suscipietur ab iis qui extranei sunt negotio, adeo ut non debeat tacere ad maiora mala quae per accidens exinde sequerentur; 2° evidenter; non enim pro publicis magistratibus sufficit iustos esse sed oportet insuper iustos eos apparere, ut ait s. Paulus de se colligente eleemosynas. Iamvero quamvis summus Pontifex sit positive infallibilis in re dogmatica, et negative in re disciplinari, quatenus per legem generalem nequit offendere dogma, et quamvis specialissimam habeat Dei adsistentiam in omnibus negotiis, (Deus enim dat gratiam proportionatam statui), tamen haec non usque eo porrigitur ut in singulis negotiis vere sit infallibilis, adeo ut ignorantia, errore facti, personarum acceptione, aut alio minus recto motivo duci non possit; item quod magis sapientes dispositiones emanare non posset.

Et quamvis Pontifici honesta praecipienti in iis quae ad eum spectant, esset aeque obediendum etsi ipse non recte ageret, tamen hoc in facto non succedit; subditi enim raro et difficile obediunt cum probabilem habent suspicionem, superiorem per suum praeceptum sibi iniuriam irrogasse. Igitur oportet summus Pontifex pro utili gestione summi pontificatus, non modo sit plene liber, ut in singulis negotiis statuat quid obiective iustum est et magis expediens, sed insuper evidenter liber appareat ut eius regimen sit pro salute animarum plene efficax.

431. Tota tamen quaestio reducitur ad minorem, an nempe ut Pontifex sit plene et evidenter liber, requiratur principatus civilis. Iamvero id certissimum est. Non insistimus in theologica demonstratione quam inferius innuemus, sed in naturali. Etenim ille est de facto plene et evidenter liber qui immunis est ab aliorum dominio et sibi sufficiens; sed huiusmodi est tantum qui effective est princeps et quidem status alicuius momenti, habita ratione principatuum circumstantium; dicimus effective; si enim tantummodo concederetur immunitas personalis et regius honor, res esset apparens potius quam vera; vere enim esset in illius potestate qui territorio dominatur; hinc ad summum gauderet libertate quadam precaria et momentanea, non stabili et tuta, ideoque esset in momento liber, sed non in statu seu conditione permanenter libera. Insuper non esset evidens eius libertas ab influxu principis territorialis qui influere vellet vel sui gratia vel foederatorum suorum, contra reliquos, nisi Pontifex esset in aperta inimicitia cum rege territoriali; tunc enim timeri non posset Pontificem eius intuitu moveri; verum id ostendit hunc statum non esse naturalem

sed violentum; insuper est cum magno damno populi subiecti illi regi qui ex sua conditione hostilis esse cogitur erga summum Pontificem [1]).

432. Diximus insuper hunc principatum summi Pontificis, alicuius magnitudinis esse debere; si enim nimis esset exiguum comparate ad viciniorem, vel viciniores, idem fere esset ac si staret sub potestate regis vel regum viciniorum; singulis enim momentis posset aliquid ab eo vel ab eis timere.

433. Sed quid si defectui principatus, vel eius exiguitati, suppleat interventus legatorum gentium omnium, qui caveant de libertate Pontificis?

Resp. praesertim in secunda hypothesi quod aliquis status licet exiguus sit Pontifici concessus, id constituere posse minus malum, conditionemque forsan ad tempus ab eo tolerabilem, sed non constituere conditionem normalem Pontifici debitam. Etenim haec protectio moralis plurimum incommodi habet, cum singulis multum esset a Pontifice deferendum pro maiori zelo quo eum defenderent, et insuper quamdam precarietatem semper includit; saltem enim aliqui possunt vel aperte vel occulte deficere et regem territorialem contra Pontificem instigare, praesertim emergente inter ipsos dissidio et unoquoque curante ad suas partes pertrahere Pontificem. Igitur ut Pontifex possit utiliter exercere munus suum supremum pro universali Ecclesiae utilitate necesse est sit princeps, status alicuius momenti; tunc est de facto plene et evidenter liber vi ipsius conditionis in qua est, et non tantum ex precaria et adventitia rerum dispositione.

---

1) Vide opusculum meum: *Della natura di società giuridica e publica competente alla Chiesa*, cap. 3.

434. Sed dicunt: si Papa est princeps, saepe ob politicas complicationes tenebitur bellum indicere potentiis catholicis, vel saltem uni favere et alteri adversari, quod est inconveniens; etsi enim officium esset principis adversarii Pontificis in temporalibus, molestias non inferre rei religiosae in suo regno, tamen hoc difficile est; videtur igitur magis conveniens, Pontificem esse in superiori positione, omnino spirituali, et veluti extramundana, ut iure internationali lex feratur de omnimoda eius independentia, quae sub tutela iuris gentium ponitur, adeo ut nationes omnes sint vindices libertatis eiusdem si forsan princeps territorialis eidem attentabit; quod non est probabile; nec enim valet omnium indignationi sese exponere.

Resp. praesumendum esse Pontificem iusta et prudenti uti externa politica, ita ut et in hoc, exemplar christiani regiminis omnibus exhibeat; ceterum quidam non immerito animadvertunt statum Pontificis etsi oporteat sit sufficientis magnitudinis ut ei independentiam largiatur, non tamen esse debere excessivae magnitudinis, ne ob suam politicam praeponderantiam, ceteros potentatus ad invidiam excitet.

Verum quidquid de hoc sit, respondemus directe, Pontificis independentiam esse bonum necessarium et substantiale, et ad eam necessarium esse principatum; si exinde aliquod sequitur inconveniens, est non modo per accidens sed et parvi momenti comparatum cum servitute Pontificis aut precaria eiusdem libertate; igitur conflictus est inter bonum stabile et inconveniens transiens; vitatur malum permanens, cum aliquo momentaneo incommodo; et nemo inter haec anxius esse potest.

435. Obiiciunt: sicut Pontifici pro regimine Ecclesiae

universalis necessaria est independentia et libertas, ita et episcopis pro regimine suarum Ecclesiarum; si igitur illa importat principatus necessitatem pro Pontifice maximo, haec quoque importabit pro singulis episcopis, quod videtur nimis, ideoque falsum.

Resp. concedendo antecedens et negando consequens ex defectu paritatis. Etenim si debita libertate privetur episcopus, dummodo liber sit summus Pontifex, adest remedium, cum hic corrigere valeat quod ille minus recte constituit aut praetermisit; sed si summus Pontifex non sit liber, a nemine corrigitur aut suppletur.

Insuper episcopi non habent negotia internationalia pertractanda, et regulariter cum regibus non agunt de iis quae totius regni intersunt seu constituunt legislationem generalem nationis; haec enim a s. Sede per suos nuncios solent pertractari. Ergo oportet Pontifex sit aeque independens ab iis principibus quorum relationes curat, et a singulis quorum leges corrigit.

436. Haec ratio necessitatis civilis principatus summi Pontificis, pro eiusdem tuta et evidenti libertate, in causa fuit quod concilia quae ab eius origine celebrata sunt (et sunt novem oecumenica), eum non reprehenderint, imo plura expresse defenderint, ut Lateranense IV, Constantiense et Tridentinum (sess. 22. cap. XI). Ex constitutione autem s. Pii V. *Admonet*, quarto kal. Aprilis 1567, novus Papa iurat de non infeudandis civitatibus, oppidis et locis s. romanae Ecclesiae, et post suam coronationem, datis litteris id debet confirmare. Etenim Papa non est dominus, sed administrator bonorum et iurisdictionum Ecclesiae, quae in titulum ad ipsam s. Sedem spectant. Consulentes autem infeudationes, vel per se vel per alios, summo Pontifici ex citata constitutione excommunicantur et rei laesae ma-

iestatis declarantur, et incurrunt eo ipso confiscationem omnium bonorum, dignitatum atque beneficiorum. Cardinales autem S. R. E. in assumptione pilei et sede vacante iurant se servaturos praedictam constitutionem nec Pontifici contravenienti consensuros, neque dispensationem ab hoc iuramento petituros aut oblatam acceptaturos.

Item disponitur feuda vacantia, non esse rursus aliis concedenda. Haec praesertim intuitu *nepotismi* constituta sunt; et confirmata a Sixto V. constitutione *Quanta*, et a Gregorio XIV. constitut. *Quae ab hac sancta Sede*, nec non a Clemente VIII. et Urbano VIII. constitut. *Ad romani Pontificis curam*, 26 Iunii 1592 [1]). In Syllabo autem habetur proposit. 75 et 76; accedunt allocutiones plures et litterae summorum Pontificum, praesertim Pii Pp. IX., ut litterae 26 Martii 1860: « Singulari divinae providentiae consilio factum esse, « ut romanus Pontifex quem Christus Ecclesiae suae « caput centrumque constituit, civilem assequeretur « principatum »; item in allocutione *Maxima quidem*, 9 Iunii 1862, dicitur « illum necessarium esse ut idem « nulli umquam principi aut civili potestati subiectus « supremam dominici gregis universi pascendi, regen- « dique potestatem auctoritatemque ab ipso Christo « Domino divinitus acceptam, per universam Eccle- « siam plenissima libertate exercere ac maiori eiusdem « Ecclesiae et fidelium tum utilitati ac indigentiis oc- « currere possit ». Episcopi autem numerosi tunc Romae praesentes, occasione sanctificationis, assenserunt, et absentes quoque. Hinc in bulla *Apostolicae Sedis* sub num. XIII. conservata est excommunicatio latae

1) Vide Ferraris, Bibl. Canonica etc. verbo *Feudum*, art. 2. n. 6. et seqq.

sententiae iam lata circa alienationem et infeudationem locorum s. Sedis, in citatis supra constitutionibus et aliis, idest etiam Innocentii IX. *Quae ab hac Sede*, et Alexandri VII. *Inter ceteras.*

437. In his authenticis declarationibus consistit argumentum theologicum liceitatis, necessitatis et legittimitatis principatus civilis summi Pontificis. Circa quae notandum est, I. *liceitatem* esse doctrinam speculativam quae ad dogmatis dignitatem elevari posset, cum contineatur in revelatione, si accederet solemnis definitio; pertinet tamen ad doctrinam catholicam, cum non modo implicita sit in facto Ecclesiae et in aliis doctrinis, sed et tradita sit a Concilio Constantiensi contra Wicleffitas ac in proposit. 15. Syllabi: « De temporalis regni cum spirituali compatibilitate « disputant inter se christianae ac catholicae Ecclesiae filii ».

438. II. *Utilitatem et necessitatem*, quoniam referuntur ad praesentes circumstantias, non posse elevari ad dignitatem dogmatis; etenim elementum contingens et historicum circumstantiarum praesentium non continetur in revelatione; tamen constituunt doctrinam catholicam infallibiliter ab Ecclesia propositam, cum Ecclesia sit infallibilis non modo in dogmate proponendo, sed et in omnibus quae cum conservatione et evolutione ipsius dogmatis et Ecclesiae connectuntur; ex. gr. Concilium Tridentinum esse oecumenicum.

439. III. Quoad *legittimitatem* in specie dominii huius vel illius urbis, iudicium Ecclesiae esse *auctoritativum* ideoque obligationem imponere sese eidem accommodandi; imo et quoad legittimitatem complexivam et specificam urbis Romae, hoc iudicium est in re tam gravi, ut error a divina providentia permitti non possit.

440. Sed quid important *praesentes circumstantiae?* Praesertim alludunt ad divisionem gentium christianarum in plura regna, ex qua fit ut Papa oportet sit a quolibet independens ut liber sit. Ceterum etsi unicum esset regnum christianum quod orbem saltem civilem universum complecteretur, adhuc saepe saepius summus Pontifex plura pateretur a rege vel imperatore christiano cum eiusdem illicitis deberet sese opponere decretis, ut ostendit historia ipsa romani imperii post datam Ecclesiae pacem; si enim sub piis imperatoribus servata est erga Pontificem debita reverentia, tamen sub impiis aut minus piis plures quoque Pontifices in exilium acti vel in carcerem detrusi. Si tamen unicum esset magnum imperium ut tunc temporis, certe et pro Pontifice requireretur validius regnum ut de facto esse posset liber.

441. Est haec incompatibilitas Pontificis subditi, quae occasionem dedit fingendae Constantini donationi quae in decreto Gratiani affertur, chartae nempe qua Constantinus imperator sedem Constantinopolim translaturus, urbem Romam Pontifici concedit, cum ob maiestatem Pontificis obfuscaretur maiestas imperatoris et illius dignitati adversaretur praesentia Principis. Hoc inquam instrumentum etsi sit historice falsum, exprimit tamen socialem necessitatem et dat formam historicam, evolutioni spontaneae factorum, ex qua tempore procedente constitutus est summi Pontificis principatus.

442. Ex his quae diximus iam praeoccupatae sunt plures quae afferri solent difficultates.

Dicunt igitur: Ecclesia saltem per septem saecula, fuit absque dominio temporali; ergo non est necessarium.

Resp. ergo non est absolute necessarium concedimus, relative praesenti sociali conditioni negamus. Et sane, omittimus prima tria saecula, cum tunc Ecclesia fuerit in statu persecutionis; in reliquis autem quatuor, 1° plures Pontifices, ut diximus, maxima mala perpessi sunt ab imperatoribus quoque christianis, cum ipsorum non parerent iniquis mandatis; 2° his saeculis, constitutis regnis pluribus christianis, et sic creata necessitate Pontificis aeque ab omnibus independentis ut omnibus posset reddere iudicium iustitiae, etiam paullatim efformatus est principatus summi Pontificis, iuxta regulam providentiae qua fortiter et suaviter omnia facit; hinc parallele processit efformatio status socialis exigentis Pontificis principatum, et eiusdem creatio.

443. Obiiciunt deinde, utique principatum civilem fuisse necessarium summo Pontifici, quando societas civilis immiscebat se rebus religiosis; tunc enim rex territorii in quo fuisset Pontifex, eidem legem dictasset in iis quae populis proponere debuisset; sed nunc non ita est; viget enim principium libertatis cultuum; hinc in quolibet statu permittitur quaelibet doctrina religiosa; igitur non est necesse Pontificem esse principem ut gaudeat ea religiosa libertate quae omnibus conceditur; cumque hic spiritus libertatis conscientiae intime pervaserit modernam societatem, stabilis evasit, ideoque sociales circumstantiae mutatae sunt; et proinde doctrina quae asserit nunc dominium temporale non esse Pontifici necessarium, imo utilem esse eiusdem carentiam cum eum exoneret a curis terrenis ut liberius vacet coelestibus, non contradicit doctrinae catholicae, syllabo, allocutionibus et episcoporum declarationibus.

Resp. I. positive et theologice. Summus Pontifex gloriose regnans, Leo XIII, publicis tum litteris [1]) tum sermonibus adhuc asserit necessitatem principatus civilis, et episcopi pariter. Iamvero iudex competens eorum quae Ecclesiae sunt opportuna vel necessaria est ipse Pontifex. Ergo circumstantiae sociales mutatae non sunt relate ad rem nostram.

444. II. Quoad factum; falsissimum est nunc libertatem plenam concedi catholicae doctrinae et religioni; ne cetera commemoremus, sufficiat indicare facta recentia Helvetiae et Germaniae, quorum plura adhuc vigent (1889).

445. III. Etiamsi doctrina moderna de cultuum libertate ubique applicaretur, tamen esset semper cum limitatione; dummodo non praeiudicet publicae tranquillitati et ordini exteriori, cuius princeps iudex est; haec clausula necessario semper adiungitur; cum enim doctrina de cultuum et conscientiae libertate, sit obiective falsa, et proinde subversiva ordinis socialis, qui eam invocant ut negent religioni catholicae eam protectionem quae per se loquendo eidem unice deberetur, ex necessitate suae conservationis coguntur postea citius vel serius dictam clausulam limitantem apponere, et iudicium reservare statui civili, in quo iudicio edendo status cum ex naturalistico principio procedat, etiam pluries errat, reputando temporalia quae sunt religiosa.

Et sic denegant Ecclesiae naturam perfectae societatis, imo religionem inter res invisibiles relegant, et proinde Pontificem contraria praedicantem, iuxta sua principia coguntur habere ut seductorem qui negat iura

1) Vide epistolam, 15 lunii 1887 ad card. Rampolla, Status Secretarium.

nativa status et populos ad inobedientiam provocat. Et nostra quidem aetate organa, ut dicunt, publicae opinionis et guberniorum heterodoxorum saepe saepius tradiderunt legem italicam, 13 Maj. 1871, de inviolabilitate summi Pontificis (guarentigie), offendere ius internationale, quia dat impunitatem iniuriis ab ipso irrogatis, guberniis omnibus, et dat Pontifici modum haec gubernia offendendi.

446. Haec enim est sors status anormalis ut contrariis querimoniis locum det. Notandum est autem temporibus praesentibus una cum maiori affirmatione libertatis individualis, etiam evolutam esse in immensum legis dominationem quae normam imponit innumeris privatorum actibus; et simul in immensum excrevit potestas effectiva guberniorum quae ope modernae organizationis socialis, statim qualibet persona potiri possunt, eiusque actus impedire, dum e contra tempore anteacto, ex. gr. feudali, non omnes vires sociales erant in manibus principis, unde ei et facile resisti poterat. Hinc maior necessitas immunitatis summi Pontificis ab hac omnipotentia status moderni.

447. IV. Resp. summum Pontificem praeter doctrinae praedicationem, actionem suam in innumeris negotiis maxime practicis exercere, tum episcopis creandis, tum religiosis ordinibus aut congregationibus approbandis, tum causis iudicandis, legibus vel actis guberniorum et populorum reprehendendis vel laudandis (ut an. 1881 foederatione agraria Hiberniae et relativis actibus gubernii britannici etc.), bellis item; ex quo fit ut eius influxus in vitam nationum sit magnus et eius benevolentia desideretur ab omnibus contendentibus. Igitur etsi vere daretur libertas cultus quatenus merus cultus est, tamen Pontifex non esset satis

independens ratione supradictorum. Igitur vel neganda natura Ecclesiae et indoles pontificiae potestatis, vel agnoscendum est statum normalem ipsius Pontificatus esse principatum.

448. Sed modernus auctor (Carolus Curci ex-iesuita in opere, *Dissidio tra la Chiesa e lo Stato*), ait: quid si alius modus inveniretur Ecclesiae utilior ac temporalis principatus?

Resp. hanc hypothesim in praesenti societatis conditione admitti non posse; 1. theologice, cum summus Pontifex declarando sibi necessarium verum principatum, excludat alios quoscumque modos; 2. rationaliter; nam ea effectiva independentia quae datur a principatu, a nullo alio medio dari potest; speciatim non datur a vicariatu collato a Pontifice, alteri principi; oportet enim Pontificem ipsum esse effective dominum in regione sua; non enim indiget tantum honoribus et tributis, quae et a vicario possent eidem praestari, sed praesertim indiget independentia et libertate; igitur oportet vires militares et magistratus territorii, a Pontifice in omnibus dependeant [1]).

449. Postremo obiiciunt ius italicae nationis. Etenim unitas regiminis politici est magnum nationis bonum, praesertim moderna aetate cum ceterae nationes compositae sint in unitatem politicam vel saltem constituant regna potentia. Etenim natio italica divisa in plura regna semper exponeretur incursionibus exterorum, ut et superioribus aetatibus factum est, ideoque esset praeda potentioris; insuper careret debito

1) Relate ad dominium temporale sanctae Sedis, vide praeclarum opus, cui titulus: *Il dominio temporale dei Papi,* per mons. Giuseppe Patroni. Siena 1883.

influxu in societate europea, cum nunc ex frequentioribus relationibus, partes Europae in multis efforment unicam familiam, cuius negotia communi potentiorum consilio finiuntur.

Iamvero durum est Italis causa principatus civilis summi pontificis consequi non posse unitatem politicam, ideoque securitatem et debitam positionem.

Resp. hic applicanda esse principia generalia, idest quaelibet natio ius habet procurandi sibi politicam unitatem, salvo aliorum iure conc., absolute negatur; nec enim unitas politica est bonum supremum, ideoque sicut ceteri legittimi principes non possunt exturbari eius causa, ita multo minus Pontifex.

Si autem unitas politica consideraretur ut bonum necessarium causa securitatis, tunc attendenta sunt principia de conflictu; iamvero in conflictu inter bonum temporale alicuius nationis et spirituale totius christianitatis, illud cedere debet.

Ceterum bono nationali provideri posset alio modo, ex. gr. foederatione, et ipsa Pontificis auctoritate, cuius praesentia universam illustrat nationem et protegit.

ARTICULUS IX.

Ius Ecclesiae quoad quaedam de se temporalia ratione specialis relationis ad spiritualia.

450. Vidimus extare materias mixtas, seu quae ex sui natura referuntur ad finem utriusque societatis; et tunc unaquaeque societas eas ordinat relate ad finem suum, salva subordinatione societati maiori, et competentia exclusiva Ecclesiae in supernaturalibus eorumque necessariis effectibus.

Sed merentur specialem considerationem quaedam

causae, quae per se essent temporales, sed peculiarem relationem dicunt ordini spirituali.

Huiusmodi sunt I. delicta cum scandalo; etsi enim omnia delicta offendant sanctitatem, ideoque finem Ecclesiae, maxime tamen peccata cum scandalo, quia non modo alienant a fine suo peccatorem, sed et reliquos; ideoque peccatum cum scandalo, turbat ordinem socialem ecclesiasticum. Hinc ratione scandali, inductae poenitentiae canonicae; et aliae coercitiones adhiberi possent a iudice ecclesiastico, salva potestate auctoritatis civilis eadem puniendi directe et per se.

451. II. Delicta contra bonos mores, specialiter subsunt tribunali ecclesiastico, quia haec crimina non tam offendunt bonum temporale, ut facit ex. gr. furtum, quod est malum ratione iniustae offensionis boni temporalis, sed morum honestatem quatenus honestas est; hinc habent specialem oppositionem fini ecclesiastico; et proinde non modo ratione scandali cum fuerint notoria, sed etiam ratione suae inhonestatis cum aliquo modo societati innotescunt, puniri possunt ab Ecclesia, salva maiori punitione status civilis, directa et intuitu iuris temporalis laesi, si locum habeat, ut in adulterio et similibus. Etenim delicta contra bonos mores sunt veluti hostes occulti qui pervertunt societatem spiritualem, cum maxime alienent ab eius fine.

452. III. Praeter peccatum publicum quod notorietate sua scandalum generat in plebe christiana, potest Ecclesia corripere fidelem de quolibet alio peccato de quo constet in foro externo. Id expresse statuitur cap. *Novit ille*, XIII. *de iudiciis*, in quo inter alia haec leguntur: « Cum enim non humanae constitutioni sed » divinae potius innitamur, quia potestas nostra non » est ex homine, sed ex Deo, nullus qui sit sanae

» mentis ignorat, quin ad officium nostrum spectet de » quocumque peccato mortali, corripere quemlibet chri- » stianum; et si correctionem contempserit, per distri- » ctionem ecclesiasticam coercere ». Et sane: finis Ecclesiae est salus cuiuslibet fidelis, ideoque non modo compescere debet delicta quae rem publicam perturbant, ut scandala, vel laedunt ius tertii, sed etiam ipsius peccantis correctionem procurare.

Hinc fit in foro canonico, quasdam obligationes urgeri, aut puniri quaedam peccata circa ipsas res temporales quae non attenduntur a lege civili; ex. gr. in contractibus lex civilis non considerat, regulariter, laesionem gravem sed non enormem (idest infra dimidium iusti pretii); et tamen iudex ecclesiasticus etiam intimatis censuris, urget restitutionem, quia laesio et infra dimidium potest esse peccatum mortale. Hinc et videt hanc causam civiliter, et renitentem persequitur censuris.

453. Hinc IV. generalius sequitur posse etiam, Ecclesiam videre de controversia inter duos fideles, si nempe unus queratur se laesum ab alio, idest fratrem in eum peccasse, iuxta quod legimus apud s. Matt. XVIII.: « Si peccaverit *in te* frater tuus, vade » corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, » lucratus eris fratrem tuum. Si te non audierit, adhibe » tecum unum vel duos, ut in ore duorum vel trium » testium stet omne verbum; quod si non audierit, » dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit » tibi sicut ethnicus et publicanus ».

Iamvero ut Ecclesia videat an vere frater in fratrem peccaverit, quoniam id et in re temporali accidere potuit, necesse est videat de ipsa causa temporali, ex. gr. de iniusta damnificatione. Quoniam autem

peccatum perdurat donec restituatur ablatum, vel aliter satisfactum sit parti laesae, hinc Ecclesia sicut iudicat de transgressione iam facta, ita et de compensatione facienda, quae si omittatur culpabiliter, perdurat peccatum.

Ecclesia igitur ad quam spectat curare correctionem peccantis, iure praescribit et satisfactionem laeso exhibendam.

Si autem quis Ecclesiam non audierit, ex evangelio habendus est ut ethnicus et publicanus, idest poena gravissima excommunicationis ab Ecclesia multari potest.

454. Igitur indirecte ratione peccati, Ecclesia iudicat et de controversia temporali, quae est materia et causa peccandi. Et tamen per hoc Ecclesia sibi non adscribit iurisdictionem civilem, quia de re temporali praecise non iudicat ut temporalis est. Hinc si controversia resoluta fuerit legittima sententia civili, Ecclesia pronuntiat partem victricem posse tuto ea uti sententia sibi favorabili, idest in huiusmodi usu peccatum non esse. Sicut enim oportet confessarius in foro interno, cum de mero licito vel illicito agitur, per se permittat poenitenti, usum sententiae ei favorabilis, dummodo probabilis, ita et in foro externo nequit iudex ecclesiasticus legittimam sententiam iudicis saecularis spernere, ut aliam ipse pronuntiet, sed dictamen reflexum permittere debet parti victrici, ut quaestio quae ante sententiam erat forsitan dubia, habeatur post sententiam ut iuridice certa.

Sed quid si iudex saecularis, manifeste protulerit sententiam iniquam aut iniustam?

Tunc in foro conscientiae pars victrix, tuta non est. Sicut enim in dubio praesumendum est pro legittimo

superiore, eiusque praeceptum vel sententia servanda, ita error eius manifestus, nullo modo nobis suffragatur. Si autem hic error iudicis saecularis, manifeste constet et in foro externo ecclesiastico, profecto iudex ecclesiasticus necesse est pronuntiet, victorem utentem hac iniusta sententia adhuc esse in statu peccati, ideoque adhuc corrigendum esse, et ni pareat, districtione ecclesiastica eum compellere potest.

455. V. Ex hac indirecta potestate in res temporales ratione peccati, sequitur etiam iudicem ecclesiasticum de rigore iuris videre posse causas temporales inter laicos, quando eis negatur iustitiae administratio, vel negligitur, ut statuitur cap. 6. et 10. *de foro competente*.

Etenim controversias temporales iudicare directe spectat ad saecularem magistratum; sed indirecte ratione auferendi peccatum eiusque occasionem, iudicari possunt et a iudice ecclesiastico; haec enim auferre, spectat ad finem Ecclesiae. Iamvero in re evidenti, statim procedere potest et iudex ecclesiasticus; in re autem obscura vel dubia, regulariter procedere debet iudex laicus; per eius enim sententiam, pars victrix efformat sibi dictamen reflexum et se a peccato in fratrem, immunem habet. Hinc eodem cap. 10. *de foro competente*, expresse statuitur causas temporales inter laicos, a iudice laico videndas, et declarantur subreptitia rescripta quae in contrarium quis a s. Sede impetraverit; sed permittitur iudici ecclesiastico has causas videre, in casu neglectae iustitiae, vel si pars aliqua gravata fuerit.

Neglecta enim iustitia a iudice laico, deficit medium directum iuridicum ad auferendas occasiones peccati, vel ipsum peccatum, prout controversia adfuerit vel

evidens iniuria. Igitur supplet Ecclesia ex munere suo auferendi iuridice peccata et ipsorum occasiones.

456. Idem est in casu sententiae manifeste iniquae, cum haec in foro conscientiae et ecclesiastico nullo modo suffragetur, exceptis sententiis quae etsi errori facti innitantur, tamen procedunt ex praesumptione culpae et ad vitandum periculum commune, de quibus non agimus, cum considerent casum omnino specialem, et adhuc iustae dici possint in foro externo etiam ecclesiastico.

457. VI. Etiam causae miserabilium personarum possunt iudicari in foro ecclesiastico, nonnullis in casibus. Etenim protectio viduarum, pupillorum et aliarum miserabilium personarum, inculcatur saepius in sacra Scriptura ut opus misericordiae; hinc specialiter ad Ecclesiam pertinet eas defendere si indigeant. Et proinde in ipsarum negotiis non intervenit praecise quatenus temporalia sunt, sed ratione causae piae.

Casus autem in iure contemplati, ex quorum enunciatione patet ipsorum maxima aequitas, sunt: 1. cum ipsae miserabiles personae accedunt ad tribunal ecclesiasticum quando negligens fuit iudex laicus in reddenda iustitia, cap. *Ex tenore* XI. *de foro competente.*

2. Quando vidua, vel pupillus (etsi divites), vel miserabilis persona, fuerunt violenter oppressae et rebus suis expoliatae; possunt apud iudicem ecclesiasticum agere interdicto *unde vi*, ad possessionem recuperandam, ex cap. XV. *de foro competente*, non tamen in causa proprietatis, ut notat Reiffenstuel *de appellat.* n. 86. Et sane, reintegratio in possessionem a qua exturbatae sunt violenter, pertinet ad ipsarum protectionem; et vidua aut pupillus etsi divites, sunt semper sub protectione Ecclesiae, cum facilius opprimantur.

3. Cum personae sunt pauperes, semper recurrere possunt ad iudicem ecclesiasticum.

458. VII. Ratione iuramenti, specialem adsumunt relationem ad religionem obligationes de cetero spectantes temporalia. Etsi enim omnis obligatio sit de se seu subiective spiritualis, ideoque eius inobservantia sit peccatum, tamen quae materiam habet temporalem, eius ratione quid temporalis est. Sed accedente iuramento, ea obligatio quae urgebat tantum ex titulo iustitiae vel charitatis, incipit urgere et ex religione; hinc eius transgressio specialiter offendit religionem, et proinde ad iudicem ecclesiasticum deferri potest, ex cap. 3. *de foro competente* in VI.

Ut patet non loquimur de ipso iuramento, quod est causa omnino spiritualis, sed de obligatione cui accedit.

459. VIII. Ob continentiam causae, idest causarum connexionem. Ea haberi potest quadrupliciter; I. ex dependentia unius vel plurium ab altera; ita principalis ab incidentali. 2. Ratione generalis actionis quae ad plura porrigitur, ut actio tutelae, vel negotiorum gestorum. 3. Ratione personarum, si plures in eadem causa sint conveniendi. 4. Ratione tituli, seu rei, ex qua plures quaestiones resolvuntur.

Iamvero ad rem nostram facit primum, tertium et quartum caput. Primum, si quaestio temporalis incidat in quaestionem fori ecclesiastici; tunc enim resolutio causae incidentalis est medium necessarium pro resolutione causae spiritualis. Iudex autem ecclesiasticus habet naturalem capacitatem cognoscendi quae sunt ordinis temporalis, cum naturali lumini subiaceant. Fit autem pro iisdem competens, eo quod ex hypothesi referantur ad finem eius, ipsarumque decisio sit medium ad eamdem necessarium.

460. Non tamen evenit contrarium, quod nempe iudex laicus valeat iudicare causam incidentem ordinis spiritualis, cum haec sit altioris ordinis et proinde effugiat eius competentiam, cum repugnet auctoritatem ordinis inferioris ius dicere de superioribus.

Hinc necesse est supersedeat, et recurrat ad iudicem ecclesiasticum pro competenti solutione, qua habita, procedet in causa principali. Ita si in causa haereditatis, exurgat quaestio de legittimitate natalium eius qui esset haeres ab intestato. Iudici laico conceditur tantum cognitio nudi facti in re spirituali contra laicum; idest an factum extiterit, puta matrimonium; non autem valet factum qualificare spiritualiter si de hoc quaestio exoriatur, ut si matrimonium contractum inter determinatas personas fuerit validum nec ne.

461. Secundum caput habetur pro re nostra, si clericus et laicus conveniendi sint in eadem causa ut rei; tunc ob concordiam iuris civilis cummunis seu romani, cum canonico, admissum est causam non esse dividendam sed apud idem tribunal finiendam. Et cum, ob privilegium fori, iudex laicus sit incompetens adversus clericum, sequitur utrumque reum iudicari ab ecclesiastico. Id sapientissime factum est, tum ne bis eadem causa instituatur, idest apud tribunal ecclesiasticum pro clerico, et apud saeculare pro laico; tum ad vitandum periculum contrariae sententiae in eadem causa.

Ceterum sicut ex concordia iuris utriusque id sapienter constitutum est, non tamen offenderetur competentia Ecclesiae si aliter pro laico determinaret lex civilis.

462. Postremum caput est, cum de eadem re, idest eodem titulo vel per consequens, plures oriuntur quaestiones, ut si iudicandum sit de viri adulterio, pro separatione cohabitationis, ex quo consequitur et resti-

tutio dotis, ex cap. 3 *de restitutionibus inter virum et uxorem, et dote post divortium restituenda.* Prima enim causa est de se ecclesiastica, et secunda est necessaria sequela.

Hinc cap. *Per venerabilem* XIII. *Qui filii sint legittimi*, merito Innocentius III. ait: « Non solum in Ec-» clesiae patrimonio, super quo plenam in temporalibus » gerimus potestatem, verum etiam in aliis regionibus, » *certis causis inspectis*, temporalem iurisdictionem *ca-» sualiter* exercemus ».

463. Ex his apparet quasdam causas etsi circa temporalem materiam, tamen esse competentiae ecclesiasticae ob elementum spirituale adnexum, vel ob specialem relationem ad spiritualia; iudicium sub respectu spirituali exclusive pertinet ad Ecclesiam; respectus autem temporalis aliquando separabilis est a spirituali; et tunc habetur causa mixti fori, quae nempe ab utroque iudice, ecclesiastico et saeculari cognosci potest. Ita quae VI. loco recensitae sunt, idest causae miserabilium personarum; item quae VII. idest obligationes firmatae iuramento; item quae postremo loco continentia causae, ut si in adulterio, non pro divortio (quae causa exclusive est fori ecclesiastici), sed pro aliis poenis applicandis, procedendum sit.

464. Iamvero in causis mixti fori, ob supradictam concordiam utriusque legislationis, idest canonicae et romanae, locus est praeventioni; et proinde ille iudex causam definit qui praeoccupavit; et tunc alter iudex abstinet. Tamen agendo de delictis, si crimen non habeatur ut sufficienter punitum in altero foro, potest rursus puniri in alio.

Quod praesertim fit addendo poenam civilem ecclesiasticae, quae solet esse mitior, vel saltem minus

efficax, ut si mere spiritualis. Verum aliquando Ecclesia suam addit civili, ex. gr. excommunicationem. Tunc enim utraque auctoritas intendit delictum punire tantum pro fine suo; in qua divisione nullum est inconveniens.

465. Ceterum sicut Ecclesia libenter suscepit causas de se temporales ratione indirectae potestatis, deficiente vel impotente auctoritate civili, veluti tutelam novae incipientis societatis exercendo, easque causas iudicavit donec amicus perduravit spiritus, ita ab eis nunc abstinet, immutatis animorum dispositionibus.

Hinc videmus et in praesenti, Romae, vicariatum urbis nec amplius cognoscere de causis civilibus in quibus clerici ut rei conveniuntur, sed actori singulis vicibus facultatem impertiri experiendi ius proprium apud tribunal saeculare, si clericus monitus de eius petitione, ei morem non gerat sed putet se bonum ius habere. Item sacrae Congregationes non amplius vident causas temporales incidentes, ut de dote in causa divortii, etsi id praecipiatur cap. 3. *de donationibus inter virum et uxorem.*

S. autem Sedes, episcopis communicat opportunas facultates, ut concessionem impertiri possint conveniendi clericos suos apud tribunal laicum.

CAPUT III.

POTESTAS ORGANICA ECCLESIAE.

Ut ministerium et regimen ecclesiasticum sit utile populo christiano, requiritur *organizatio*, quae est duplex, alia *territorialis*, alia *hierarchica*.

§ 1.

Organizatio territorialis.

466. In eo consistit ut Ecclesia universalis quae pro territorio suo habet fines terrae, dividatur in plures Ecclesias particulares, habentes determinatum territorium seu dioeceses, et si opus sit habeatur quoque plurium dioecesium unio in maiores societates, puta primo in provincias, et provinciarum in exarchatus et patriarchatus, vel etiam exarchatus in patriarchatus.

Item habeatur subdivisio dioecesis in parochias, vel etiam in districtus seu vicariatus foraneos et horum in parochias. Organizatio autem territorialis secumfert necessario organizationem personalem, cum singulis divisionibus territorialibus aliquis pastor seu minister Ecclesiae praeesse debeat cum diverso potestatis gradu. Sed differentia est inter primam originem organizationis personalis et territorialis; illa enim est, generice inspecta, a Deo immediate. Etenim sub Pontifice maximo, ipse Dominus constituit episcopos, qui secundum gradum iurisdictionis repraesentarent. Est igitur iuris divini positivi. E contra divisio territorialis est iuris humani, quamvis ab ipsa rerum natura reclametur; quo sensu iuris divini naturalis dici posset. Etenim attenta humanae naturae indole in concreto, impossibile

est magnam societatem, territorium pergrande habentem recte gubernari posse, nisi facta territorii eiusdem congrua divisione. Ex quo factum est ut praeter divisionem in dioeceses, respondentem gradibus iurisdictionalibus divinae institutionis, et aliae sive maiores sive minores fierent divisiones, institutis gradibus iurisdictionis vel saltem potestatis paternae (in parochis) respondentibus. Gradus maiores seu supra episcopales, sunt emanationes summi Pontificatus; gradus infra episcopales esse possunt et regulariter sunt emanationes potestatis episcopalis. Potestas enim iurisdictionis est delegabilis tum transeunter, tum stabiliter, et in qualibet numerosa societate, locum habet delegatio. Per exceptionem habentur et gradus quasi-episcopales, qui pariter sunt emanationes summi Pontificatus.

467. Ecclesiae, ius esse liberum et independens organizandi se, patet ex principio generali, ei ius esse liberum et independens ad omnia sibi utilia, cuius utilitatis iudicium authenticum et supremum ad ipsam spectat Ecclesiam. Sed ex dictis, Ecclesiae utilis, imo necessaria est organizatio tum realis tum personalis, et id Ecclesia verbis et factis asseruit. Ergo eius praestandi, Ecclesiae ius est.

468. Hinc sequitur I. Ecclesiam libere instituere posse parochias, dioeceses, provincias; II. fines ipsarum semel constitutos mutare; vel III. eas coniungere, dividere (seu ex una plures facere), dismembrare, imo et supprimere, si totum territorium et populus, extincto eius titulo, incorporetur alteri. Ius enim quod ab initio est liberum et independens, tale perseverat et temporis processu. Hinc intrusio est auctoritatis civilis, quando exigit a se veniam impetrari pro nova parochia aut dioecesi fundanda, vel restringenda aut amplianda.

469. Neque valet obiicere aliquando id status valde interesse, puta si eadem dioecesis partim sit in territorio unius regni, partim alterius; item quia status subministrat temporalia.

Nam prima ratio ad summum causa esse poterit rogandi Ecclesiam ut accommodet suas circumscriptiones, circumscriptionibus regnorum, si vere ex horum inimicitia difficultas aliqua oriatur; sed non evincit ius, neque per modum regulae potest adoptari; ut enim scribebat s. Innocentius I. patriarchae antiocheno, non convenit ad mutabilitatem rerum humanarum, res quoque ecclesiasticas mutari.

470. Quoad alterum vero, nempe statum civilem aliquando subministrare Ecclesiae redditus temporales, id nullum in eo inducit ius de spiritualibus disponendi, praesertim cum per huiusmodi temporalium subministrationem, status satisfaciat muneri suo erga Ecclesiam ex dictis.

Item si praelatus sive episcopus sive metropolita, primas aut patriarcha, resideant extra aliquod regnum, dici non potest ipsorum auctoritas regno extranea. Sicut enim suprema Ecclesiae potestas non est alicui regno extranea, ita et inferiores praelati non sunt extranei Ecclesiis sibi commissis.

§ 2.

Organizatio specialis religiosorum, mixta, idest territorialis et personalis.

471. Ex hoc iure organizandi territorialiter Ecclesiam, sequitur quoque ius concedendi specialem organizationem adsociationibus specialibus, puta ordinibus religiosis. Sicut enim hi eximi possunt ab auctoritate epi-

scoporum ut immediate pendeant ipsorum superiores generales a summo Pontifice, ita distribui possunt in provincias distinctas a dioecesium divisione. Praesertim regalistarum restrictiones, in superiores generales ordinum religiosorum directae sunt, cum plurimis in regnis, interdixerint communicationem cum superioribus generalibus, et exegerint constitutionem vicariorum generalium pro regno, qui essent independentes a superiore generali; et aliquando Ecclesia ad maiora mala vitanda, id indulsit.

472. Ceterum ius Pontificis eximendi a iurisdictione ordinariorum viros religiosos apparet cum ipse habeat in omnes Christi fideles immediatam auctoritatem; quod si gradus episcopalis constitutus est qui pariter frueretur immediata auctoritate in partem gregis sibi commissam, id fuit quia ob Ecclesiae universalitatem impossibile erat unicum Pontificem seu episcopum immediate regere universos; ceterum ius episcoporum non limitat ius Pontificis, et ab eo exerceri potest et per modum regulae, in negotiis ad quae ipse sufficiat; cuius rei ipse iudex competens est. Hinc et capitulis aut aliis Ecclesiis potest quas opportunas iudicaverit concedere exemptiones. Hoc de iure.

473. Relate autem ad sapientem usum iuris huius in eximendis viris religiosis, apparet ex eo quod sunt veluti copiae solutae ad nutum supremi Ducis, et ex ipsorum universalitate fit ut uniformis habeatur disciplina, et facilius habeantur viri habiles, qui etiam ex una in aliam provinciam mitti possint, prout exegerit necessitas, quae non haberentur si immediate penderent ab episcopis.

Igitur quoad ordines exemptos verificatur specialis organizatio tum *territorialis* tum *personalis*.

§ 3.

De organizatione personali.

474. Sed iam ad organizationem personalem sermonem convertamus.

Haec inspici potest relate ad episcopos vel ad gradus supra-episcopales. Quoad episcopos, cum ipsorum gradus habeat potestatem subordinatam Pontifici, et limitatam, sed iure divino determinata non sit eiusdem intensitas, sequitur ipsorum positionem iuridicam determinari iure ecclesiastico; hinc limites maiores vel minores habere potest, dummodo semper verificetur eos esse Pastores, ut lib. 2. part. 1. n. 32. dictum est. Igitur pro temporum et locorum circumstantiis poterit summus Pontifex ipsorum auctoritatem ampliare vel restringere; item ponere vicarios apostolicos in Ecclesiis constituendis vel etiam constitutis; sed tunc ex causa transeunte, ut in iure explicatur cum de his gradibus sermo est.

475. Quoad gradus autem supra-episcopales, ipsi nihil aliud sunt nisi emanationes supremae auctoritatis, quae sedi adnexae sunt si de metropolitis, exarchis et patriarchis agatur, qui proinde dicuntur gradus supra episcopales reales. Igitur iure delegato procedunt et plus vel minus eis conceditur pro temporum et locorum opportunitate; sed quidquid habent, nomine pontificio habent.

476. Sicut autem Ecclesia organizata est per pastorum gradus, ita et per pastorum collegia; singulis enim gradibus potestatis supra episcopalis respondent collegia pastorum, quae in conciliis adunata legem dicunt; hinc concilia provincialia sub metropolita,

nationalia sub primate vel patriarcha; quae pariter collegia cum sint ecclesiasticae originis, modo ampliorem modo minorem habuerunt auctoritatem, concessione summi Pontificis, prout opportunum iudicatum est. Haec Concilia cum sint institutiones Ecclesiae, participant eius independentiae, et absque placito regio celebrari valent et iuris obtinent vigorem.

477. Ulterius nota ex potestate immediata summi Pontificis sequi per modum exceptionis, vel ratione tituli ut in praelatis nullius, vel ex dispositione transeunte ut in hodiernis vicariis apostolicis, posse constitui gradus quasi episcopales territoriales, qui potestate a Pontifice delegata procedant, ut praesertim fit in missionibus, cum tantum ipse habeat apostolatum, seu ius praedicandi evangelium infidelibus; Episcopi enim positi sunt ad regendum populum Dei.

§ 4.

Ius mittendi legatos iudices.

478. Sicut summus Pontifex vocat in partem potestatis suae supra-episcopalis, gradus hierarchicos adnexos sedibus, ita et personaliter potest talem potestatem delegare. Cum enim nequeat ipse personaliter invigilare ubique, Ecclesiasque omnes visitare, id per alios praestare potest; inde origo antiquis temporibus a saeculo V. vicariorum apostolicorum qui nomine Pontificis exercebant auctoritatem supra-episcopalem sibi personaliter commissam in determinatis provinciis; quae delegatio cum coepisset renovari in successoribus ipsorum in eadem sede, visa est tempore succedente transire in realem, ex quo origo primatum vel legatorum natorum, quorum auctoritas obtinere coepit praesertim saeculo IX. Recentiori autem aetate nomen

legatorum usu venit, qui dicebantur missi, ut a natis distinguerentur, quorum auctoritas ex frequenti delegatione legatorum missorum, imminui coepit saec. XI., donec extincta est aut fere, saeculo XV. remanente titulo honorifico.

479. Recentius autem cum regia auctoritas facta est validior, legati s. Sedis quamvis adhuc sint legati iudices seu cum iurisdictione missi, super provincias sibi adsignatas, tamen plurimum ut legati-oratores, quales et a regibus ceteris mitti solent, praestare coeperunt.

480. Horum graduum specialem originem, vicissitudines et potestatem non exponimus, cum de primis duabus quaestionibus in institutionibus iuris canonici sermo ex professo sit, de tertia autem praesertim in schola textus.

Sed de antiquis vicariis apostolicis praestat videre Gulielmum Audisio, *Idea storica e razionale della Diplomazia ecclesiastica*, tit. XI. et seqq. In eodem autem opere, tit. III. et seqq. videas controversiam saeculo elapso ad finem vergente, a quatuor metropolitis Germaniae excitatam, contra ius summi Pontificis mittendi legatos. Quorum querelis ut occurreret Pius VI. edidit anno 1789 eruditissimam *Responsionem ad Metropolitanos Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem et Salisburgensem super Nunciaturis*. Haec historia omnino addiscenda est ut depravatio saeculi acti addiscatur.

Exhibeamus modo adumbrationem evolutionis iuris publici interni.

§ 5.

Adumbratio evolutionis iuris publici interni.

481. I. Tempore primae propagationis Ecclesiae et persecutionis, necesse fuit maximam autonomiam sin-

gulis relinquere episcopis, qui aliunde et sanctissimi esse solebant, utpote vel ab Apostolis vel ab apostolicis viris selecti, vel saltem a falce carnificis imminente purificabatur Ecclesia, ne ad episcopatum adspirarent ex ambitione, sed veluti reluctantes eligerentur digniores. Electio fiebat in qualibet provincia, seu a vicinis episcopis exquisito voto cleri et populi testimonio. Etenim auctoritas centralis non multum influere poterat impedimentis obstricta tum internis (status propagationis religionis), tum externis (status persecutionis); aliunde ea sanctitas quae erat in episcopis electoribus nec non in clero et populo, erat sufficiens argumentum, plurimum eis concedendi.

482. II. Data pace Ecclesiae maior organizatio facta est, tum in membris, tum ex parte capitis et disciplinae. Hinc plurima concilia celebrata saeculo IV. exordiente, non modo ad haereses profligandas, arianorum praesertim, sed et ad disciplinam constabiliendam, per quam melius quoque attributiones episcoporum determinabantur atque metropolitarum, quamvis in occidente serius obtinuerint.

Item quoad auctoritatem exarcharum et patriarcharum in oriente. Hinc quinque concilia orientis, particularia sed ubique recepta, Gangrense, Laodicenum, Antiochenum, Neocaesareense et Ancyranum per hanc epocham celebrata sunt, imo quaedam et pacem Ecclesiae praecesserunt.

483. Ex parte autem capitis Ecclesiae coepit maior exerceri influxus; et inter institutiones quae ad eum ordinabantur, recensenda est vicariorum apostolicorum introductio.

Item elementum populare auctum est in electionibus episcoporum, ut fraudes arianorum excluderen-

tur et plebs facilius defenderet pastorem quem sibi elegerat.

III. Vicariis apostolicis successerunt primates vel legati nati in occidente, ut dictum est.

IV. Legatis natis successerunt legati missi.

V. Et deinde obtinuerunt nuntii permanentes. Concilia autem particularia evaserunt minus frequentia et cum minoribus attributionibus.

Item plures causae factae sunt maiores quae olim concessae fuerant vel singulis episcopis, ut beatificationis, vel conciliis provincialibus, ut causae criminales graviores episcoporum.

§ 6.

Ius liberae communicationis.

484. Ex eo quod Ecclesia sit societas independens, sequitur ius liberae communicationis reciprocae inter fideles et pastores nec non inter fideles et pastores ex una parte cum summo Pontifice ex altera, vel Pastorum inter se; ex quo sequitur et ius libere celebrandi concilia. Si haec communicatio fidelium cum summo Pontifice inspiciatur sub respectu iuris Ecclesiae interni, tunc innititur in immediata eius auctoritate in omnes et singulos, ex qua fit ut episcopi non habeant ius exigendi ut ad summum Pontificem recurratur tantum in casu appellationis aut devolutionis, seu ad corrigendos excessus aut supplendos defectus.

485. Tamen aliquando s. Sedes indulget causas minores finiri in regno, puta apud concilium provinciale, vel apud tribunal metropolitae vel primatis.

Item aliquando non suscipit causas et graviores nisi antea sint iudicatae apud iudices inferiores, et ad id se obligat promissione. Verum id sapienter fieri potest

ad incommoda vitanda quae sive ex appellationibus multiplicatis, sive ex neglectu iudicum inferiorum haberi possunt; sed non ex necessitate praestantur a Pontifice, verum ex voluntate, idest tunc has causas non suscipit non ex defectu potestatis sed voluntatis.

486. Contra ius huius liberae communicationis obiecerunt regalistae, ius esse statui civili cavendi a conspirationibus; possunt enim fideles sub specie communicationis religiosae, adversus civilem auctoritatem plura moliri, praesertim si communicent cum eis qui extra regnum sunt, praesertim cum ipse Pontifex erat rex, et multo magis cum ipse partes alterius regis inimici aut etiam belligerantis sustineret, vel ei subiectus esset, vel etiam bellum gereret adversus principem aliquem. Hinc saltem in his casibus concedendum est ius inspectionis litterarum quae ad Pontificem mittuntur aut ab eo rescribuntur.

Item ius impediendi accessum personalem ad eumdem; siquidem nescimus quid accedentes molituri sint; scribant ergo; litterae enim perlegi possunt a statu ut sibi caveat.

Item ius impediendi Pontifici ne nuncios aut officiales alios mittat, vel eos eiiciendi, ut temporibus tum antiquis tum recentibus factum est.

487. Resp. Etsi statui ius sit vigilandi ne contra se conspiratio habeatur, tamen id nequit esse cum laesione superioris maioris. Igitur ita invigilet ne offendat ius Ecclesiae et praecise ius liberae communicationis ecclesiasticae. Ceterum et pro privatis nimia esset vigilantia gubernii si omnes ipsorum inspicere vellet litteras per modum regulae, imo exigere ut peterent licentiam scribendi extra regnum, ut nonnulli status faciebant pro negotiis ecclesiasticis.

488. Verum status in re ecclesiastica neque per modum exceptionis potest impedire liberam communicationem inter fideles et pastores et viceversa, aut inspicere litteras ipsorum, sed tantummodo data certitudine vel etiam probabili suspicione abusus, recurrere ad superiorem ecclesiasticum ut ipse provideat; hinc numquam exerceri potest contra ipsam supremam auctoritatem ecclesiasticam. Et ratio est quia utique ius est statui sibi cavendi, sed salva subordinatione ne impediat fines maioris momenti, ut fieret in casu.

489. Sed dicebatur: quid si Pontifex sit rex? licebit ne subditis alienis libere communicare cum rege extraneo?

Responsio patet; ob negotia ecclesiastica affirmative; ob civilia negative; sed difficultas esse potest aliquando discernendi ob quae negotia quis communicet; iamvero certum est in hoc verificando, quaecumque praecedentes adsumantur cautelae, numquam impediri aut vetari posse communicationem ob negotia ecclesiastica, quorum pleraque, ut casus conscientiae, perfectum exigunt secretum; hinc neque accessus personalis ad summum Pontificem impediri potest ei qui aliunde non teneatur ad specialem residentiam, praesertim Pastoribus Ecclesiae qui ex munere et necessitate publica ad s. Sedem adiguntur saepe accedere. Quod si aliquod probabile periculum est detrimenti civilis, in conflictu cum laesione iuris et utilitatis spiritualis cedere debet.

Quae valent etsi Pontifex faveat alteri regi belligeranti, vel etiamsi in temporalibus ipse bellum gereret. Item si subditus, de facto, esset alterius regis.

490. Idem dicendum est de legatis. Summus Pontifex ius habet eos mittendi in quamlibet orbis partem ut ibi exerceant potestatem spiritualem; hoc ius habetur

et a Pontifice belligerante; ideoque excludentur tunc legati eius temporales, sed non spirituales. Quod si aliqui legati auctoritate sua abutantur, sibi usurpando temporalia iura regni in quo sunt, erit ipse Pontifex monendus, et interim et licebit defendere se ab ipsis, dummodo ipsorum abusus sit evidens; non autem potest impediri ipsorum ministerium spirituale vel legatus ipse a regno eiici. Ceterum ad prudentiam Pontificis spectat invigilare ne iustis querelis status civilis occasio detur, easque statim suscipere si locum habeant; cum autem Ecclesia sit per se inermis, patet eam non modo ex sancta sua missione, sed etiam ex hoc capite quammaxime inclinari ut abundet potius quam despiciat in deferendo statui civili.

§ POSTREMA

Adumbratio evolutionis iuris Ecclesiae coram statu civili.

491. Quoniam controversiae super competentiam Ecclesiae maxime respiciunt eius comparationem cum statu civili, hinc expedit breviter delineare modum quo Ecclesia processit in evolvenda sua competentia coram statu civili, et ita finem operi imponere.

I. Tempore primitivo durante persecutione, Ecclesia sese dilatat atque organizat non impetrata venia a societate civili, imo ea contradicente; ergo sese considerabat ut societatem iuridicam; item ipsa possidebat, quod et legaliter fiebat, quatenus erat societas funeraria, quae semper libere permissa fuit et abolitis reliquis adsociationibus. S. autem Paulus intimat fidelibus ut in iudiciis quoque civilibus non adeant pagana tribunalia; per id ostendit, auctoritatem Ecclesiae indirecte attin-

gere et res civiles prout tempora exegerint pro bono spirituali fidelium.

II. Data pace Ecclesiae, ipsa aliquantulum defert imperatoribus christianis; sed semper independentiam affirmat quoties ipsi nomine proprio vel quomodolibet indebite sese ingerunt rebus ecclesiasticis. Abundantes probationes attulimus agentes de perfectione iuridica Ecclesiae lib. I.

III. Genitis ad fidem regibus et populis barbaris, suscipit eorumdem tutelam, et explicat plenitudinem potestatis sibi convenientis in societate quae christiana ratione vult vivere, atque iurium sibi competentium ad salutem curandam societatis christianae cum deficit respectiva potestas civilis; hinc multa trahit ad suum tribunal vel ratione indirectae potestatis vel devolutive.

IV. Finito medio aevo et reorganizata atque vigescente potestate civili, Ecclesia sese retrahit ad ea quae rigorose spiritualia sunt, derelinquendo quae devolutive occupaverat, et ipsam indirectam potestatem raro et aegre exercet. Insuper in ipsa materia spirituali et quae directe ad eam spectat, plures concessiones principibus elargitur.

V. Proclamata, quamvis ex parte tantum obtinente, libertate communi, etsi Ecclesia iuste queratur de suis privilegiis per iniuriam abolitis, tamen utitur libertate communi et hoc quoque sub respectu evolvit suam vitalitatem, ostendendo se esse sal terrae, sanans omnia mala civilia; haec est epocha nostra, quae ostendit nullum aliud fundamentum hominibus datum esse in quo possint aedificare, nisi CHRISTUM DOMINUM CUI LAUS ET GLORIA IN SAECULA SAECULORUM.

INDEX ET SUMMARIUM

PARS SECUNDA SPECIALIS

EIUS DIVISIO

LIBER I.

QUAESTIONES SPECIALES DE INDEPENDENTIA ECCLESIAE EIUSQUE PRIMATU COMPARATE AD SOCIETATEM CIVILEM

Pag.

1. Eius divisio 5

CAPUT I.

DE REGIO PLACET

ART. I. *Notio regii placiti.*

2. Definitio 6
3. Aliqui extenderunt et ad bullas dogmaticas . . 7
4. Abusus *Liceat scribere* 8
5. Quidam asseruerunt, placitum et revocari posse . »

ART. II. *Origo et vicissitudines.*

6. Orto schismate occidentali, Urbanus VI. concessit quibusdam placitum episcopale. 9
7. 8. Principes invexerunt placitum regium . . . »
9. Schismate extincto cessavit 10

Pag.

10. A summis Pontificibus aliquando concessum est, sed cum limitatione 11
11. Primus princeps sibi iure regio vindicans placitum, Ioannes II. Lusitaniae rex 12
12. Bulla Innocentii VIII. contra iudices brixienses . »
13. Alexander VI. deponit Fridericum a regno Siciliae, causa quoque regii placiti. . . . . »
Leo X., Clemens VII., sanctus Pius V. . . . 13
14. Gregorius XIII. reprehendit Philippum II. . . »
15. Saeculo XVII. regium placitum resuscitatur in Gallia, sed pro libertate gallicana defendenda. . 14
16. In Hispania pro interesse privatorum, ut melius informaretur Papa . . . . . »
17. In Belgio causa iansenistarum 15
18. Saeculo XVIII. acrius defenditur in Hispania. . »
19. Item in Sicilia . . . . . »
20. In Subalpinis quoque, sed praetextu melius informandi Pontificem 16
21. Damnationes Clementis XIII. contra hispanos et gallos 17
22. Eiusdem contra ducem Parmae . . . . . »
23. Abusus placiti in regno neapolitano, in Francia et Germania . . . . . »
24. Concordata initio saeculi XIX. . . . . »
25. Tabula chronologica constitutionum pontificiarum. 18
26. Alii actus pontificii contra regium placitum . . 20
Aliquando toleratur ad maiora mala praecavenda . »

ART. III. *Placiti regii iniustitia.*

27. Negat superioritatem et independentiam Ecclesiae. »

ART. IV. *Solutio difficultatum.*

28. Haeretici negant divinitatem Ecclesiae . . . 21
29. Etsi Ecclesia esset naturalis societas, praeventivum placitum esset onus excessivum . . . . »
30. Ius cavendi. Competit et Ecclesiae contra statum . »
31. Servanda semper subordinatio status ad Ecclesiam. 22

Pag.

32. Placitum neque necessarium est pro rationali cautela 23
33. Et status acatholicus irrationabiliter exigeret praeventivum placet . . . . . »

CAPUT II.

DE REGIA NOMINATIONE ET IURE REGALIAE

§ 1. *De regia nominatione.*

34. Non agimus de concessione facta ab Ecclesia. . 24
35. Principi nullum est ius proprium aut repraesentativum 25
36. Tridentinum definit veros esse episcopos ac legittimos, qui a Pontificè assumuntur . . . . . »
37. Errores regalistarum. 26
38. Ministri Ecclesiae non attendunt directe ministeriis temporalibus . . . . . »
39. Status nequit ab eis exigere speciale iuramentum fidelitatis 27
40. Potest tamen a Papa concedi. . . . . »
41. Etiam ad removendas irrationabiles suspiciones . »

§ 2. *De iure regaliae.*

42. Ex Ecclesiae concessione competere potest; secus est indebita applicatio iuris feudalis, vel sequela haereticalis doctrinae quod Ecclesiae non competat ius proprium acquirendi bona temporalia. 29
43. In Gallia abusus natus est saeculo XVI. . . . 30

CAPUT III.

DE APPELLATIONE TAMQUAM AB ABUSU

44. Appellatio iudicialis et extraiudicialis; propria et impropria; simplex et tamquam ab abusu . . 31
45. Regalistae admittunt appellationem ab actibus iurisdictionis ecclesiasticae impropriam, tamquam ab abusu 32

Pag.

46. Praesertim a sententiis ex informata conscientia. 33
Remedia regia adversus iudicem ecclesiasticum. » »

ART. I. ***Reiicitur ius Status recipiendi appellationes tamquam ab abusu.***

47. I. Admitti nequit appellatio proprie dicta, cum sit ad iudicem superiorem eiusdem ordinis . . 34
48. II. Neque impropria, ex ratione generali, cum Ecclesia sit indirecte superior statui. Neque ex ratione speciali. Nam 1. status defendit iudicio suo tantum iura subditorum temporalia ex temporali causa . . . . . »
49. Et ex principiis iuris *moderni*, Ecclesiae relinquenda libertas 35
50. Honor civilis, iuxta principia moderna, salvus est et Ecclesia reprobante . . . . . »
51. 2. Iudex competentiae in casu conflictus, est ipsa Ecclesia . . . . . »
52. Tamen 1. status potest executionem negare iniustae sententiae iudicis ecclesiastici inferioris . . 36
53. Sed summus Pontifex, sciens et prudens valet dispensare a solemnitatibus iuris ecclesiastici . 37
54. 2. Iuxta antiquos canones, poterat ab imperatore impetrari iudicium episcopale. 38
55. 3. A tribunali inferiori laico executionem dante iniustae sententiae ecclesiasticae, appellare licet ad superius tribunal laicum . . . . . »
56. 4. Item recurri potest ad laicam potestatem, ut auferatur physicum impedimentum pro prosecutione debiti iudicii ecclesiastici 39

ART. II. ***De sententiis ex informata conscientia.***

57. Ante Tridentinum pro clero saeculari non admittebantur 40
58. Decretum Tridentinum . . . . . »
59. In prima parte reiicit ab ordinum susceptione . 41

Pag.

60. In secunda concedit suspensionem ab ordinibus susceptis 41
61. Restrictiva eiusdem interpretatio, pro crimine occulto 42
62. Vel etiam publico, cum absque periculo nequit iudicialiter procedi 43
63. Honestas decreti Tridentini 44
64. Et in suspensione irrogat poenam provisoriam et reparabilem . . . . . »
65. Et ex iure *moderno* defenditur . . . . . »

CAPUT IV.

DE MONARCHIA SICILIAE

66. Divisio capitis 45

ART. I. *Quid sit legatia seu monarchia Siciliae.*

67. Rex est legatus natus exclusivus . : . . . »
68. Praevalet ipsi Papae 46
69. Est schismatica . . . . . »

ART. II. *De eius origine et critica.*

70. Bulla Urbani II. an. 1099 detecta primum an. 1512. 47
71. Chronica Gauffridi Malaterra, ignorata per quatuor saecula, de ea loquitur, sed contradictorie. . »
72. Substantia privilegii 49
73. Data bullae est errata, ideoque codex publicatus a Barberio, saltem non est autographus . . . »
74. Excluditur bullae genuinitas argumento negativo, ex silentio quatuor saeculorum. 50
75. Si enim extitisset, debuisset cognosci et invocari . »
76. 77. Incipit historia relationum Ecclesiae et regni Siciliae . . . . . »
78. Rogerius II. pingitur indutus dalmatica, more graeco. 51
79. Quatuor capitula eius et Guillelmi mali . . . »
80. Conceduntur Guillelmo bono a Clemente II. . . 52

Pag.

81. Tancredus agnoscit libertatem Ecclesiae. . . 52
82. Poenitentia Henrici VI. 53
83. Constantia imperatrix renuntiat quatuor capitulis. »
84. In iuramento investiturae semper ponitur libertas Ecclesiae 54
85. Agnoscitur et a Friderico II. imperatore. . . »
86. Et a regibus andegavensibus . . . . . »
87. 88. Item ab aragoniis 55
89. 90. Sub Ferdinando catholico producitur bulla Urbani II.; sed cum haesitatione invocatur . . 56
91. Philippus II. introducit pragmaticam Catalauniae. 57
92. Statuit primum iudicem ordinarium monarchiae. 58
93. 94. Inconcludentes negotiationes cum sancta Sede instituuntur . . . . . »
95. Anno 1579 publicatur in Hispania chronica Malaterrae 59
96. Philippus III. comburit vol. XI. Baronii. . . »
97. Clemens XI. damnat monarchiam . . . . »
98. Saevitas regni Victorii Amadei . . . . . »
99. Concessiones Benedicti XIII. 60
100. Concordatum anni 1818 . . . . . »
101. Pii IX. concessiones. . . . . »
102. Abolitio monarchiae. 61
103. Renuntiatio auctoritatis civilis . . . . . »

ART. III. *Conclusio iuridica.*

104. Legatia Siciliae non subsistit historice, et quamvis subsisteret, iure abolita est 62

CAPUT V.

DE ECCLESIASTICA IMMUNITATE

105. Notio immunitatis et divisio capitis 63

ART. I. *Divisio immunitatum ecclesiasticarum.*

106. Est personalis, localis vel realis. . . . . »
1° Personalis importat I. privilegium fori . . »

Pag.

107. Ex quo sequitur immunitas a vi coactiva legum civilium, quamvis non a directiva. . . . 64
108. II. Immunitas a publicis officiis . . . . . »
109. III. et IV. a praestationibus personalibus et patrimonialibus . . . . . »
110. 2° Localis . . . . . »
111. 3° Realis 65
112. Rupta concordia cum statu civili, non solet immunitas recognosci . . . . . »
113. Nisi in aliquibus, aliquando in gravamen . . 66
114. Ecclesia quoad quaedam adhuc insistit . . . »

ART. II. ***Origo iuridica immunitatum.***

115. Regalistae repetunt a principum liberalitate. . »
116. Alii formaliter a iure divino 67
117. Melius repetenda immediate a iure ecclesiastico, mediate a divino . . . . . »
118. Sed quoad exercitium ministerii sacri est immediate a iure divino, et respondetur 1. et 2. argumento secundae sententiae 68
119-121. Respondetur argumento 3., 4. et 5. . . »
122. Ecclesia relaxando immunitates, non videtur auctoritatem delegatam concedere statui; et respondetur ad 6um et 7um 69
123. Nequit admitti immunitatem esse formaliter iuris divini, sub respectu indeterminato, et a iure ecclesiastico determinate 71
124. Est certe iuris divini mediate . . . . . »
125. Argumenta regalistarum. 72

ART. III. ***Origo historica.***

126. Immunitas religiosa viguit apud paganos. . . 76
127. Et barbaros. . . . . »
128. Immunitates feudales . . . . . »
129. Hinc primi imperatores christiani iudicaverunt eam ex necessitate extendendam esse ad Ecclesiam. 77

Pag.

130. Et Ecclesia eam ut sibi debitam consideravit; 1. speciatim de immunitate a tributis 78
131. 2º in causis criminalibus 79
132. 3º in causis quoque civilibus 81
133. Et ante legem civilem, Ecclesia quasdam immunitates a fidelibus servandas praescripsit . . 82
134. Et canonizavit privilegia sponte concessa a civili auctoritate . . . . . »
135. Facilem sese praebuit modificationibus introducendis pro temporum opportunitate 83
136. Ius asyli ab Ecclesia antiquitus sibi vindicatum. »
137. Primae leges civiles quae de hac re cognoscantur. 85
138. Medio aevo fuit valde utile et pro animis mitigandis.
139. Nunc superest reverentia erga iurisdictionem ecclesiasticam 86

ART. IV. *Quaestio de privilegiis.*

140. Aequalitas sociorum materialis et formalis . . »
141. Huic non repugnant, imo concordant privilegia . 87
142. Ipsa includit et rem ecclesiasticam . . . . »

ART. V. *De omnimoda immunitate iure divino, competente summo Pontifici.*

143. 1º Est maxime conveniens 88
144. 2º Ei competit, quia eam constituit pro ceteris. 89
3º 4º Quia indirecte iudicat inappellabiliter et de actibus civilis iurisdictionis . . . . . »
145. Hinc eius persona est extraterritorialis . . . »
146. Status ei conveniens est regalis 90
147. Idem non verificatur in episcopis . . . . . »

CAPUT VI.

DE POTESTATE ECCLESIAE INDIRECTA IN TEMPORALIA

ART. I. *Ius Ecclesiae quoad materias temporales.*

148. Ecclesia ius habet ad defensionem societatis christianae 91

Pag.

149. Hinc iure de hac re praecepta dat tum individuis, tum auctoritatibus civilibus 91
150. Deficiente auctoritate civili, supplet devolutive . 92

ART. II. *Ius Ecclesiae in leges civiles.*

151. Actus plures indirectae superioritatis iurisdictionis ecclesiasticae. 93
152. Leges civiles adversantes bono spirituali, sunt irritae vel irritabiles ab Ecclesia . . . . »

ART. III. *De principum correptione.*

153. Ratione peccati valet Ecclesia iudicare tum privatos, tum principes 94
154. Non tamen easdem poenas irrogando. . . . »
155. Doctrina Innocentii III., cap. *Novit* 95
156. Pontifex hanc potestatem sibi vindicat, praecise vi iuris divini, non *publici humani* 96
157. Neque feudalis . . . . . »
158. Neque praeiudicat independentiae civilis auctoritatis in suo ordine temporali 97
159. Potestas quae in Pontifice est suprema, in episcopis est subordinata 98
160. Doctrina Bonifacii VIII., cap. *Unam sanctam* . »
161. Ei non contradicit Clemens V., cap. *Meruit.* . 99

ART. IV. *De principum depositione.*

162. Et meliores ex protestantibus eas legittimas medio aevo agnoscunt 101
163. Aliquando ex parte Pontificis fuit mera declaratio. »
164. Ut fecit s. Zacharias pro Francis 102

A. *De depositione imperatorum.*

165. Imperator romanus medii aevi, fuit creatio Ecclesiae pro sua defensione 103
166. Ecclesia armis se defendere valet, cum auctoritates politicas sibi subditas acquisivit . . . 104

Pag.

167. Imperator romanus medii aevi, ut talis, nullum proprium territorium habebat. 104
168. Multis existentibus in occidente principibus, optime uni demandabatur specialis Ecclesiae defensio. »
169. Conceptus romani imperatoris ex Ludovico II. imperatore . . . . . »
170. Imperio coniungebatur regnum electivum germanicum et italicum, voluntate Pontificis et eligentium 105
171. Imperator non erat princeps politicus romanae urbis. »
172. Cum esset ab Ecclesia, pro sua defensione constitutus, iure ab ea removebatur. . . . . »
173. Et per consequens, lege regnorum fundamentali, amittebat regnum Germaniae et Italiae . . 106
174. Sed saepe imperatores putaverunt se pares antiquis monarchis . . . . . »
175. Item se dominos Ecclesiae 107

B. *De regum depositione.*

176. 177. I. Multa regna erant saltem aliqualiter feudalia s. Sedis . . . . . »
178. II. Conditio catholicitatis, medio aevo apponebatur regni consecutioni et conservationi . . . 110
179. Hinc legittime a Pontifice deponi poterant, si hostiles facti Ecclesiae 111
180. Imo Ecclesia erat, ex iure positivo, testis, iudex et custos reciproci iuramenti regis et regni, et in negotiis temporalibus . . . . . »
181. Saepe cumulabantur tituli favore Pontificis . . »
182. Pontificia tutela valde utilis societati . . . »
183. Sententiae extremae circa ius divinum Pontificis in temporalibus, concedens prima directam potestatem, negans altera et indirectam. . . 112
184. Sententia media. . . . . »
185. Reiicitur prima sententia 113
186. Reiicitur secunda . . . . . »

Pag.

187. Ecclesia nihil potest contra principes infideles sibi adversantes, tamquam in subditos sed ut in hostes 113
188. Sed fideles, ut subditi, eius vim punitivam persentiunt 114

ART. V. *De regnis a summo Pontifice concessis.*

189. Facta plura. 115
190. Praesertim concessiones regnorum infidelium . 116
191. Aliquando fuit mera declaratio iuris naturalis vel positivi 118
192. Ut pro Normannis . . . . . »
193. Utilitas huius declarationis 119
194. 2. Quoad Hiberniam; eius pessima conditio saec. XII. »
195. Adrianus IV. approbat curam, de cetero iustam, quam de ea suscipere intendit rex Angliae . 120
196. 3. Quoad novas regiones, et I. relate ad indigenas, semper Ecclesia docuit, infideles esse legittimos dominos et principes. 121
197. Ecclesia mitigavit invadentium cupiditatem . . »
198. Ceterum licet aliquando et armis ad naturalem honestatem barbaros populos revocare . . . 122
199. Et oppressis iure humanitatis succurrere. . . »
200. Et fidei libertatem tueri. 123
201. II. Ceteris gentibus christianis Ecclesia non praeiudicat si sui tutelam uni potius committit . »
202. Et aequitate naturali, saepe praecipuum ius est commercii, nationi novos populos detegenti . 124
203. Quae aequitas, si superior adsit, positiva ordinatione stabiliri potest . . . . . »
204. Nec non alia quaedam a Pontifice per modum provisionis temporaneae 125
205. In quibusdam Pontifices erant iudices conventionum 126
206. Iuste armorum commercium cum infidelibus vetari poterat . . . . . »

Pag.

207. Sed non de omnibus factis Pontificum medii aevi, iure mere divino sufficiens ratio reddi potest. 127

ART. VI. ***De potestate medio aevo in temporalibus summo Pontifici competente, ut capiti christianitatis.***

208. Societas ethnarchica. 128
209. Naturaliter est aequalis. 129
210. Media aetate aliqualis societas ethnarchica inter gentes christianas occidentis habebatur . . 130
211. Et ethnarca erat summus Pontifex 131
212. Ipse enim praevalebat iure et facto. . . . »
213. Cum societas civilis evasit validior, coepit se subtrahere a tutela Pontificis. 133
214. Hinc medio aevo, Pontifex procedebat titulis cumulatis, iuris divini et humani . . . . »
215. 216. Ex quo multae allatae utilitates . . . 134
217. Ius ethnarchicum Pontificis, ut a radice emanabat a iure primatus divini . . . . . »
218. Rupta unitate christianitatis, defecit, et ei substituti principum congressus. 135
219. Vota viri protestantis pro iure Pontificis. . . 136
220. Conclusio . . . . . »

LIBER II.

QUAESTIONES SPECIALES DE DIRECTA COMPETENTIA POTESTATIS ECCLESIAE

Pag.

1. Evolvenda principia generalia, lib. I. proposita . 137
2. Quidquid directe refertur ad finem spiritualem, ad Ecclesiae competentiam per se spectat . . »
3. Si ministerium exigat 138
4. 1° institutio in vera doctrina; 2° in rectis moribus. »
5. 3° Ecclesiae organizatio. . . . . »

CAPUT I.

DE POTESTATE ECCLESIAE QUOAD FIDEM SEU DOCTRINAM

ART. I. ***De potestate Ecclesiae praedicandi catholicam doctrinam infidelibus et acatholicis.***

6. Quoad infideles ius habet mittendi praedicatores. 140
7. Missionarios et converti volentes, protegendi sunt vi politica principum fidelium . . . . »
8. Idem ius est quoad acatholicos 141
9. Quilibet rationis usu pollens, ius habet amplectendi fidem et unitatem catholicam. . . . . »
10. Neque a patre vel a domino impediri potest. . 142
11. Ex quo non sequitur, recedere posse ab unitate catholica. . . . . »

ART. II. ***De iure praedicandi catholicis.***

12. 1° Ecclesia exclusive proponit auctoritative doctrinam 143
2° Iure prohibet libros fidei periculosos. . . 144
13. 3° item moribus inimicos . . . . . »
14. Quod saltem timoratis iuvat. . . . . »
4° Ecclesia praeventivam quoque iure statuit censuram 145
Item approbat publice de religione docentes . . »

Pag.

15. Censura non opponitur ordinato scientiarum progressui 145
5° Iure Ecclesia compellit ad frequentandam ecclesiasticam praedicationem 146
16. Praedicationis ecclesiasticae formam iure determinat. . . . . »

ART. III. *De scholis.*

§ 1.

17. *Ius negativum Ecclesiae in fideles circa scholas.* 147

§ 2. *Ius positivum Ecclesiae circa scholas pro laicis fidelibus.*

18. Principium generale: Ius Ecclesiae mensuratur a spirituali fidelium necessitate 148
19. Patrifamilias fideli ius et officium est filios in catholica religione instituere . . . . . »
20. Ecclesiae ius et officium est designandi quaenam ad catholicam institutionem necessaria sint . 149
21. Ad succurrendum patribusfamilias scholae institutae sunt 150

Quaestio I. *De scholis primariis.*

22. Errores separantium instructionem puerorum a morali educatione, et hanc a religiosa institutione, et quidem catholica . . . . . »
23. Refutatur primus error 1° experientia . . . 152
24. 2° ex unitate necessaria in prima hominis evolutione . . . . . »
25. Refutatur secundus error 153
26. Refutatur tertius error . . . . . »
27. Confirmatur auctoritate s. Cong. Concilii. . . 155
28. Iura catholicorum in societate non catholica. . 156

Difficultates.

29. Contra primam partem ex separabilitate obiectiva instructionis et educationis . . . . . »

Pag.

30. Contra secundam partem ex eadem separabilitate educationis moralis et religiosae 157
31. Instructio tamen religiosa, etsi inseparabilis a systemate scolastico, separari potest loco et tempora a reliquis materiis 158
32. Insufficientia institutionis religiosae indeterminatae. . . . . »

Quaestio II. *De catechista approbando vel designando.*

33. Distinctio scholarum. 159

I. *De scholis primariis privatis.*

34. Repraesentant auctoritatem paternam . . . »
35. Ex magistris quidam vicem patris tenent, quidam eum tantum coadiuvant 160
36. Tamen ipse pater pro religiosa institutione suorum, est dependens ab Ecclesia. . . . . »
37. Nam finis Ecclesiae est internus familiae, dum finis civitatis proprie est ei externus . . . »
38. Parentes sunt naturale organum Ecclesiae pro religiosa filiorum institutione 161

II. *De magistris substitutis patri.*

39. Magis pendet ab Ecclesia quam ipse pater . . 162
40. Hinc ab Ecclesia dirigi et corrigi potest. . . »
41. Tamen non indiget missione Ecclesiae . . . 163
42. Neque regulariter eius positiva approbatione. . »
43. Sed attento modo publico quo doceret, magis persentire posset Ecclesiae auctoritatem . . . 164

III. *De magistris coadiutoribus.*

44. Potest esse omnino domesticus, et tunc religiosa instructio est separabilis ab eius munere . . »
45. Si e contra doceat modo publico, religio recensenda inter materias obligatorias. 165
46. Secus eius efficacia imminueretur . . . . . »
47. Auctoritas Ecclesiae magis explicatur in eos qui modo publico catechismum docerent . . . 166

Pag.

IV. *De scholis publicis popularibus.*

48. Publicae sunt si auctoritate etiam municipali institutae 166
49. Schola obligatoria laedit ius patris 167
50. Catechistae designatio in scholis publicis, spectat ad Ecclesiam . . . . . »
51. Argumentum contrariae sententiae . . . . »
52. Quaedam ab omnibus admittenda 168
53. Probatur sententia affirmans. 169
54. Solvitur argumentum sententiae contrariae . . »
55. Ecclesia, exigente necessitate, valet praescribere catechistam distinctum a docentibus reliquas materias 170
56. Status tenetur sustinere expensas catechistae. . »
57. Conditio socialis praesens, magis necessarium reddit interventum positivum Ecclesiae . . . 171

V. *De scholis privatis primariis, quae publicis assimilatae sunt.*

58. In eis Ecclesiae competit non designatio, sed mera approbatio catechistae . . . . . »
59. Si dubia natura publica scholae, adhuc favendum Ecclesiae. 172
60. Reassumptio. . . . . »

Quaestio III. *De scholis secundariis et superioribus.*

61. Instructio religiosa oportet sit proportionata culturae. . . . . »
62. Scholae mere professionales 173
63. Per se non indigent peculiari religiosa institutione. »
64. Sed ea indigent scholae secundariae. . . . »
65. Hinc ius relativum Ecclesiae 174
66. Scholae lyceales absolvunt praeparationem scientificam communem, ideoque et speciali religiosae instructioni consulere debent . . . . . »

Pag.

67. Ulterior instructio religiosa, utilis esse potest, si non necessaria 174
68. Omnibus semper necessaria frequentia verbi Dei. 175
69. Hinc speciales scholasticae praescriptiones utiles. »
70. Quae ab Ecclesia et praecipi valent. . . . 176

§ 3. *De scholis clericorum seu de seminariis.*

71. Scholae Ecclesiae propriae, 1° pro clericis . . »
72. Attendenda specialis instructio; hinc seminaria maiora; specialis educatio . . . . . »
73. Cultura generalis, est de se necessaria . . . »
74. Sed ex necessitate praetermitti potest . . . 177
75. Usque fere ad nostra tempora, programma scholasticum civile in scholis secundariis, erat sufficiens 178
76. Tamen clerici adhuc indigebant speciali educatione; hinc necessaria seminaria etiam minora. »
77. Nunc indigent non modo speciali cultura theologica, sed et praeparatoria. 179
78. Neque status a clericis iure exigit absolutionem programmatis civilis 180
79. 80. Neque iure praescribit aetatem recipiendorum in scholis clericalibus. 181
81. Neque tonsuram. . . . . »
82. Solvitur difficultas 182
83. Status conditionate aliqua iure exigit a clericis . 184

§ 4. *De scholis Ecclesiae propriis pro laicis.*

84. Scholae institutio vel independenter a lege civili, vel non . . . . . »
85. Independentia scholastica non importat independentiam simpliciter . . . . . »
86. Scholae propriae sed scholastice dependentes . 185
87. Ecclesiae nequeunt restrictiones speciales apponi. »
88. Multiplices proponuntur quaestiones 186

Pag.

Quaestio I. *An Ecclesiae sit ius exclusivum instituendi scholas pro laicis.*

89. Negative 186
90. An ei sit ius, ex titulo communi 187

Quaestio II. *De libertate instructionis.*

91. Auctoritate civili competit I. ius repressivum . 188
92. II. Ius praeventivum ex speciali aliquo titulo . »
93. Sed quaeritur an ei competat generalis praeventio aut etiam collatio iuris docendi . . . . »
94. Ratio quorumdam affirmantium 189
95. Quae et ampliatur 190
96. Conveniunt socialistae . . . . . »
97. Fautores libertatis; I. quidam negant statui ius praeventionis generalis . . . . . »
98. II. Quidam eam concedunt extraordinario; imo III. et collationem iuris docendi 191
99. Cum publica potestas informatur spiritu conservativo, facile ei indulgetur 192
100. Fautores absolutae libertatis nequeunt eam extraordinario coarctare 193
101. In statu anormali, et orthodoxi favent libenter libertati . . . . . »
102. Quin sibi contradicant 194
103. Quamvis absoluta quaedam agnoscant principia . 195
104. Aliquando arguunt ad hominem . . . . . »
105. In mentem revocatur finis civitatis 196
106. Qui est moderari relationes iuridicas et privatorum insufficientiae supplere 197
107. Ex quo patet privatis licere scholas instituere . »
108. Quamvis sub vigilantia generali status . . . 198
109. Licet statui etiam constituere quasdam normas praeventivas 199
110. Non tamen semper id expedit . . . . . »
111. Privati scholas instituendo, sese statui non substituunt 200

Pag.

112. Hinc status non confert auctorizationem docendi, sed tantum valet recognoscere idoneitatem . 200
113. Hinc cavendum ab extremis sententiis . . . 201
114. Ecclesia saltem titulo communis libertatis scholas instituere valet 202
115. Imo maiorem meretur fiduciam ac privati . . »
116. Per se, schola pro laicis est sub vigilantia status. 203
117. Quaeritur an scholae institutio habeat specialem relationem cum fine Ecclesiae. . . . . »
118. Affirmatur et ostenditur. 204

Quaestio III. *De titulo speciali, Ecclesiae competente, etiam in statu societatis normali, scholas pro laicis instituendi.*

119. Deducitur generatim ex speciali relatione quam scholae habent ad eius finem . . . . . »
120. Ostenditur in specie pro diversis scholarum generibus 205

Appendix. *De convictibus educationis.*

121. Cum specialiter referantur ad Ecclesiae finem, ei ius est eosdem instituendi. 207

Quaestio IV. *De iure per accidens competenti, Ecclesiae, instituendi scholas, in statu societatis anormali moraliter.*

122. Proponitur quaestio de statu societatis anormali. »
123. I. Cum scholae publicae imbuuntur spiritu acatholico 208
124. II. Cum a religione praescindunt. 209
125. Ius Ecclesiae in utraque hypothesi . . . . . »
126. Iuliani apostatae perfidia 210
127. Publicum aerarium teneri potest ad succurrendum scholis catholicis, I. ex pacto. 211
128. II. Ex rei natura . . . . . »

Pag.

129. Quaestio V. *De iure Ecclesiae devolutivo instituendi scholas, auctoritate civili deficiente.* . 212

Quaestio VI. *De effectibus civilibus scholarum a privatis et ab Ecclesia institutarum.*

130. I. Ius status pro publicis muneribus. . . . »
131. II. Pro quibusdam professionibus de se privatis. 213
132. Utilitas quae saepe exinde derivat . . . . »
133. Status tamen ius habet tantum recognoscendi idoneitatem 214
134. Hinc nequit exigere frequentationem scholarum publicarum . . . . . »
135. Multo minus si catholico spiritu non sint imbutae. 215
136. Quando Ecclesiae scholae sunt unicae, ut quaest. 5., tunc eis tribuenda plena efficacia civilis . . »

CAPUT II.

DE POTESTATE ECCLESIAE QUOAD MORES, IDEST PRO FIDELIUM SANCTIFICATIONE

ART. I. *Divisio capitis.*

137. Ad salutem praeter rectam fidem, necessariae sunt operae 216
138. Hinc disciplina ecclesiastica, quae est praxis factorum fidei consona 217
Communiter dividitur disciplina in dogmaticam, liturgicam et externam . . . . . »
139. Sed logice dividenda est in liturgicam et externam ratione obiecti; et in dogmaticam et non-dogmaticam ratione fontis . . . . . »
140. Liturgia late sumpta, complectitur omnem ritum sacramentorum et sacramentalium. . . . 218
141. Disciplina externa complectitur cetera omnia . »
142. Evolvitur eius comprehensio. 219
143. Classificatio mediorum sanctificationis . . . 222
144. Divisio capitis . . . . . »

Pag.

ART. II. *De iure Ecclesiae quoad sacramenta.*

§ 1. *Generatim.*

145. Ad Ecclesiam exclusive spectat iudicare de valida et licita sacramentorum confectione et administratione 223
146. Damnum temporale sequens ex causa spirituali, pertinet ad iudicium Ecclesiae 224
147. Iniuria punitur minister servans leges Ecclesiae. »
148. Neque in materiis mixtis subiicitur minister legibus civilibus, cum ipse curet tantum rem et effectus spirituales 225
149. Etiam pro fidelibus nequeunt leges civiles praescribere quae attingunt ipsam rem spiritualem aut effectus eius inseparabiles. 226
150. Quae de libertate ministrorum quoad sacramenta, et de reliquo ministerio intelligenda sunt. . 227
151. Si praetextu ministerii committatur delictum fori saecularis ratione materiae, adhuc servanda immunitas personalis ubi viget . . . . . »
152. Sacramenta de quibus specialis sermo est instituendus . . . . . »

§ 2. *De sacramento baptismi.*

153. Quisque usu rationis pollens baptizandus est, si velit et sit dispositus 228
154. Invitis parentibus baptizari potest, qui non est sui compos, I. si parentes sint subditi Ecclesiae . »
155. Si unus parentum consentiat, baptizandus est . 229
156. II. Invitis parentibus servis, baptizari potest iussu domini. . . . . »
(In nota exponuntur modi iustae inducendae servitutis) . . . . . »
157. Rex nequit cogere subditos infideles ad baptizandos infantes 230
158. III. Insciis aut invitis parentibus, baptizari possunt filii quos proiecerint. 231

Pag.

159. IV. Item in extremo vitae periculo speciali, vel si sint perpetuo amentes; sed per accidens abstinendum si graves timeantur perturbationes . 231

§ 3. *De sacramento ordinis.*

160. Ecclesiae est sibi constituere ministros . . . . »
161. Eosque efformare 232
162. Independenter a statu . . . . . »
163. Et numerum eorumdem determinare. . . . »

A. *De immunitate clericorum a militia.*

164. Competit primario clericis maioribus. . . . 233
Item et clericis minoribus 234
165. 166. Inconvenientia contrariae praxis. . . . »
167. Immunitas clericorum non laedit iustitiam . . 235
168. Ab Ecclesia de rigore iuris immunitas exigi posset pro omnibus animum clericandi habentibus. »

B. *De caelibatu ecclesiastico.*

169. Eius utilitas. 236
170. Nullius ius violat . . . . . »

C. *De clericis regularibus.*

171. Ipsorum utilitas pro ecclesiastico ministerio . . 237

§ 4. *De sacramento matrimonii.*

172. Matrimonium est in ministerium naturae seu Dei, individui et societatis. . . . . »
173. In nova lege est sacramentum 238
174. An contractus distingueretur realiter a sacramento aliquando disputatum est . . . . . »
175. Validitas et liceitas 239

Quaestio I. *De iure auctoritatis civilis in matrimonium infidelium.*

176. Sententia communis concedit principi ius constituendi impedimenta etiam dirimentia . . . »

Pag.

177. Decisio conformis et instructio s. Cong. de Propaganda Fide, nec non conformis resolutio s. Officii. 240
178. Ratio intrinseca est quia matrimonium refertur directe ad finem societatis 241
179. Etsi primario sit in ministerium Dei. . . . 242
180. Tamen non est proprie res religiosa. . . . »
181. Sed in statu naturae, principi ius aliquod esset et in re religiosa 244
182. Sed matrimonium a principe penderet sub respectu sociali . . . . . »
183. Societas quamvis historice posterior familiae, tamen huius ius modificat . . . . . »

Quaestio II. *De iure civilis auctoritatis in matrimonium christianorum.*

184. Si contractus matrimonialis re distingueretur a sacramento, nisi obstaret positiva Dei dispositio, adhuc integrum esset ius principis 246
185. Sed haec sententia nunc sustineri nequit ex litteris Pii Pp. IX. ad regem Sardiniae 19 Septembris 1852. . . . . »
186. Item ex Tridentino, sess. 24. cap. I. de refor. matrim., idest ex eo quod antecedentia matrimonia clandestina essent rata; item ubi non est promulgatum 247
187. Hinc causae omnes matrimoniales, spectant exclusive ad forum ecclesiasticum . . . . . »
188. Item de sponsalium valore 248
189. Deus cohaerenter principali officio matrimonii, huius legislationem sibi reservavit 249
190. Deus autem mediante Ecclesia, providet et fini individuali ac sociali . . . . . »
191. An Status si non contradicere legibus Ecclesiae, saltem eis superaddere possit. 250
192. Negatur quoad ipsam substantiam matrimonii, utpote supernaturalizatam . . . . . »

Pag.

193. Item quoad effectus temporales inseparabiles. . 250
194. Sed quoad separabiles 251
195. Item punire transgressores legum Ecclesiae, huius iudicio 252
196. Non autem punire ipsam positionem actus religiosi. 253
197. Ecclesia aliquando habet ut omnino licita matrimonia, quae non satisfaciunt praescriptionibus civilibus, quae proinde privari tantum possunt effectibus civilibus separabilibus . . . . »
198. Aliquas leges civiles Ecclesia laudat quamvis non adoptet 254
199. A ministro Ecclesiae in suo ministerio, legum tantum ecclesiasticarum observantia exigi potest. »
200. Item in laicis positive puniri tantum potest omissio praescriptionis civilis, separabilis ab actu religioso . . . . . »
201. Status acatholicus nequit rationabiliter in hac materia negare Ecclesiae libertatem . . . . . »

ART. III. *De iure Ecclesiae quoad sacramentalia, praesertim circa cultum divinum.*

§ 1. *Generatim.*

202. Sacramentalia sunt « signa sensibilia quae gratiam significant et impetrant ex Ecclesiae institutione » 256
203. Ecclesia pollet potestate, eadem instituendi, cum iuvent rem religiosam, et eius preces acceptae sint Deo . . . . . »
204. Cum sacramentalia sint quid supernaturalis, exclusive spectant ad Ecclesiam. 257
205. In conflictu cum societate civili, Ecclesia praevalet . . . . . »
206. Sacramentalium divisio . . . . . »
207. Subdivisio . . . . . »
208. Divisio articuli 258

Pag.

§ 2. *De cultu divino.*

Num. 1. *De loco.* A. *De templis.*

209. Necessitas templorum 259
210. Ecclesia exclusive erigit templa . . . . . »
211. Item restaurat collabentia 260
212. Item eorumdem formam determinat . . . . »
213. Iuste vindicat pro eis immunitatem . . . . »
214. I. a profanis usibus. 261
215. Excipe necessitatem. . . . . »
216. Iniuste coguntur catholici ad promiscuum usum templi cum heterodoxis . . . . . »
217. Id nocet fervori religioso 262
218. II. templa immunia sunt a iurisdictione civili . 263
219. III. a vectigalibus publicis . . . . . »
220. Sed subsunt iustis legibus hygienicis, directive, quamvis non coactive. 264

B. *De processionibus.*

221. Quaedam sunt utilitatis, quaedam necessitatis . 265
222. An Ecclesiae ius sit easdem peragendi per vias ac plateas publicas, aliam specialem destinationem non habentes. . . . . »
223. Affirmatur, cum sint modus valde efficax cultus divini. 266
224 Leges contrariae considerant religiosa officia ut privata et mere voluntaria 267
225. Multo magis iniustae leges quae processiones et in loco sacrato circum Ecclesia, vetant . . »
226. Praesertim processiones necessitatis, defendendae sunt . . . . . »
227. Obiectiones 268
228-230. Respondetur ad 1., quod viae publicae sint societatis civilis . . . . . »

ST. ALBERTS COLLEGE

Pag.
231. Ad 2. quod processiones turbent negotia civilia. 269
232. Ad 3. ex periculo irreverentiae . . . . . »
233. Ad 4. ex periculo rixarum 270
234. Ad 5. ex damnis hygienicis . . . . . »
235. Legum hygienicarum observantia nequit coactive ab Ecclesia exigi . . . . . »
236. Actus quamvis externus, est spiritualis ex scopo. 271
237. Hinc est competentiae ecclesiasticae exclusive . »
238. Status iudicio suo repellit tantum damna ex causa temporali. . . . . »
239. Resp. ad VI. de aequo iure quod competeret sectis dissidentibus, negando paritatem et consequentiam 272

C. *De imaginibus sacris publice exponendis.*

240. An tale ius sit Ecclesiae et fidelibus . . . »
241. Impugnatur a modernis . . . . . »
242. Sed competit fidelibus ex liceitate cultus publici. 273
243. Increduli nequeunt impedire manifestationem cultus, credentibus 274
244. Respondetur ad difficultatem, ex periculo rixarum. »
245. Item ex periculo irreverentiae 275
246. Limitatio cultus divini, aegre ferenda . . . »

N. 2. *De tempore.* A. *De diebus cultus divini.*

247. Dies festi 276
248. Dies festi dimidiati . . . . . »
249. Sanctificatio positiva, adsistendo missae . . . »
250. Sanctificatio negativa, per abstinentiam ab operibus servilibus. 277
251. Exceptis servis proprie dictis, in sui favorem . »
252. Cupiditas saepius causa est adversandi quiescentiae diei festi. . . . . »
253. Huius quiescentiae utilitates multae, tum spirituales, tum etiam temporales . . . . . »
254. Dies festus sanctificandus et a publicis officialibus. 278

Pag.
255. In statu mixtae religionis, saltem dies dominica observanda 278
256. Numerus dierum festorum, auctoritate ecclesiastica constituitur 279
257. Item dies solemniores . . . . . »
258. Si quae inconvenientia, sequuntur per accidens et superantur multis bonis . . . . . »

B. *De hora.*

259. Functionum ecclesiasticarum hora, ab Ecclesia exclusive decernitur. 280
260. Et Ecclesia solicita est publicae honestatis . . »

N. 3. *De modo cultus divini.*

261. Exclusive ab Ecclesia constituitur 281

A. *Obiectum.*

262. Obiectum cultus latriae, iperduliae, duliae; absoluti, primarii, secundarii et relativi . . . »
263. Exclusive spectat ad Ecclesiam 282
264. Item superstitiones removere. . . . . »

B. *Crimina.*

265. Eadem compescere Ecclesiae competit et laicae auctoritati subordinate 283

C. *Ritus.*

266. Exclusive determinatur ab Ecclesia . . . . »
267. D. *Lingua sacra* . . . . . »

E. *Campanae.*

268. Auctoritatis laicae abusus 286
Ecclesiae ius 287
269. Moderatio servanda . . . . . »
270. 271. Ipsarum sonus est publica fidei professio . »
272. Iniuste privatos non laedit 288

Pag.

F. *Preces publicae.*

273. Exclusive indicuntur ab Ecclesia 289

§ 3. *De communione cum defunctis.*

274. Communio sanctorum . . . . . »
275. Praesertim ob fidem resurrectionis, corpora defunctorum sunt religiosa 290

N. 1. *De locis in quibus corpora requiescunt.*

276. Sunt religiosa sensu christiano . . . . . »
277. Ecclesia non profanatur ex defunctorum sepulcris. »

A. *De coemeteriis.*

278. Sunt immunia ab auctoritate civili 291
279. Apud christianos sepultura non est merum officium humanitatis . . . . . »
280. 281. Leges tamen hygienicae et publicae securitatis, si iustae, servandae 292
282. Alienis a religione catholica, non concedenda sepultura in coemeterio catholico . . . . »
283. Id eis iniuriam non irrogat 293

B. *De sepulcris in ipsis Ecclesiis.*

284. Antiquitus ab Ecclesia non concedebatur. . . »
285. Recentes leges civiles id prohibentes, ab Ecclesia non sunt reprobatae 294
286. Actoritati tamen civili non est absolutum ius id vetandi . . . . . »

N. 2. *De modo curandi corpora defunctorum.*

287. Ritum curandi cadavera determinare, spectat ad Ecclesiam. 295
288. Humatio et crematio historice . . . . . »
289. Rationes a neotericis adductae pro crematione . 296
290. Dissolvitur 1. de significatione ascensus animae ad coelum 297

Pag.
291. Dissolvitur 2. de familiari cultu cinerum . . 297
292. 3. Oeconomica . . . . . »
293. 4. Hygienica ex infectione aeris. . . . . »
294. 5. Item hygienica ex infectione aquarum . . 298
295. Per humationem, dissolutio corporis humani est naturalis . . . . . »
296. Neque offendit sensum humanitatis . . . . »
297. Iuvat criminales inquisitiones . . . . . »
298. Ecclesia de iure non teneretur servare leges praecipientes cremationem. 299

N. 3. *De iure admittendi vel excludendi a religiosa sepultura.*

299. Pertinet exclusive ad Ecclesiam. 300
300. Agitur enim de sepultura quatenus religiosa. . »
301. Et attendenda est verisimilitudo christianae mortis. »
302. Et negatur ob publicam utilitatem 301
303. Neque laeditur honor, ex causa temporali . . »

N. 4. *De processione mortuaria.*

304. Ritus ducendi funus, est religiosus . . . . »

ART. IV. ***Ius Ecclesiae quoad reliqua capita praeceptorum moralium iuris positivi humani.***

305. Praecepta restrictive moralia dicimus quae directe referuntur ad sanctificationem individui . . 302
306. Referuntur directe ab Ecclesiae finem . . . 303
307. Ipsorum transgressiones si privatae, non muniuntur sanctione fori externi. . . . . »

ART. V. ***De iure Ecclesiae pro ordinanda publica professione consiliorum evangelicorum, et praesertim pro ordinibus et congregationibus religiosis instituendis.***

308. Tria vota substantialia, solemnia vel non. . . 304
309. Proponitur quaestio sequens

§ 1. Thesis. *Ecclesiae, ius est exclusivum publice recognoscendi vota evangelicae perfectionis,*

Pag.

eaque pro effectibus socialibus moderandi; et societati civili catholicae officium est, leges respectivas Ecclesiae et respondentes actus in ordine civili agnoscendi.

310. Ecclesia praeter leges communes, condit et leges speciales hypotheticas 305
311. Votorum professio externa, laudabilis . . . »
Nota. Solemnitas votorum repetenda a iure canonico 306
312. Et agnoscenda lege civili . . . . . »
313. Limitatio in statibus non catholicis 308
314. Contra ius Ecclesiae peccatur, et si votis tribuantur effectus civiles maiores eis quae Ecclesia intendit . . . . . »
315. Laus caelibati, remissive ad num. 169 . . . »
Votum obedientiae non est inhonestum neque servile . . . . . »
316. Votum paupertatis non fovet otium 309
317. Ordines mendicantes dant exempla fortissimae virtutis 310

§ 2. Thesis. *Ius est Ecclesiae exclusivum approbandi ordines atque congregationes religiosas, eosque easque moderandi atque dissolvendi, omnesque causas de hac re iudicandi; et officium est status civilis, easdem adsociationes et respectivos actus recognoscendi in foro civili.*

318. Exponuntur partes thesis 311

A. *Institutio.*

319. Probatur.
320. Utilitas ordinum et congregationum I. pro ipsis professionibus 312
321. II. Pro societate ecclesiastica . . . . . »
322. Vis unita fortior 313

Pag.

B. *Aetas.*

323. Ecclesia exclusive constituit aetatem vestitionis et professionis religiosae. 313
324. Sed mutata conditione sociali, grandior aetas exigi potest. 314

C. *Tempus probationis.*

325. Ecclesia exclusive illud designat. 315

D. *Vestes.*

326. Ab Ecclesia designantur, et a statu sunt defendendae . . . . . »
327. Item pro clericis 316

E. *Numerus.*

328. Statuitur ab Ecclesia . . . . . »
329. Neque impediri potest praetextu damni temporalis . . . . . »
330. De necessitate temporali comparate ad bonum spirituale iudicat Ecclesia 317
331. Statui non nocet religiosorum multitudo. . . 318
332. Neque immunitatum praetextu, coarctari possunt. »

F. *Erectio domorum religiosarum.*

333. Exclusive ab Ecclesia dependet 319

334. G. *Regulae modificatio.* . . . . »

H. *Regimen.*

335. Designatio superiorum generalium, iure proprio spectat ad summum Pontificem . . . . . »
336. Ab Ecclesia unice pendent 320

I. *Dissolutio.*

337. Unice ab Ecclesia dissolvuntur . . . . . »
338. Non a Statu 321
339. Ecclesia pariter tunc disponit de ipsorum bonis. »

Pag.

340. Absque ulla liquidatione, praetextu operum publicorum quae praestabant 321
341. L. *Interpretatio regulae et iudicium* . . 322

M. *Recognitio civilis.*

342. Est iure necessaria . . . . . »
343. Permittenda praesertim dependentia a superiore generali 324

ART. VI. ***Ius Ecclesiae quoad reliquas adsociationes religiosas et pias operas.***

A. *De adsociationibus.*

344. Adsociationes et mera voluntate privatorum initae ad scopum religiosum, subiacent vigilantiae et praeventioni generali Ecclesiae . . . . »
345. Adsociationes recognosci possunt I. ut merae personae collectivae 325
346. II. Ut vera collegia . . . . . »
347. Ius est Ecclesiae vera collegia instituendi . . »
348. Etsi careant votis, et pendent exclusive ab Ecclesia, etsi ex laicis componantur 326
349. Persona moralis non-collectiva, nequit in Ecclesia poni mera voluntate privatorum . . . . »

B. *De piis operibus.*

350. I. Piae operae adnecti possunt alicui societati . 327
351. Distinguuntur ab operibus mere philanthropicis . »
352. II. Erigi valent in entia autonoma 328
353. Et Ecclesiae tradi . . . . . »
354. Si ad scopum pium, sunt de se sub aliquali saltem Ecclesiae vigilantia 329

C. *De libertate naturali adsociationis.*

355. Et status non catholicus, agnoscere debet ius adsociationis pro scopo honesto, qualis habetur in Ecclesia 330
Item ius haereditandi, omnibus honestis adsociationibus agnoscendum est 331

Pag.

D. *De naturali facultate testandi.*

356. Intra quosdam limites est a iure naturae . . 332
357. 1. ex iure dominii 333
358. 2. homo ius habet acquirendi et favore aliorum. »
359. Hinc et mortis causa iure disponit 334
360. Praesertim de productionibus laborum suorum . »
361. Et in favorem personae etiam moralis . . . 335
362. Et condendo legata pia . . . . . »

E. *Ius naturale instituendi corpus morale.*

363. Individua valent constituere personam collectivam, et corpus morale cum limitatione. . . . 336
364. Status tenetur concedere et institutionem personalitatis fictitiae, ad scopum honestum et proportionatum 338
365. In Ecclesia minus est ius privatorum . . . »
366. Legata pia nequeunt modificari donec utilia. . 339
367. Administratores eorumdem sunt sub aliquali saltem dependentia a publica auctoritate. . . . »

ART. VII. ***Ius Ecclesiae acquirendi et libere administrandi bona temporalia.***

§ 1. *Ius acquirendi.*

368. Competit Ecclesiae . . . . . »
369. Independenter a societate civili 340
370. Auctis bonis, Ecclesia limitavit propriam immunitatem . . . . . »
371. Ius possidendi bona fructifera 341
372. Valores mobiles non sunt praeferendi bonis immobilibus. . . . . »
373. Possessio manus mortuae, non nocet societati . 342
374. Neque deterius excolitur. . . . . »
375. Nequit princeps auctoritate propria limitem imponere Ecclesiae possessionibus 343
376. Sed potius Ecclesia sibi. 344

Pag.

377. Praedia Ecclesiae subiiciuntur iuri politico principis 344
378. Ecclesia iuste sibi vindicat immunitatem a tributis, si ea indigeat. 345
379. Secus, multiplicatis divitiis 346
380. Possidet enim haec more privatorum . . . 347
381. Si omnia Ecclesiae fierent, haberentur quaedam utilitates . . . . . »
382. Sed id non verificatur, pluribus de causis . . 348
383. Attendendi sunt et casus fortuiti. 349

Quaestio specialis I. *An ius dominii naturaliter sit illimitatum.*

384. Est illimitatum in conditione extrasociali . . »
385. In societate potest per accidens limitari . . . 350
386. Sed regulariter non expedit . . . . . »

Quaestio specialis II. *De taxa manus mortuae.*

387. Haec taxa exigi nequit intuitu laboris status. . »
388. Sed ob participationem publicis expensis, si Ecclesia non vindicet sibi immunitatem a tributis. 351

§ 2. *Ius administrandi.*

389. Competit Ecclesiae liberum 352
390. Regalismus stricte sumptus, seu perceptio fructuum beneficiorum vacantium . . . . . »
391. Item abusus collationis regiae beneficiorum non curatorum, sede vacante 353
392. Ecclesia est corpus morale independens a statu . »
393. Corpora moralia ecclesiastica, unice pendent ab Ecclesia . . . . . »
394. Et status tenetur ad ea ut talia recognoscenda . 354
395. Ecclesia valet libere, sua alienare 355

§ 3. *Ius Ecclesiae imponendi tributa.*

396. Temporalia necessaria, suppeditanda sunt ab iis in quorum favore ministratur. . . . . »

Pag.
397. Melius est si sponte fiat. 356
398. Ministerium commune et speciale . . . . . »
399. Status specialius ministrat divitibus. . . . 357
400. Socii concurrunt expensis publicis pro viribus, quia addicti societati cum omnibus bonis suis . . »
401. Subministratio temporalium fieri potest Ecclesiae immediate a statu 358
402. Quod Ecclesiam liberat a pluribus molestiis. . »
403. Sed fit de facto dependens a statu . . . . . »
404. Decimae reales in societate christiana, iuste percipiuntur et ab infidelibus 359
405. Non tamen personales aut tributa personalia. . »
406. Oblationes speciales. 360
407. Vitanda quaelibet species turpis lucri . . . 361
408. Speciales seu minutas oblationes, iuste exigunt et beneficiati . . . . . »

§ 4. *Tributa seu oblationes in favorem s. Sedis.*

409. Decus et necessitates eiusdem . . . . . »
410. Spontaneae oblationes; taxae extraordinariae et ordinariae 362
411. Neque praetextu depauperationis regni, impediri possunt subsidia s. Sedi 363

ART. VIII. ***De iure Ecclesiae acquirendi iurisdictiones, et praesertim de iure summi Pontificis habendi regnum temporale.***

412. Nihil obstat Ecclesiam acquirere iurisdictiones . 364
413. Id factum est medio aevo pro pluribus episcopis et abbatibus . . . . . »

§ 1. *Origo historica principatus summi Pontificis.*

414. Post datam pacem, Ecclesia romana multa acquisivit patrimonia 365
415. In dissolutione romani imperii, vigens superfuit tantum Ecclesia, curam suscipiens plebis in omnibus. »

Pag.

416. Orta haeresi iconoclastarum, eiecti graeci a media Italia. 366
417. Urbs sponte, se Pontifici dedit 367
418. Pipinus et Carolus Magnus, eius dominia creverunt. »
419. Iuri regio summi Pontificis, non obstat patritiatus Pipini et Caroli Magni . . . . . »
420. Neque imperatoris dignitas eiusdem Caroli et successorum eius. 368
421. Etsi imperator obtineret regnum Italiae, quod comprehendebat tantum regnum longobardicum . »
422. Hinc principatus Pontificis sensim sine sensu coepit. 369
423. Saeculo XI. labente, accessit donatio comitissae Mathildis. 370
424. Exercebatur autem diversimode, pro temporum indole . . . . . »
425. Quod commune fuit et ceteris regibus . . . »

§ 2. *De legittimitate principatus summi Pontificis.*

426. Legittimum fuisse omnes consentiunt . . . 371
427. Neque contraria populorum voluntate, iure aboleri potuit . . . . . »
428. Populus enim valet irrevocabiliter conferre ius regium. 372

§ 3. *De necessitate civilis principatus pro summo Pontifice.*

429. Est necessitas relativa 373
430. Oportet enim summus Pontifex sit plene et evidenter liber. 374
431. Quod tantum haberi potest si effective princeps existat 375
432. Et quidem status alicuius momenti 376
433. Neque suppleri potest per alia media . . . »
434. Quod si ex principatu Pontificis, aliquando dissidia cum aliis regibus ob temporales causas oriri possunt, est quid per accidens 377

Pag.

435. Non est paritas inter Pontificis et episcoporum positionem 377
436. Conciliorum oecumenicorum et Pontificum positiva decreta de hac re. 378
437. Liceitas dominii temporalis ad dignitatem dogmatis elevari posset. 380
438. Utilitas et necessitas non, sed pertinent ad catholicam doctrinam . . . . . »
439. Legittimitas iudicatur auctoritative ab Ecclesia . »
440. Necessitas refertur ad praesentes circumstantias, quae praesertim in pluralitate regnorum christianorum consistunt 381
441. Donatio Constantini Silvestro papae, etsi historice falsa, est socialiter vera . . . . . »
442. Prout status socialis, dissoluto romano imperio, coepit creare necessitatem principatus pontificii, et paullatim efformatus est . . . . . »
443. Adhuc necessarius est 382
444. Neque universaliter datur Ecclesiae libertas. . 383
445. Neque sperabile est . . . . . »
446. Et nunc gubernia facta sunt potentiora ad privatorum actus dominandos 384
447. Pontifex providet negotiis quae maxime intersunt et vitae civilis . . . . . »
448. Neque inveniri potest alius modus qui aequivaleat principatui civili 385
449. Ius nationis italicae ad suam unitatem politicam, non elidit ius Ecclesiae . . . . . »

ART. IX. ***Ius Ecclesiae quoad quaedam de se temporalia ratione specialis relationis ad spiritualia.***

450. I. Subsunt tribunali ecclesiastico delicta cum scandalo 386
451. II. Contra bonos mores 387
452. III. Ecclesia corripere potest fidelem de quolibet peccato, quod constet in foro externo. . . »

Pag.

453. IV. Et ratione peccati, iudicare valet de qualibet controversia 388
454. Et per hoc non usurpat sibi iudicium civile. . 389
455. V. Videre potest Ecclesia causas temporales inter laicos, in casu negatae vel neglectae iustitiae. 390
456. Item in casu manifestae iniustitiae 391
457. VI. Causae miserabilium personarum, et etiam viduarum et pupillorum si opprimantur. . . »
458. VII. Ratione iuramenti 392
459. VIII. Ob continentiam causae; et 1º incidentaliter. »
460. Sed iudex laicus nequit iudicare incidentem causam spiritualem 393
461. 2º Si laicus sit correus cum clerico . . . . »
462. 3º Si ex eodem titulo exurgat causa ecclesiastica et saecularis . . . . . »
463. Causae mixti fori 394
464. Locum dant praeventioni, ex concordia utriusque potestatis. . . . . »
465. Ceterum Ecclesia ad invidiam declinandam, nunc in pluribus limitat suum iudicium. . . . 395

CAPUT III.

POTESTAS ORGANICA ECCLESIAE

§ 1. *Organizatio territorialis.*

466. Est necessaria in qualibet ampla societate . . 396
467. Libere ab Ecclesia praestatur 397
468. Tum quoad gradus superiores tum inferiores. . »
469. Status potest tantum Ecclesiae exponere quod sua interest 398
470. Etsi extra proprium territorium resideat praelatus ecclesiasticus . . . . . »

§ 2. *Organizatio specialis religiosorum, mixta, idest territorialis et personalis.*

471. Utilitas exemptionis religiosorum . . . . »
472. Ius episcoporum non limitat ius Pontificis . . 399
473. Pontifex sapienter exercet ius suum immediatum. »

Pag.

§ 3. *Organizatio personalis.*

474. Potestas episcoporum determinatur iure ecclesiastico 400
475. Gradus supra episcopales sunt emanatio summi Pontificatus . . . . . »
476. Collegia pastorum specialia . . . . . »
477. Praelati nullius et vicarii apostolici hodierni. . 401

§ 4. *Ius mittendi legatos iudices.*

478. Vicarii apostolici antiqui; legati nati et missi . »
479. Legati oratores 402
480. De ipsorum origine et vicissitudinibus remissive ad canonicas institutiones. . . . . »

§ 5. *Adumbratio evolutionis iuris publici interni.*

481. I. Tempore propagationis et persecutionis, necessaria magna episcoporum autonomia . . . . »
482. II. Data pace Ecclesiae, magis organizatur in membris et quoad disciplinam per concilia. . . 403
483. III. Et quoad caput, successive per vicarios apostolicos, legatos natos et missos; et tandem nuntios permanentes . . . . . »

§ 6. *Ius liberae communicationis.*

584. Competit pastoribus cum fidelibus et vice versa, et praesertim cum summo Pontifice 404
485. Tamen aliquando summus Pontifex non vult minores causas, aut in prima instantia suscipere. »
486. Libera communicatio nequit a statu impediri, praetextu dammi temporalis 405
487. Nequit enim offendere bonum spirituale . . . »
488. Sed in casu abusus inferiorum, recurrat ad summum Pontificem 406
489. Etsi Pontifex sit rex, nequit impediri communicatio cum eo in spiritualibus . . . . . »
490. Item nequeunt impediri legati Pontificis . . . »

Pag.

§ postrema. *Adumbratio evolutionis iuris Ecclesiae coram statu civili.*

491. I. Sese constituit repugnante statu. . . . 407
II. Conversis imperatoribus, aliquantulum eis defert, salva sua independentia 408
III. Everso imperio tutelam suscipit novae societatis, et quoad plura temporalia. . . . »
IV. Roborata societate civili, insistit in spiritualibus . . . . . »
V. Statu recedente, utitur ea quae conceditur libertate . . . . . »

RERUM PRAECIPUARUM INDEX ALPHABETICUS

N. B. Numerus arabicus indicat numerum marginalem, qui si opus sit subdividitur in alios numeros cum exponente o. Intelligitur liber primus nisi alter citetur; citatur autem liber numero romano absque exponente, et citatio eadem subintelligitur in numeris arabicis sequentibus, donec alia ponatur.

Adsociationes piae, II. 344; *adsociationis* libertas, 355.
Appellatio, tamquam ab abusu, III. 44. seq.
Asylus, 111. 136. seq.
Baptisma, II. 153. seq.
Caelibatus, II. 169. 170.
Campanae, II. 217. seq.
Canariarum insularum concessio, 190. 196.
Catechistae designatio, II. 33. seq. 50. 58.
Causae fori ecclesiastici temporales, II. 450. seqq.
Censura, II. 14.
Clerici regulares, II. 171.
Clericorum institutio, II. 71; immunitas a militia, 164. seq.
Coemeterium, II. 278. seq.
Communio cum defunctis, II. 174. seq. vide *defunctorum.*
Communicatio cum s. Sede, II. 484.
Concessio regnorum, 189. seq.; declarativa, 191. seq.; novarum regionum, 196. seq.
Congregationes religiosae, vide *professio.*
Consilia evangelica, II. 308. vide *professio.*

Conscientia informata, 57. seq.
Convictus educationis, II. 121.
Correctio legum civilium, 151. seq.; — principum, 153. seq.
Crematio, II. 287. seq.
Crimen contra divinitatem, II. 265. seq.
Cultus divinus, II. 209. seq.; locus, templa, ibi; processiones, 221. seq.; imagines sacrae, 240. seq.; tempus, 247. seq.; dies festi, ibi; hora, 259. seq.; modus, 261.; obiectum, 262. seq.; crimina, 265. seq.; ritus, 266.; sonus campanae, 267. seq.; preces publicae, 273.
Defunctorum, communio, II. 274. seq.; loca, 276. seq.; coemeteria 278. seq.; sepulcra in Ecclesiis, 284. seq.; humatio et crematio, 287. seq.; sepultura religiosa, 299.; processio mortuaria, 304.
Depositio principum declarativa, 162. seq. — imperatorum, 165. seq. — regum, 176. seq.
Disciplina, II. 138. seq.
Docentes publice de re religiosa, approbandi, II. 14. 4.°
Dominium; ius Ecclesiae, II. 368. seq. — an illimitatum? 384. seq; temporale s. Sedis, vide principatus.
Educatio non separanda a religiosa institutione, II. 26. seq.; convictus 121.
Effectus civiles scholarum, II. 130. seq.
Etnarchia, medii aevi, 208. seq.
Evolutio iuris publici interni. II. 481; externi, 491.
Festi dies, II. 247. seq.
Fidei praedicatio, II. 6. seqq.; susceptio omnibus defendenda, 9. seqq.
Fori privilegium, 106.
Gradus supra episcopales, II. 475.
Hiberniae concessio, 194. 195.
Hora cultus divini, II. 259. seq.
Humatio, II. 287. seq.
Imagines sacrae, II. 240. seq.
Immunitas, ecclesiastica, 105. seq. — summi Pontificis, 143. seq.; clericorum a militia, II. 164. seq.

Impedimenta matrimonii, II. 176. seq. 184. seq.
Imperator medii aevi, 165. seq.; eius depositio, 172. seq.
Informata conscientia, 57. seq.
Instructio non separanda ab educatione, II. 22. seq.; eius libertas, 172. seq.
Iurisdictio; ius Ecclesiae acquirendi iurisdictiones temporales, II. 412.
Legata familiae, II. 354.
Legati s. Sedis, II. 478.
Legatia Siciliae, 66. seq.
Libertas instructionis, II. 91. seq. — professionum, 130 seq.: adsociationis, 355.; communicationis cum s. Sede, 484.
Librorum prohibitio, II. 12. seq.
Lingua sacra, II. 267.
Liturgia II. 138, 140.
Magistri substituti patri, II. 39. seq.; coadiutores patri, 44. seq.
Manus mortuae taxa, II. 387, 388.
Matrimonium, II. 172. seq.
Missionarii, protegendi, II. 7.
Monarchia Siciliae, 66. seq.
Nominatio regia, 34. seq.
Operae piae, II. 350. seq.
Ordines religiosi, vid. *professio*.
Ordo, sacramentum, II. 160. seq.
Organizatio, Ecclesiae, II. 466. seq.
Personae moralis institutio, II. 363. seq.
Piae operae, II. 350. seq.
Placet, notio, 2. — origo et vicissitudines, 6. seq. — iniustitia 27. — solutio difficultatum, 28. seq.
Possidendi, ius Ecclesiae, II. 368. seq. — administrandi, 389. seq.
Potestas, quoad fidem, II. 6. seq. — quoad mores, 137. seq.; 305. seq. — sacramenta, 145. seq. — sacramentalia, 202. seq. — consilia, 308. seq. — adsociationes et pias operas. 344. seqq.

Praecepta moralia ecclesiastica, II. 305, seq.
Praedicatio fidei II. 6. seqq.; frequentanda et a fidelibus, 15.
Preces publicae, II. 273.
Principatus civilis s. Sedis, II. 412. — origo historica, 414. seq. — legittimitas, 426. seq. — necessitas, 429. seq.
Principum correctio, 153. seq. — depositio, 162 seq.
Privilegia non offendunt iustitiam socialem, 140. seq.
Privilegium fori, 106. 131. 132.
Processiones, II. 221. seq. — mortuariae, 304.
Professio religiosa, II. 308. seq. — institutio, 319. seq. — aetas, 323. seq. — tempus probationis, 325. — vestes, 326, 327. — numerus, 328. seq. — erectio domorum, 333. — regulae modificatio, 334. — regimen, 335. 336. — dissolutio, 337. seq. — regulae interpretatio et iudicium, 341. — recognitio civilis, 342. 343.
Regalia, 42. 43.
Regium placet, vide placet.
Regnorum concessio, 189. seq.; declarativa, 191. seq. — novarum regionum, 196. seq.
Regum correctio, 153. seq.; depositio declarativa, 162; auctoritativa, 176. seq.
Ritus, cultus divini, II. 266.
Romani Pontificis immunitas, 143. seq.; ethnarchia medii aevi, 208. seq.
Sacramenta; ius Ecclesiae, II. 145; baptismi 153. seq.; ordinis, 160. seq.; matrimonii, 172. seq.; ius civile in statu naturae, 176. seq.; post elevationem, 184. seq.
Sacramentalia, II. 202. seq.
Soholae; ius Ecclesiae negativum. II. 17; ius positivum, 18. seq.; ius patris, 19; primariae, 22. seq.; privatae, 34. seq.; publicae populares, 48. seq.; primariae privatae publicis assimilatae, 58. seq.; professionales, 62; secundariae, 64; superiores, 67. — clericorum 71. seq.; scholae Ecclesiae pro laicis, 84. seq. 119. seq. 129. seq.; scholarum libertas, 91. seq.; effectus civiles scholarum, 130. seq.
Seminaria, II. 71. seq.

Sententiae ex informata conscientia, 57. seq.
Sepultura, II. 299.
Sepulcra in Ecclesiis, II. 284. seq.
Siciliae monarchia seu legatia, 66. seq.
Summi Pontificis immunitas plena, 143. seq.
Taxa manus mortuae, II. 387. 388.
Templa, II. 202. seq.
Tempus cultus divini, II. 247. seq.; probationis religiosae, 325.
Testamentum, facultas condendi, II. 356. seq.
Tributa; ius Ecclesiae, II. 396. seq. — s. Sedis, 409.
Vestes clericorum et religiosorum, II. 326. 327.
Visura, vide placet.

ERRATA			CORRIGE
Pag. 87	lin. 18.	Merenii	— Menenii
» 99	» 4. ante fin.	- tempopali	— temporali
» 110	» 10.	Gallia	— Anglia
» 182	» 18.	Rationem	— Ratio
» 189	» 6.	fecit	— facit
» 222	» 25.	revocare	— revocari
» 238	» 2.	Deum	— Deo
» 243	» 1.	hominum	— hominem
» 265	» 21.	exercendis	— exercendo
» 281	» 3.	substantiam	— substantia
» 282	» 19.	imperatori	— imperatoris
» 291	» ultima	auctoritate	— auctoritati
» 308	» 22.	Ecclesiae	— ac Ecclesia
» 332	» 15.	e lege	— a lege
» 368	» penultima	regno	— regem
» 374	» 20.	ad maiora	— ob maiora
» 381	» 3.	oportet	— oporteat
» 386	» 15.	attendenta	— attendenda

IMPRIMATUR

Fr. Raphael Pierotti Ordinis Praedicatorum
S. Palatii Apost. Magister.

6869

348.1 C 18
vol. 2

Cavagnis, Felix

AUTHOR

Institutiones Iuris Publici

TITLE

Ecclesiastici.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY